UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
3 1761 06698248 9

BIBLIOTHECA
PROV. TORONTINAE
STUDENDATUS

Prov. Torontinae

VI-1

BIBLIOTHECA
PROV. TORONTINAE
STUDENDATUS

HOLY REDEEMER LIBRARY, WINDSOR

UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE TORONTO
LIBRARY

CODEX
DOGMATUM FIDEI CHRISTIANAE
ET CANONUM
DISCIPLINAE CATHOLICAE ECCLESIAE

VOLUMEN I.

DOGMATUM COMPLECTENS DEFINITIONES

UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE TORONTO
LIBRARY

CODEX
DOGMATUM ECCLESIAE CATHOLICAE

QUAE

A PONTIFICIBUS ROMANIS

SIVE IN CONCILIIS SIVE PER SE FUERUNT DEFINITA

A GASPARE DE LUISE

PIORUM OPERARIORUM ALUMNO
SUPREMAE CONGREGATIONIS QUALIFICATORE
ACAD. RELIGIONIS ET IMMAC. CONCEPT. DEIPARAE ROMANARUM SOCIO

CONCINNATUS

HOLY REDEEMER LIBRARY, WINDSOR

AUGUSTAE TAURINORUM
EQ. PETRUS MARIETTI
TYP. PONTIF. ET ARCHIEP.
1876

Editor omnia proprietatis jure sibi vindicet.

SUPPLEX EPISTOLA

PIO IX PONTIFICI MAXIMO

HUMILI CORDE SUBMISSA

Beatissime Pater

Collectionem Dogmatum et Canonum Ecclesiae iisdem verbis quibus promulgati fuerunt a me concinnatam, praemissis praelectionibus tum theologiae dogmaticae, tum jurisprudentiae ecclesiasticae Tuis Pedibus timide, erubescens demitto; vereor enim ne cum, infirmitate ingenii mei, in plures inciderim defectus, elucubratio mea temeritatis potius quam diligentiae fructus censeatur. Nihil autem aliud mihi potius fuit in hoc suscipiendo labore, nisi dogmatum divinam altissimam lucem, et Legum ecclesiasticarum sapientiam, sublimitatem, atque fecunditatem affirmare iis qui sacrilego ausu eas tamquam obscurioris aevi traditiones conculcarunt. Si opus meum Tuam acceptationem non meretur, animi tamen mei ad quaevis exantlanda propter Supremae Sedis exaltationem aspice voluntatem. Beatissime Pater, ab apostolatus culmine quo sedes, catholici Orbis Magister infallibilis, qui in dogmatica Deiparae conceptionis definitione, et in multis constitutionibus cunctos nostrae tempestatis errores interemisti, me Tuorum discipulorum minimum beni-

gno lumine tuere. Tu maxima Ecclesiarum sollicitudo et totius Christi gregis Pastor singulari charitatis corona refulgens, qui missis ad ultimas terrae plagas evangelizantibus pacem, novas erigendo ecclesias et viduatis reddendo pastores catholicum vivificas fervorem, Tu me humilem ovem tui ovilis recognosce. Tu Petri non solum potestate, sed annis quoque et meritis emulator, qui doloribus Tuis Syllabi promulgatione, et definitionibus a Te in Concilio Vaticano datis labentes renovas societates, spes populorum atque pereclitantium stella, Tu cujus gressus perennis sunt gloriae monumenta, ad me respice vestigia pedum Tuorum reverenter deosculantem, et dignare mihi, et operibus meis Apostolicam Benedictionem clementer impertire.

Romae, die 26 Novembris 1875.

Tuae Sanctitatis

Humillimus in Christo Filius
GASPARE DE LUISE
Congr. Piorum Operariorum.

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Dum adeo se extollit humana ratio, ut quidquid sibi impervium offendit despiciat, et christiana propterea dogmata ad commenta fabulasque releget; peropportune profecto, Dilecte Fili, tuum Canonum Codicem edidisti. Videre namque licebit in ipso, quam rationabilis sit christianorum fides et observantia in sacras hasce doctrinas; et quam absonus a vera philosophia earum contemptus ea una de causa conceptus, quod humana ratio, cujus imbecillitas in ipso physico ordine ab occurrentibus mysteriis passim impeditur, percipere nesciat existendi modum altiorum harum veritatum. Et sane cum a prioribus Ecclesiae saeculis, uti lucubratio tua demonstrat, sanctissimi viri et ingenio scientiaque praestantissimi, cujusmodi sunt Patres et Doctores, per singulas aetates, et antequam solemni definitione sancitae proponerentur, eas doctrinas veluti receptas et creditas ab omnibus, firmiterque semper tenendas docuerint, ac gravibus exposuerint confirmatas argumentis; patebit et sanam philosophiam ab illis non dissentire, et eas non ab homine fuisse excogitatas et invectas, sed a divino ipso religionis nostrae fundatore traditas, qui cum sit ipsa veritas, auctorque pariter gratiae ac naturae, nequivit omnino quidquam credendum proponere, quod a vero deflecteret et cum humana ratione quomodocumque

pugnaret. Perlibenter itaque volumen tuum excepimus, eique ominamur, ut et irrisorum frangat impudentiam, et eorum, qui quolibet doctrinae vento se circumferri facile sinunt, fidem sustentet. Interim tibi superni favoris sit auspex Apostolica Benedictio, quam paternae benevolentiae Nostrae testem tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 24 Januarii 1876, Pontificatus Nostri Anno Tricesimo.

PIUS PP. IX.

Dilecto Filio Gaspari De Luise
Sacerd. Congr. Piorum Operariorum
Neapolim.

PRAEFATIO

Dominus scientiarum Deus, qui lucem inhabitat inaccessibilem in civitate sancta nova Jerusalem cognoscitur, adoratur. Hanc ipse supra montem aedificavit sanctificationis, et altissima providentia gubernat, suaque potentia defendit. Haec civitas coelestium charismatum ditissima, in immutabilitate doctrinae et auctoritatis instituta, divino splendore coruscans, Ecclesia Catholica est, immaculata, intangibilis, imperitura. Haec regeneratorum perfecta societas divinitus constituta cathedram infallibilis magisterii habet, quam Petrus tenet, et in suis successoribus usque ad consummationem saeculi possidebit. Dominus enim infinite sapiens qui ineunte humanitatis vita locutus est animam innocentem illuminans, quique in die praevaricationis humanae protoparentibus nostris divitias pietatis suae revelavit, et generationibus populi, quem sibi elegit, promissam redemptionis opem confirmavit; idem ipse Deus novissimis diebus caro factus, pacificans per sanguinem suum sive quae in coelis sunt sive quae in terris, huic Ecclesiae, quam instituit, et in charitate perpetua sponsam suam effecit, arcana sapientiae suae manifestavit, et mysteriorum suorum doctrinam tamquam depositum revelationis Petro ejusque successoribus commisit, ut populum acquisitionis infallibili ore pasceret, edoceret; nec non gentes quae in umbra mortis sedent ad vitam, quae est in Christo Jesu, revo-

caret. Ad hanc veritatis cathedram mentes humiliter accedentes illustratae aeterna sapiunt, foecundatae magnalia loquuntur mirabiles effectae, quasi se ipsas trascendunt. Hinc est quod Supremi Pontificis magisterio visae sunt scientiae novo halitu vitae renascentes, doctrinae moralitatis tamquam a fonte bonitatis profluentes et principiis aeternis humanae societates firmatae, artes a verae sublimitatis et pulchritudinis forma inspiratae, quae omnia divinam, ineffabilem, atque indeficientem in Petri cathedra lucem et bonitatem testificantur. Equidem labentibus saeculis viri insipientes vaniloqui et seductores insurrexerunt contra infallibilem Petri sedem, et falsa docentes, et imbecillitati proprio sensui divinas Scripturas injustè detorquentes; et aliquando alii mendaciores verbo veritatis reluctantes multiformes perditionis sectas introduxere, quae vineam Domini Sabaoth demolire usque modo conati sunt; sed cum vox Supremi Apostolatus audita est, vires etherodoxorum enervatae cessarunt, errores dissipati sunt magisteria falsitatis evanuere, populi decepti ad Ecclesiam, veritatis et salutis arcam redierunt, vinea Domini uberiores dedit fructus honoris et honestatis. Romanus Pontifex sive per se, sive in conciliis patrum definiendo intelligentias e tenebris ad lumen sapientiae reduxit, et cordibus pacem mira suavitate redonavit. Revelatio enim a Christi vicario, cui pascendi jus est atque gubernandi gregem in toto terrarum orbe, explicata clarius elucet, fortius congregat, abundantius nutrit, et Dei hostes potentius profligat, prosternit, elidit.

Specimen hujus catholicae sapientiae, quae cunctas haereses interemit, et animas coelesti luce ac supernaturali bonitate vivificavit, in hoc volumine ecclesiasticae offerimus juventuti. Definitiones dogmaticas, quas Romani Pontifices sive

in conciliis sive per se et motu proprio promulgarunt, collegimus, easque iisdem verbis, quibus fuerunt prolatae, referentes et in ordinem redactas faciliorem, non sine animi difficultate, typis mandamus publicae lectioni traditurus. Verum quia multi nostra tempestate studia patrum sanctorum spernentes paganismi philosophos secuti scientiam deturparunt, nos contraria contrariis opponentes, ex scriptis patrum praelectiones theologicas depromptas praeposuimus dogmatum definitionibus, ut religionis Christianae vindicetur auctoritas, qua jure potitur, utpote mater et nutrix scientiarum, cujus lumen mirifica sublimitate in Sanctorum Patrum scriptis emicat et fecunditate magnificatur.

Hanc meam elucubrationem non solum, sed omnia alia volumina, quovis tempore a me typis commissa devoto animo examini, censurae, ac judicio supremae Sedis submitto.

PRAELECTIONES

LIBER PRIMUS

De Deo.

CAPUT I.

DE DEO OMNIUM RERUM CREATORE.

Quod Deus sit, quodque idem rerum sit omnium causa effectrix et conservatrix cum oculi nos docent ipsi, tum lex naturalis.

Oculi: dum illos ad res, quae praeclare compactae sunt et ordine incedunt, immobilique, ut ita dicam, ratione motae feruntur contemplandas convertimus (*a*). Naturae lex: dum ex ipso rerum, quas cernimus et contemplamur, ordine, earum auctorem moderatoremque colligimus. Quomodo enim orbis aut constitisset, aut permaneret, nisi cuncta Deus et effecisset et conservaret? Ac quemadmodum si quis citharae opificem et moderatorem considerabit, ad eum statim cogitatione rapietur, licet ipsum fortasse numquam aspexerit: ita nobis eorum, quae facta sunt auctor et conservator et motor est manifestus, quamvis animo non comprehendatur. Nos qui Dei studio tenemur, nec adduci possumus, ut mundum sine principe et gubernatore credamus esse, ratione ipsa huc impellimur, ut ea, quae sensibus sunt exposita contemplemur, in iisque ab initio repetendis et explorandis immoremur. Verum, quia non est consentaneum, ut illi eorum, quae, quantum ad sensum pertinet, eumdem obtinent honoris gradum, detur principatus, eadem ratione duce, supra conscendimus, atque ita tandem ad eum pervenimus, per quem haec ipsa, ut sint habent, sic enim ipsi nobiscum. Quis coelestibus, terrestribusque rebus, et iis, quae in aëre et aqua versantur, praescripsit hunc ordinem? Immo vero quis ea quae antiquiora sunt nempe coelum et terram, et aërem atque aquae naturam constituit? Quis ea disjunxit? Per quem mutua inter haec societas, consensus et conspiratio? Ego enim virum illum, tametsi alienus est, laudo,

(*a*) Motus universalis a motore universali procedit. Creaturae omnes sunt nobiles, quis ita earum essentias determinavit, nisi qui earum fuit causa effectrix?

qui haec inquit: « Ecquis movet, perpetuoque ac nunquam cessante progressu circumagit? » Nonne eorum auctor atque opifex qui rationem illis inseruit, qua unumquodque fertur atque dirigitur? Quis porro eorum auctor atque opifex, nonne is qui ea fabricatus est, et ut essent perfecit? Neque enim in casu tantam facultatem concedendum est ut causam eorum fateamur extitisse. Quod si id concesserimus, num etiam pulcherrimi hujusce rerum ordinis erit causa? Sed demus id quoque si videtur. Ut eadem autem ratione, qua principio rerum universitas constitit conservetur, nonne ad aliud, quam ad casum referendum est? ad aliud profecto. Ecquid autem erit istud aliud? nihil sane nisi Deus (1).

Quod ex simplicium elementorum terrae, aquae, aëris, ignis permixtione, aut ex corpusculis individuis omnia, quae in mundo sunt, constant, quod genitum est non genito quodque factum effectore, sine ulla dubitatione, tanto praestantius atque praeclarius deprehendetur, quanto simplicibus elementis et corpusculis illis, quae atomos dicunt, homo praecellit. Praeterea quomodo quae natura inter se contraria sunt, aut sine detrimento ad unius orbis perfectionem concurrerunt: aut sine consilio rationeque convenire inter se et congruere potuerunt, aut homini rationem inserere, qua ipsa carent omnino, quippe quae animi ac sensus expertia sint? Quid? nonne oportebat, cui naturae suae plurimum tribuissent qualis est elephas, aut si quod animal elephante majus est, id minoribus animalibus, ut ducem, regemque praestare? Nunc autem homo elephante corporis magnitudine ac robore multis partibus inferior imperat illi propter rationem, qua ab opifice suo plane ditatus est. Jam qui fieri potest ut ex iis qui casu temereque feruntur, consistant ea, quae ordine constituta sunt (2).

Quidquid est, aut creatum est, aut non creatum. Quod creatum est ab alio creatum est omnino. Quod vero non est creatum id creavit ea quae creata sunt. Hoc autem quid aliud erit nisi Deus? Quis ergo res omnes praeter Deum, quae vel ratione, vel sensu comprehenduntur, creatas esse non confitebitur? Quod si creatae sunt, sunt etiam mutabiles. Quae enim mutatione ut essent assecuta sunt, ea profecto aut mutationi sunt obnoxia et corrumpi queunt, qualia sunt quae mundo continentur, aut voluntate possunt ita commutari, ut vel honesta et bona, vel quae his contraria sunt, complectantur, quales sunt angeli et animae (*a*). At Deus qui creatus non est prorsus est immutabilis. Quorum enim essentia diversa est eorum et essentiae ratio contraria. Jam vero non solum res ipsae quas creatas con-

(1) S. Gregorii Theologi ex oratione II de Theologia contra Epicureos.

(2) S. Gregorii Nisseni de libro qui inscribitur " De cognitione Dei. "

(*a*) Nos in alia elucubratione typis emandata cui titulus *Universi Juris Philosophia* a mutabilitate rerum omnium earum contingentiam demonstravimus. Quod contingens est, necessarium non est, poterat non esse. Hinc priusquam fuisset possibile erat omnino. Verum possibile est ideale, et necessario aliquis intellectus quod ideale possibile conceperit recognoscatur oportet. Qui cum fuerit ante omnem realitatem unica essentia et realitas erat hic ideas a se conceptas contingentes libere, cum omnipotens sit, potuit reales efficere, scilicet creare.

spicimus creatorem opificem praedicant suum rerum etiam earum ordo, concentus et conservatio. Quomodo enim contrariae elementorum naturae ad unius orbis perfectionem convenissent, nisi quis eas conciliasset et conjuxisset, et contineret? Aut quomodo praescriptum sibi ab initio ordines nisi aliquis esset eorum rector ac moderator tuerentur et conservarent (1).

Interroga pulchritudinem terrae, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati et diffusi aëris, interroga pulchritudinem coeli, interroga ordinem siderum, interroga solem fulgore suo diem clarificantem, interroga lunam splendore subsequentis noctis tenebras temperantem, interroga animalia quae moventur in aquis, quae morantur in terris, quae volitant in aëre; latentes animas, perspicua corpora; visibilia regenda, invisibiles regentes; interroga ista, respondent tibi omnia: Ecce vide, pulcra sumus. Pulcritudo eorum, confessio eorum. Ista pulcra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher? In ipso denique homine, ut possent intelligere et cognoscere Deum universi mundi creatorem; in ipso, inquam, homine interrogaverunt sapientes gentium haec duo, corpus et animam. Hoc interrogabant quod et ipsi gestabant: videbant corpus, animam non videbant. Sed corpus nisi de animo non videbant. Videbant enim per oculum, sed intus erat qui per fenestras adspiciebat. Denique discedente habitatore, jacet domus: discedente qui regebat, cadit quod regebatur; et quoniam cadit, cadaver vocatur. Nonne, ibi oculi integri? Etsi pateant, nihil vident. Aures adsunt; sed migravit auditor: linguae organum manet; sed abscepit musicus qui movebat.

Interrogaverunt ergo ista duo, corpus quod videtur, animam quae non videtur: et invenerunt melius esse illud quod non videtur, quam illud quod videtur; meliorem animam latentem, deteriorem carnem apparentem. Viderunt ista, intuiti sunt, discusserunt utrumque et viderunt utrumque mutabile in ipso homine. Mutabile corpus per aetates, per corruptiones, per alimenta, per refectiones, per defectiones, per vitam, per mortem. Transierunt ad animam, quam utique comprehenderant meliorem, et etiam invisibilem mirabantur: invenerunt et ipsam mutabilem; modo velle, modo nolle; modo scire, modo nescire; modo meminisse, modo oblivisci; modo timere, modo audere; modo ire in sapientiam, modo in stultitiam deficere. Viderunt et ipsam mutabilem, transierunt et ipsam: quaesierunt enim aliquid immutabile. Sic ergo (philosophi gentium) pervenerunt ad cognoscendum Deum qui fecit per ista quae fecit (2).

Omnes (ergo) visibiles invisibilesque creaturas, vel quidquid rationali mente potest esse particeps incommutabilis veritatis ut angelus, et homo; quid quid vivit et sentit, quamvis careat intellectu, sicut sunt cuncta animalia

(1) S. Joannis Damasceni ratiocinatio, qua Deum esse demonstrat.

(2) S. Augustini Sermo CLI, XII, de resurrectione corporum contra Gentiles.

in terra, in aquis, in aëre gradientia, reptilia, natatilia; quidquid sine intellectu, sine aliquo sensu, quoquo modo dicitur vivere, sicut ea quae radicibus finguntur in terra, et in auras germinando erumpunt atque consurgunt; quidquid sola corpulentia locum occupat, sicut lapis, atque ipsius mundanae molis quaecumque cernuntur vel etiam tanguntur elementa; haec omnia fecit Omnipotens, mediis ima et summa conjungens, et universa quae creavit locis congruis temporibusque disponens. Fecit autem non ex aliqua materie, quam ipse non fecit. Non enim aliena formavit, sed ipse quod formaret instituit. Qui enim dicit quod aliquid facere de nihilo non potuerit quomodo credit quod Omnipotens fecerit. Sine dubio quippe negat Omnipotentem qui dicit quod mundum Deus facere non posset, nisi eum materies quam ipse non istituit adjuvaret? Ab his igitur opinionibus et erroribus purget animum qui credit in omnipotentem Deum. Illa enim quae dicitur informis rerum materies, formarum capax et subjecta operi creatoris, in omnia est convertibilis, quae placuerit facere creatori. Non eam Deus velut sibi coaeternam, unde mundum fabricaret invenit; sed eam ipse ex omnino nihilo, cum rebus, quas de illa fecit, instituit. Non fuit ipsa ante res, quae factae videntur, Omnipotens ex nihilo primitus cuncta fecit cum quibus fecit pariter unde fecit. Materies itaque coeli et terrae, sicut haec in principio sunt creata, simul cum ipsis est creata: nec fuit unde fierent quae Deus in principio fecit et tamen facta sunt quae Omnipotens fecit, quae facta composuit, implevit ornavit (1).

CAPUT II.

DE FALSIS UNIVERSI ORBIS PRINCIPIIS, ET CREATIONIS AETERNITATE ABSURDA.

Thales, ut successores etiam propagaret, rerum naturam scrutatus suasque disputationes libris mandans emicuit; maximeque admirabilis exstitit, quod astrologiae numeris comprehensis defectus solis et lunae etiam praedicere potuit. Aquam tamen putavit rerum esse principium, et hinc omnia elementa mundi ipsumque mundum et quae in eo gignuntur existere. Nihil autem huic operi, quod mundo considerato tam admirabile adspicimus, ex divina mente praeposuit. Huic successit Anaximander ejus auditor, mutavitque de rerum natura opinionem. Non enim ex una re, sicut Thales ex humore, sed ex suis propriis principiis quasque res nasci putavit. Quae rerum principia singularum esse credidit infinita, et innumerabiles mundos gignere, et quaecumque in eis oriuntur, eosque mundos modo dissolvi, modo iterum gigni existimavit, quanta quisque aetate sua manere potuerit; nec ipse aliquid divinae menti in his rerum operibus tribuens. Iste Anaximenem discipulum et successorem reliquit: qui omnes rerum causas infinito aëri dedit: nec deos negavit aut tacuit: non tamen ab ipsis aërem factum,

(1) S. Aug. Sermo CCXIV in traditione Symboli.

sed ipsos ex aëre ortos credidit. Anaxagoras vero ejus auditor, harum rerum omnium, quas videmus, effectorem divinum animum sensit: et dixit ex infinita materia, quae constaret dissimilibus inter se particulis rerum omnium quibusque suis et propriis singula fieri, sed animo faciente divino. Diogenes quoque Anaximenis alter auditor, aërem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent; sed eum esse compotem divinae rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset. Anaxagorae successit auditor ejus Archelaus; etiam ipse de particulis inter se dissimilibus, quibus singula quaeque fierent, ita omnia constare putavit, ut inesse etiam mentem, quae corpora aeterna, idest illas particulas conjungendo et dissipando ageret omnia (1).

Quidam (ex his) a rebus non vivis res vivas fieri posse crediderunt, sic ut Epicurei. Quidam vero a vivente quidem et viventia et non viventia sed tamen a corpore corpora. Nam stoici ignem idest, corpus unum ex his quatuor elementis, quibus visibilis mundus hic constat, et viventem et sapientem, et ipsius mundi fabricatorem atque omnium, quae in eo sunt, eumque omnino ignem Deum esse putaverunt. Hi et caeteri similes eorum, id solum cogitare potuerunt, quod cum eis corda eorum obstricta carnis sensibus fabulata sunt. In se quippe habebant quod non videbant, et apud se imaginabantur quod foris viderant, etiam quando non videbant, sed tantummodo cogitabant. Hoc autem in conspectu talis cogitationis jam non est corpus, sed similitudo corporis. Illud autem unde videtur in animo haec similitudo corporis, nec corpus est, nec similitudo corporis; et unde videtur, atque utrum pulcra an deformis sit indicatur, profecto est melius quam ipsa quae indicatur.

Haec mens hominis et rationalis animae natura est, quae utique corpus non est; si jam illa corporis similitudo, cum in animo cogitantis adspicitur atque indicatur, nec ipsa corpus est. Non est ergo, nec terra, nec aqua, nec aër, nec ignis: quibus quatuor corporibus, quae dicuntur elementa quatuor, mundum corporeum videmus esse compactum. Porro si noster animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est? Cedant isti; et illi quos quidem puduit dicere Deum corpus esse, verumtamen ejusdem naturae cujus ille est animos nostros esse putaverunt. Ita non eos movit tanta mutabilitas animae, quam Dei naturae tribuere nefas est. Sed dicunt: corpore mutatus animae natura, nam per seipsam incommutabilis est. Poterant isti dicere: corpore aliquo vulneratur caro, nam per seipsam invulnerabilis est. Prorsus quod mutari non potest, nulla re potest; ac per hoc quod corpore mutari potest, aliqua re potest, et de eo incommutabile recte dici non potest (2).

Qui dicunt mundum aeternum sine ullo initio, et ideo nec a Deo factum videri volunt, nimis accersi sunt a veritate, et letali morbo impietatis insaniunt. Exceptis enim propheticis

(1) S. August. de Civ. Dei, lib. VIII, cap. II.

(2) S. Aug. de Civ. Dei, lib. VIII, cap. V.

vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate et mobilitate, et visibilium omnium pulcherrima specie quodam modo tacitus et factum se esse, et non nisi a Deo ineffabiliter, atque invisibiliter pulcro fieri se potuisse proclamat. Qui autem a Deo quidem factum fatentur, non tamen eum volunt temporis habere, sed suae creationis initium, ut modo quodam vix intelligibili semper sit factus, dicunt quidem aliquid, unde sibi Deum videntur, velut a fortuita temeritate defendere, ne subito illi venisse credatur in mentem, quod numquam ante venisset, facere mundum, et accidisse illi voluntatem novam, cum in nullo sit omnino mutabilis: sed non video quomodo eis possit in caeteris rebus ratio ista subsistere, maximeque in anima, quam si Deo coaeternam esse contenderint, unde illi acciderit nova miseria, quae numquam antea per aeternum, nullo modo poterunt explicare. Si enim alternasse semper ejus miseriam et beatitudinem dixerint, necesse est dicant etiam semper alternare naturam; unde illa eos sequetur absurditas, ut etiam cum beata dicitur, in hoc utique non sit beata, si futuram suam miseriam et turpitudinem praevidet; si autem non praevidet, nec se turpem ac miseram fore, sed beatam semper existimat falsa opinione sit beata: quo dici stultius nihil potest. Si autem semper quidem per saecula retro infinita cum beatitudine alternasse animae miseriam putant, sed nunc jam de coetero cum fuerit liberata, ad miseriam non esse reddituram, nihilo minus convincuntur numquam eam fuisse vere beatam, sed deinceps esse incipere nova quadam nec fallaci beatitudine; ac per hoc fatebantur accidere illi aliquid novi, et hoc magnum atque praeclarum, quod numquam retro per aeternitatem accidisset. Cujus novitatis causam si Deum negabunt in aeterno habuisse consilio, simul eum negabunt beatitudinis ejus auctorem, quod nefandae impietatis est: si autem dicent etiam ipsum novo consilio excogitasse, ut de caetero sit anima in aeternum beata, quomodo eum alienum ab ea, quae illis quoque displicet, mutabilitate monstrabunt? Porro si ex tempore creatam, sed nullo ulterius tempore perituram, tamquam numerum, habere initium sed non habere finem fatentur, et ideo semel expertum miserias, si ab eis fuerit liberata, numquam miseram postea futuram non utique dubitabunt hoc fieri manente incommutabilitate consilii Dei. Sic ergo credant et mundum ex tempore fieri potuisse, nec tamen ideo Deum in eo faciendo aeternum consilium voluntatemque mutasse (1).

Si infinita spatia temporis ante mundum cogitant in quibus eis non videtur Deus ab opere cessare potuisse, similiter cogitent extra mundum infinita spatia locorum in quibus si quisquam dicat non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit ut innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogantur; ea tamen differentia, quod eos ille fortuitis motibus atomorum gigni asserit et resolvi, isti autem opere Dei factos dicturi sunt, si eum per inter-

(1) S. Aug. de Civ. Dei, lib. XI, cap. IV.

minabilem immensitatem locorum extra mundum, circumquaque patentium vacare noluerint, nec eosdem mundos, quod etiam de isto sentiunt ulla causa posse dissolvi? Cum his enim agimus qui et Deum incorporeum, et omnium naturarum quae non sunt quod ipse, creatorem nobiscum sentiunt; alios autem nimis indignum est ad istam disputationem religionis admittere: maxime quod apud eos qui multis diis sacrorum obsequium deferendum putant, isti philosophos caeteros nobilitate atque auctoritate vicerunt, non ob aliud, nisi quia longo quidem intervallo, verumtamen reliquis propinquiores sunt veritati. An forte substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed eam sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea praesentia ubique totam, a tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, et uno tantum atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est occupatam? Non opinor eos in haec vaniloquia progressuros. Cum igitur unum mundum ingenti quidem mole corporea, finitum tamen et loco suo determinatum, et operante Deo factum esse dicant: quod respondent de infinitis extra mundum locis, cur in eis ab opere Deus cessaverit. Et sicut non est consequens, ut fortuito potius quam ratione divina Deus, non alio, sed isto in quo est loco, mundum constituerint, cum pariter infinitis ubique patentibus nullo excellentiore merito posset hic eligi, quamvis eamdem divinam rationem qua id factum est, nulla possit humana (ratiò) comprehendere: ita non est consequens ut Deo aliquid existimemus accidisse fortuitum, quod illo potius quam anteriore tempore condidit mundum, cum aequaliter anteriora tempora per infinitum retro spatium praeterissent, nec fuisset aliqua differentia unde tempus tempori eligendo praeponeretur. Quod si dicunt inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit praeter mundum: respondetur eis, isto modo inaniter homines cogitare praeterita tempora vacationis Dei, cum nullum tempus sit ante mundum (1).

CAPUT III.

DE TEMPORE ET AETERNITATE.

Si recte discernuntur aeternitas et tempus quod tempus sine aliqua mobili mutabilitate non est; in aeternitate enim nulla mutatio est; quis non videat quod tempora non fuissent nisi creatura fieret, quae aliquid aliqua mutatione mutaret; cujus motionis et mutationis cum aliud atque aliud, quae simul esse non possunt: cedit atque succedit in brevioribus vel productioribus morarum intervallis tempus sequeretur? Cum igitur Deus, in cujus aeternitate nulla est omnino mutatio, creator sit temporum et ordinator, quomodo dicatur post temporum spatia mundum creasse, non video; nisi dicatur ante mundum jam aliquam fuisse creaturam, cujus motibus tempora currerent.

(1) De Civ. Dei, lib. XI, cap. V.

Porro si litterae sacrae, maximaeque veraces ita dicunt, in principio fecisse Deum coelum et terram, ut nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cetera cuncta quae fecit; procul dubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore (1).

Ego quidem sicut Dominum Deum aliquando Dominum non fuisse dicere non audeo, ita hominem numquam antea fuisse, et ex quodam tempore primum hominem creatum esse dubitare non debeo. Sed cum cogito cujus rei Dominus semper fuerit, si semper creatura non fuit affirmare aliquid pertimesco: quia et meipsum intueor et scriptum esse recolo. Quis hominum potest scire consilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Dominus? cogitationes enim mortalium timidae et incertae adinventiones nostrae. Corruptibile enim corpus aggravat animam et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Ex his igitur quae in hac terrena inhabitatione multa cogito (ideo utique multa, quia unum quod ex illis vel praeter illa quod forte non cogito verum est, invenire non possum), si dixero, semper fuisse creaturam, cujus Dominus esset, qui semper est Dominus, nec Dominus numquam fuit; sed nunc illam, nunc aliam, per alia atque alia temporum spatia, ne aliquem Creatori coaeternam esse dicamus, quod fides, ratioque sana condemnat: cavendum est, ne sit absurdum, et a luce veritatis alienum, mortalem quidem per vices temporum semper fuisse creaturam decedentem aliam, aliam succedentem, immortalem vero non esse coepisse, nisi cum ad nostrum saeculum ventum est, quando et angeli creati sunt, si eos recte lux illa primum facta significat, aut illud potius coelum de quo dictum est. In principio fecit Deus coelum et terram: cum tamen non fecerint, ante quam fierent, ne immortales si semper fuisse dicantur, Deo coaeterni esse credantur. Si autem dixero, non in tempore creatos angelos sed ante omnia tempora facti sunt, utrum semper potuerint esse qui facti sunt. Hic respondendum forte videatur. Quomodo non semper cum id quod est omni tempore non inconvenienter semper esse dicatur. Usque adeo autem tempora facti sint si tamen a coelo coepta sunt tempora, et illi jam erant ante coelum. At si tempus non a coelo, verum et ante coelum fuit; non quidem in horis et diebus et mensibus et annis (nam istae dimensiones temporalium spatiorum quae usitate et proprie dicuntur tempora, manifestum est quod a motu syderum coeperint; unde et Deus, cum haec institueret, dixit. Et sint in signa, et in tempora, et in dies et in annos); sed in aliquo mutabili motu, cujus aliud prius aliud posterius praeterierit, eo quod simul esse non possunt: si ergo ante coelum in angelicis motibus tale aliquid fuit, et ideo tempus fuit, atque angeli ex quo facti sunt temporaliter movebantur; etiam sic omni tempore fuerunt, quando quidem cum illis facta sunt tempora. Quis autem dicat, non sem-

(1) De Civit. Dei, lib. XI, cap. VI.

per fuit, quod omni tempore fuit? Sed si hoc respondero, dicetur mihi: Quomodo ergo non sunt coaeterni Creatori si semper ille, semper illi fuerunt? Quomodo etiam creati dicendi sunt si semper fuisse intelliguntur? Ad hoc quid respondebitur? An dicendum est, et semper fuisse, quoniam omni tempore fuerunt, qui cum tempore facti sunt, aut cum quibus tempora facta sunt, et tamen creatos? Neque enim et ipsa tempora creata esse negabimus, quamvis omni tempore fuit tempus, erat ergo tempus, quando nullum erat tempus? Quis hoc stultissimus dixerit? Possumus enim recte dicere: erat tempus quando non erat Roma; erat tempus quando non erat Jerusalem; erat tempus quando non erat Abraham; erat tempus quando non erat homo; et si quid hujusmodi: postremo si non cum initio temporis, sed post aliquot tempus factus est mundus; possumus dicere: Erat tempus quando non erat mundus. At vero, erat tempus, quando nullum erat tempus, tam inconvenienter dicimus, ac si quisquam dicat. Erat homo, quando nullus erat homo; aut erat iste mundus, quando iste non erat mundus. Si enim de alio atque alio intelligatur, potest dici aliquo modo, hoc est. Erat alius homo quando non erat iste homo. Sic ergo, Erat aliud tempus quando non erat hoc tempus recte possumus dicere: at vero Erat tempus, quando nullum erat tempus, quis vel insipientissimus dixerit? Sicut ergo dicimus creatum tempus, cum ideo semper fuisse dicatur, quia omni tempore tempus fuit: ita non est consequens, ut si semper fuerunt angeli, ideo non sint creati, ut propterea semper fuisse dicantur, quia omni tempore fuerunt, et propterea omni tempore fuerunt, quia nullo modo sine his ipsa tempora esse potuerunt. Ubi enim nullum creatum est, cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omnino esse non possunt. Ac per hoc et si semper fuerunt, creati sunt: nec si semper fuerunt, ideo creatori coaeterni sunt. Ille enim semper fuit aeternitate immutabili: isti autem facti sunt; sed ideo semper fuisse dicuntur, quia omni tempore fuerunt sine quibus tempora nullo modo esse potuerunt: tempus autem quoniam mutabilitate transcurrit, aeternitati immutabili non potest esse coaeternum. Ac per hoc etiamsi immortalitas angelorum non transit in tempore, nec praeterita est quasi jam non sit, nec futura quasi nondum sit, tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in praeteritum transeunt: et ideo Creatori, in cujus motu dicendum non est vel fuisse quod jam non sit, vel futurum esse quod nondum sit, coaeterni esse non possunt (1).

Quapropter si Deus semper dominus fuit, semper habuit creaturam suo dominatui servientem: verumtamen non de ipso genitam, sed ab ipso de nihilo factam; nec ei coaeternam: erat quippe ante illam, quamvis nullo tempore sine illa; non eam spatio transcurrente, sed manente perpetuitate praecedens (2).

Illud quoque non dubito ante quam

(1) S. Aug. de Civit. Dei, lib. XII, cap. XV.
(2) Ibid.

primus homo creatus esset, numquam quemquam hominem fuisse: nec eumdem ipsum, nescio quibus circumitibus, nescio quoties revolutum, nec alium aliquem natura similem. Neque ab hac fide me philosophorum argumenta deterrent, quorum acutissimum illud putatur, quod dicunt nulla infinita ulla scientia posse comprehendi, ac per hoc Deus, inquiunt, rerum quas facit omnium finitarum omnes finitas apud se rationes habet. Bonitas autem ejus numquam vacua fuisse credenda est, ne sit temporalis ejus operatio, cujus retro fuerit aeterna cessatio, quasi poenituerit eum prioris sine initio vacationis, ac propterea sit operis aggressus initium. Et ideo necesse est, inquiunt, eadem semper repeti, eademque semper repetenda transcurrere; vel manente mundo mutabiliter, qui licet numquam non fuerit et sine initio temporis tamen factus est; vel ejus quoque ortu et occasu semper illis circumitibus repetito, semperque repetendo, ne videlicet, si aliquando primum Dei opera coepta dicantur, priorem suam sine initio vacationem tamquam inertem ac desidiosam et ideo sibi displicentem damnasse quōdam modo, atque ob hoc mutasse credatur. Si autem semper quidem temporalia sed alia atque alia perhibetur operatus, ac sic aliquando etiam ad hominem faciendum, quem numquam antea fecerat pervenisse non scientia, qua putant non posse quaecumque infinita comprehendi sed quasi ad horam, sicut veniebat in mentem, fortuita quadam inconstantia videatur fecisse quae fecit. Porro si illi circumitus admittantur, inquiunt quibus vel manente mundo, vel ipso quoque revolubiles ortus suos et occasus eisdem circumitibus inserente, eadem temporalia repetuntur, nec ignavum otium, praesertim tum longae sine initio diuturnitatis Deo tribuitur, nec improvida temeritas operum suorum. Quoniam si non eadem repetuntur non possunt infinita diversitate variata ulla ejus scientia vel praescientia comprehendi. Has argumentationes quibus impii nostram simplicem pietatem et cum illis in circumita ambulemus, de via recta conantur avertere, si ratio refutare non posset, fides irridere deberet. Huc accedit, quod in adjutorio Domini Dei nostri hos volubiles circulos, quos opinio contingit, ratio manifesta confringit. Hinc enim maxime isti errant ut in circumitu falso ambulare, quam vero et recto itinere malint, quod mentem divinam omnino immutabilem cujuslibet infinitatis capacem, et innumera omnia sine cogitationis alternatione numerantem, de sua humana, mutabili, angustaque metiuntur. Et fit illis quod ait Apostolus: « Comparantes enim semetipsos sibimetipsis non intelligunt (1). »

Nam quia illis quidquid novi faciendum venit in mentem, novo consilio faciunt (mutabiles quippe mentes gerunt), profecto non Deum, quem cogitare non possunt; sed semetipsos pro illo cogitantes, non illum, sed se ipsos, nec illi, sed sibi comparant. Nobis autem fas non est credere, aliter Deum affici cum vacat aliter

(1) 2 Cor. x, 12.

cum operatur: quia nec affici dicendus est, tamquam in ejus natura fiat aliquid, quod non ante fuerit. Patitur quippe qui afficitur, et mutabile est omne quod aliquid patitur. Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia inertia: sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, et agens quiescere. Potest ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibere consilium; nec poenitendo quia prius cessaverat, coepit facere quod non fecerat. Sed et si prius cessavit, et posterius operatus est (quod nescio quemadmodum ab homine possit intelligi); hoc procul dubio quod dicitur, prius et posterius, in rebus prius non existentibus et posterius existentibus fuit. In illo autem non alteram praecedentem altera subsequens mutavit aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna et immutabili voluntate res quas condidit, et ut prius non essent egit, quam diu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse coeperunt: hinc eis qui talia videre possunt, mirabiliter fortassis extendens quam non eis indiguerit, sed eas gratuita bonitate condiderit, cum sine illis ex aeternitate initio carente in non minore beatitate permansit (1).

CAPUT IV.

DE REVELATIONE.

Cum res tanta sit ut Deus tibi, (homo) ratione cognoscendus sit, omnes putas idoneos esse percipiendis rationibus, quibus ad divinam intelligentiam mens ducitur humana, an plures, an paucos? Paucos ais existimo. Horumne in numero esse te credis? Non est meum, inquis, hoc respondere. Illius ergo putas, etiam hoc tibi credere: quod quidem facit. Tu tantum memento, jam cum his credidisse tibi incerta dicenti: te illi religiose admonenti ne semel quidem velle credere. Verum fac ita esse, et vero animo te ad accipiendam religionem accedere, et ita paucorum te esse hominum, ut rationes, quibus ad certam cognitionem vis divina perducitur, capere, possis: quid ceteris hominibus, qui tam sereno ingenio praediti non sunt, negandam religionem putas? An eos pedetentium quibusdam gradibus ad illa summa penetralia esse ducendos? Vides plane quid sit religiosius. Neque enim tibi quivis homo in rei tantae cupiditate ullo modo deserendus aut respuendus videri potest. Sed nonne censes, nisi primo credat se ad id quod instituit perventuram, mentemque supplicem praebeat, et quibusdam magnis necessariisque praeceptis obtemperans quadam vitae actione perpurget, non eum esse aliter illa quae pure vera sunt adepturum? Censes profecto. Quid ergo istis quorum de genere te esse jam credo, qui facillime divina secreta ratione certa capere possunt, si hac via veniunt, qua illi qui primitus credunt, numquid tandem oberit? Non arbitror. Sed tantum ais, quid eos morari opus est? Quia etsi facto sibi nihil nocebunt, nocebunt tamen exemplo ceteris. Vix enim qui de se tantum sentiat, quantum po-

(1) S. Aug. de Civ. Dei, lib. XII. cap. XVI et XVII.

test: sed qui minus excitandus est; qui amplius reprimendus est; ut neque ille desperatione frangatur, neque iste praecipitetur audacia. Quod facile fit, si etiam ii, qui valent volare, ne cui sint periculoso invitamento paulisper cogantur incedere, qua etiam ceteris tutum est. Haec est providentia verae religionis hoc ipsum divinitus, hoc a beatis majoribus traditum, hoc ad nos usque servatum: hoc perturbare velle atque pervertere, nihil est aliud quam ad veram religionem sacrilegam viam quaerere. Quod qui faciunt, nec si eis concedatur quod volunt, possunt quo intendunt pervenire. Cujusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt. Tunc autem adest si societatis humanae in Deum tendentibus cura sit. Quo gradu, nihil firmius in coelum reperiri potest. Ego quidem huic rationi non possum resistere; nam nihil sine cognitione esse credendum; quid possum dicere? Cum et amicitia nisi aliquid credatur quod certa ratione demonstrari non potest, nulla sit, et saepe dispensatoribus servis sine ulla culpa dominorum credatur. In religione vero quid iniquius fieri potest, quam ut Dei antistites nobis non fictum animum pollicentibus credant, nos ejus praecipientibus nolimus credere? Postremo quae potest esse via salubrior, quam idoneum primo fieri percipiendae veritatis, adhibendo iis fidem, quae ad praecolendum et ad praecurandum animum sunt divinitus constituta? Aut si jam prorsus idoneus sis, circuire potius aliquantum, qua tutissimum est ingredi, quam et tibi esse auctorem periculi, et caeteris temeritatis exemplum (1)?

Haec est saluberrima auctoritas, haec prius mentis nostrae a terrena inhabitatione suspensio, haec in Deum verum ab hujus mundi amore conversio. Sola est auctoritas, quae commovet stultos, ut ad sapientiam festinent. Quamdiu intelligere sincera non possumus, auctoritate quidem decipi miserum est: sed certe miserius non moveri. Si enim Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimae pulchritudinis fonte manare credendum est, et interior nescio quae conscientia Deum quaerendum, Deoque serviendum meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur; non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes attollamur in Deum. Haec autem, seposita ratione, quam sinceram intelligere difficillimum stultis est dupliciter nos movet partim miraculis, partim sequentium multitudine. Nihil harum est necessarium sapienti: quis negat? Sed id nunc agitur ut sapientes esse possimus, id est inhaerere veritati: quod profecto sordidus animus non potest. Sunt autem sordes animi amor quarumlibet rerum, praeter animum et Deum: a quibus sordibus quanto est quis purgatior tanto verum facilius intuetur. Verum igitur videre velle, ut animum purges, cum ideo purgetur ut videas, perversum est certe atque praeposte-

(1) Aug. Liber de util. cred., cap. x.

rum. Homini ergo non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique se sinat auctoritas praesto est: quam partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit. Miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem minantis apparet. In quo genere nihil est populis aptius et omnino stultis hominibus quam id quod sensibus admovetur. Sed rursus haec in duo dividuntur: quaedam enim sunt quae solam faciunt admirationem: quaedam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi praeter ipsum spectaculum miratur tantummodo. Si quis autem gravi et desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit convalescat, admirationem sanitatis suae, sanantis etiam caritate superabit. Talia facta sunt in illo tempore quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, caecis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt: ita quaedam corpori manifestiore beneficio, quaedam vero menti occultiore signo, et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant: sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas (1).

Parum ne vero consultum rebus humanis arbitraris quod nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensus attingit pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est non pauci doctissimi disputant sed imperitum etiam vulgus marium faeminarumque in tam multis diversisque gentibus et credit et praedicat? Quod continentia usque ad tenuissimum victum panis et aquae et non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies perpetuata jejunia; quod castitas usque ad conjugii prolisque contemptum, quod patientia usque ad cruces flammasque neglectas, quod liberalitas usque ad patrimonia distributa pauperibus; quod denique totius hujus mundi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur? Pauci haec faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt; sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremo populi: populi suam imbecillitatem quod ista non possunt, nec sine provectu in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis, accusant. Hoc factum est divina providentia per prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi per apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes per sanctorum praedicabilem vitam atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cum igitur tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiae condere gremio quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim

(1) S. Aug. Lib. de util. cred., cap. XVI.

etiam miraculorum majestate, damnatis culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praeceptis arrogantiae. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi praecolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino quam tanto robore praeditae auctoritati velle resistere? Et si unaquaeque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros, et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare (1)?

Magnum est et admodum rarum universam creaturam corpoream et incorpoream consideratam compertamque mutabilem intentione mentis excedere, atque ad immutabilem Dei substantiam pervenire, et illic discere ex ipso, quod cunctam naturam, quae non est quod ipse, non fecit nisi ipse. Sic enim Deus cum homine non per aliquam creaturam loquitur corporalem corporalibus instrepens auribus, ut inter sonantem et audientem aeria s patia verberentur; neque per ejusmodi spiritalem quae corporum similitudinibus figuratur, sicut in somnis vel quo alio tali modo: nam et sic velut corporis auribus loquitur, quia velut per corpus loquitur et velut interposito corporalium locorum intervallo; multum enim similia sunt talia visa corporibus: sed loquitur ipsa veritate, si quis sit idoneus ad audiendum mente, non corpore. Ad illud enim hominis ita loquitur, quod in homine ceteris, quibus homo constat est melius, et quo ipse Deus solus est melior. Cum enim homo rectissime intelligatur, vel si hoc non potest, saltem credatur factus ad imaginem Dei; profecto ea sui parte est propinquior superiori Deo, qua superat inferiores partes suas, quas etiam cum pecoribus communes habet, sed quia ipsa mens, cui ratio et intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis et veteribus invalida est, non solum ad inhaerendum fruendo, verum etiam ad perferendum incommutabile lumen, donec de die in diem renovata atque sanata fiat tantae felicitatis capax, fide primum fuerat imbuenda atque purganda. In qua ut fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus Dei Filius homine assumpto, non Deo consumpto, eamdem constituit atque fundavit fidem ut ad hominis Deum iter esset homini per hominem Deum. Hic est enim mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Per hoc enim mediator, per quod homo, per hoc et via. Quoniam si inter eum qui tendit, et illud quo tendit, via media est, spes est perveniendi: si autem desit, aut ignoretur qua eumdum sit, quid prodest nosse quo eumdum sit? Sola est autem adversus errores via munitissima, ut idem ipse sit Deus et homo, quo itur Deus, quo itur homo (2).

Hic prius per prophetas, deinde per se ipsum, postea per apostolos, quantum satis esse indicavit, locutus, etiam scripturam condidit, quae canonica nominatur, eminentissimae

(1) S. Aug. Ibid. cap. VII.

(2) S. Aug. de Civit. Dei, lib. II, cap. II.

auctoritatis cui fidem habemus de his rebus quas ignorare non expedit, nec per nosmetipsos nosse idonei sumus. Nam si ea sciri possunt testibus nobis, quae remota non sunt a sensibus nostris, sive interioribus, sive exterioribus; unde et praesentia nuncupatur, quod ita ea dicimus esse prae sensibus, sicut prae oculis quae praesto sunt oculis. Profecto ea quae remota sunt a sensibus nostris quoniam nostro testimonio scire non possumus de his alios testes requirimus, eisque credimus a quorum sensibus remota esse, vel fuisse non credimus. Sicut ergo de visibilibus, quae non vidimus, eis credimus qui viderunt, atque ita de caeteris, quae ad suum quemque sensum corporis pertinent: ita de his quae animo ac mente sentiuntur (quia et ipse rectissimae dicitur sensus, unde et sententia vocabulum accepit), hoc est, de invisibilibus quae a nostro sensu interiore remota sunt, iis nos oportet credere, qui haec in illo incorporeo lumine disposita didicerunt, vel manentia contuentur (1).

Gens illa, ille populus, illa civitas, illa respublica, illi Israëlitae quibus credita sunt eloquia Dei, nullo modo pseudoprophetas cum veris prophetis pari licentia confuderunt: sed concordes inter se, atque in nullo dissentientes, sacrarum litterarum veraces ab eis agnoscebantur et tenebantur auctores. Ipsi eis erant philosophi, hoc est amatores sapientiae, ipsi sapientes, ipsi theologi, ipsi prophetae, ipsi doctores probitatis atque pietatis. Quicumque secundum illos sapuit et vixit, non secundum homines, sed secundum Deum, qui per eos locutus est sapuit et vixit. Ibi si prohibitum est sacrilegium, Deus prohibuit. Si dictum est « Honora patrem tuum et matrem tuam » Deus jussit. Si dictum est « Non moechaberis, non homicidium facies, non furaberis » et caetera hujusmodi, non haec ora humana, sed oracula divina fuderunt. Quidquid philosophi quidam inter falsa, quae opinati sunt, verum videre potuerunt, et laboriosis disputationibus persuadere moliti sunt, quod mundum istum fecerit Deus, eumque ipse providentissimus administret, de honestate virtutum, de amore patriae, de fide amicitiae, de bonis operibus atque omnibus ad mores probos pertinentibus rebus, quamvis nescientes ad quem finem, et quonam modo essent ista omnia referenda, propheticis, hoc est divinis vocibus, quamvis per homines in illa civitate populo commendata sunt non argumentationum concertationibus inculcata; ut non hominis ingenium, sed Dei eloquium contemnere formidaret, qui illa cognosceret (2).

Quisquis alienigena idest non ex Israël progenitus, nec ab illo populo in canonem sacrarum litterarum receptus, legitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram notitiam venit, aut venerit, ad cumulum a nobis commemorari potest: non quo necessarius sit, etiam si desit, sed quia non incongrue creditur fuisse, et in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est, et qui hoc etiam praedicere impulsi sunt, sive

(1) S. Aug. de Civ. Dei, lib. xi, cap. ii.

(2) S. Aug. de Civit. Dei. lib. xviii, cap. xli.

participes ejusdem gratiae fuerint, sive expertes, sed per malos angelos docti sunt, quos etiam praesentem Christum, quem Judaei non agnoscebant, scimus fuisse confessos. Nec ipsos Judaeos existimo audere contendere neminem pertinuisse ad Deum, praeter Israëlitas, ex quo propago Israël esse coepit, reprobato ejus fratre majore. Populus enim, re vera, qui proprie Dei populus diceretur, nullus alius fuit: homines autem quosdam non terrena, sed coelesti societate ad veros Israëlitas supernae cives patriae pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse negare non possunt: quia si negant, facillime convincuntur de sancto et mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, idest, advena populi Israël fuit; sed ex gente Idumaea genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est; qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coaequetur. Quae tempora ejus quamvis non inveniamus in chronicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro sui merito Israëlitae in auctoritatem canonicam receperunt tertia generatione posteriorem fuisse quam Israël. Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt pertinentes ad spiritalem Israël. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: qui venturus in carne, sic antiquis sanctis praenuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque per ipsum fides omnes in Dei civitatem, Dei domum, Dei templum praedestinatos perducat ad Deum. Sed quaecumque aliorum prophetiae de Dei per Christum Jesum gratia proferuntur, possunt putari a Christianis esse confictae. Ideo nihil est firmius ad convincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostrosque faciendos, si recte sapuerint, quam ut divina praedicta de Christo ea proferantur, quae in Judaeorum scripta sunt codicibus: quibus avulsis de sedibus propriis, et propter hoc testimonium toto orbe dispersis, Christi usquequaque crevit Ecclesia (1).

Si hodie quisque valens alicujus verba indicare; dicat nomen alterius a quo dicta non sint, qui tamen sit amicissimus familiaritate conjunctissimus illi, cujus verba dicere voluit; et continuo recordatus alium pro alio se dixisse, ita se colligat atque corrigat, ut tamen dicat « bene dixi; » quid aliud intuens nisi tantam inter ambos esse concordiam, inter illum scilicet cujus verba dicere voluit, et alium cujus ei nomen pro illius nomine occurrit, ut tale sit hoc istum dixisse, quale si ille dixisset? Quanto magis hoc de prophetis sanctis intelligendum et maxime commendandum fuit, ut omnium libros tanquam unius unum librum acciperemus in quo nulla rerum discrepantia crederetur, sicut nulla inveniretur et in quo major esset constantia veritatis, quam si omnia illa unus homo quamlibet doctissimus loquere-

(1) S. Aug. de Civ. Dei, lib. XVIII, cap. XLVII.

tur? Quod ergo hinc argumentum sumere conantur vel infideles, vel imperiti homines, quasi ad ostendendam dissonantiam sanctorum Evangelistarum, hoc potius debent assumere fideles et docti ad ostendendam unitatem sanctorum etiam prophetarum (1).

Quid potuit pro salute nostra fieri amplius? Quid liberalius divina providentia dici potest, quae a legibus sui hominem lassum et propter cupiditatem rerum mortalium jure ac merito mortalem sobolem propagantem non omnino deseruit? Habet enim potestas illa justissima miris et incomprehensibilibus modis, per quasdam sacratissimas successiones rerum sibi servientium, quas creavit, et severitatem vindicandi, et clementiam liberandi. Quod quidem quam sit pulcrum, quam sit magnum, quam Deo dignum, quam postremo id quod quaeritur verum, nequaquam intelligere poterimus, nisi ab humanis et proximis incipientes, verae religionis fide praeceptisque servatis, non deseruerimus viam, quam nobis Deus, et Patriarcharum segregatione, et legis vinculo, et Prophetarum presagio et suscepti hominis sacramento, et Apostolorum testimonio, et martyrum sanguine et Gentium occupatione munivit (2).

Erit divinarum scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, et si nondum intellectu, jam tamen lectione, dumtaxat eas quae appellantur canonicae (3). Ecclesia canonem scripturarum jus habet exclusivum condendi, nec non genuinum scripturarum sensum, et earum statuere authenticam versionem. « Aliud autem est ipsos libros non accipere, et nullo eorum vinculo detineri, quod Pagani de omnibus libris nostris, quod Judaei de novo Testamento faciunt, quod denique nos ipsi de canone haereticorum. Si quos suos et proprios habent, vel de iis qui appellantur apocryphi: non quod habendi sint in aliqua auctoritate secreta, sed quia nulla testificationis luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum praesumptione prolati sunt. Aliud est ergo auctoritate aliquorum vel hominum non teneri, et aliud est dicere. « Iste quidem vir sanctus omnia vera scripsit, et ista epistola ipsius est, sed in ea ipsa hoc ejus est, hoc non est ejus.» Ubi cum ex adverso audieris, proba, non confugias ad exemplaria veriora, vel plurium codicum vel antiquorum, vel linguae praecedentis unde hoc in aliam linguam interpretatum est: sed dicas: « Inde probo hoc illius esse, illud non esse, quia hoc pro me sonat, illud contra me.» Tu es ergo regula veritatis? Quidquid contra te fuerit non est verum? Quid si alius simili insania, sed tamen qua tua duritia confringatur, existat et dicat: Immo illud quod te sonat falsum est; hoc autem quod contra te est verum est: quid acturus es, nisi forte alium librum prolaturus, ubi quidquid legeris, secundum tuam sententiam possit intelligi? Hoc si feceris, non de aliqua ejus particula, sed de toto

(1) S. Aug. de consensu Evangelistar., lib. III, cap. VII.

(2) Id. de Moribus Ecclesiae Cathol., lib. I, cap. VII.

(3) De Doctrina Christ. Aug. n. 26.

audies contradicentem et clamantem: Falsus est. Quid ages? quo te convertes? quam libri a te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? Nam si hoc facere conaberis, et nihil valebis: et vides in hac re quid Ecclesiae Catholicae valeat auctoribus, quae ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie et tot populorum consensione firmatur (1).

Hinc sacrosancta Synodus Tridentina Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur.

Nemo vero suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sacrarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae fore. Et relate ad versiones Scripturarum Sacrosancta Synodus Tridentina statuit Vulgatam quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus, pro authentica habendam; et nemo illam respuere quovis praetextu audeat, vel praesumat.

Auctoritas Ecclesiae irrevocabilis est; ipsa semper necessaria fuit. Quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sinceritatique rationis aspectum idoneum intendere nequeunt; saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacata inducat auctoritas (2). Si invenires aliquem qui Evangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi: Non credo? Ego vero Evangelio non crederem nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas... utramque Scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas (3).

Et quoniam Ecclesia, uti ait Apostolus ad Timotheum, est columna et firmamentum veritatis; in ejus auctoritate quiescendum est, et qui eam non audierit, juxta Salvatoris Domini sententiam, erit sicut ethnicus et publicanus. Hinc scientiae, quae firmamento veritatis repugnant, erroneae sunt, contra veritatem, contra rationem. Ecclesia a Christo gubernata, qui cum ea se futurum promisit usque ad consummationem saeculi, et a Spiritu Sancto perenniter illustrata errare nequit. Christus enim sapien-

(1) S. Aug. contra Faustum, lib. XI.
(2) Aug. de Mor. Eccl. Cathol., c. II.
(3) Id. contra Epist. Manich., quem vocant fundamenti cap. V.

tia Patris est, os Christi Ecclesia est. Quae opponuntur ori Christi adversantur sapientia, et veritati.

In Catholica Ecclesia, ut omittamus sincerissimam sapientiam ad cujus cognitionem pauci spiritales in hac vita perveniunt, sed ex minima parte, quia homines sunt, nec tamen sine dubitatione cognoscunt; caeteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit. Ut ergo hanc omittamus sapientiam quam in Ecclesia esse catholica non credunt (etherodoxi); multa sunt alia, quae in ejus gremio nos justissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi propter nostrae intelligentiae tarditatem vel vitae meritum veritas nondum se apertissime ostendat. Apud etherodoxos autem ubi nihil horum est, quod nos invitet, ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio: quae quidem si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit, praeponenda est omnibus illis rebus, quibus in catholica tenemur: si autem promittitur, et non exhibetur nemo nos movebit ab ea fide, quae animum nostrum tot et tantis nexibus christianae religionis adstringit (1). Traditio divina veritatem Scripturae Sacrae ostendit, et Scriptura Sacra traditionis necessitatem. Traditio divina fuit priusquam Sacra Scriptura esset; tempus fuit quando non existebat Sacra Scriptura et Religio, divinitus inspirata, existebat; traditionem agiographi scriptis servaverunt. « Traditione quoque opus est, neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto; traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt (2). Non omnia (enim Apostoli) tradiderunt per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide credenda. Quamobrem Ecclesiae quoque traditionem censeamus fide dignam. Est traditio? Nihil quaeras amplius (3). Apostolicum est (igitur) etiam non scriptis traditionibus inhaerere (4). Juxta illud Apostoli. Itaque fratres state et tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. »

Ecclesiastica traditio habetur vel ex concorde doctrina Patrum sanctorum vel oraculis Romanae Ecclesiae « maximae et antiquissimae in qua ea quae est ab Apostolis tradi-

(1 Aug. contra Ep. Manich., cap. IV.
(2) Epiphanius Haeres. 61.
(3) Chrysost. Hom. IV in Epis. II ad Thessalon., cap. II.
(4) Lib. de Spiritu Sancto cap. XXIX

tio, et annuntiata hominibus fides per successiones episcoporum pervenit usque ad nos. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper conservata est ea quae est ab Apostolis traditio (1). » Habetur etiam a conciliis, quorum quidem tanta est auctoritas convocante, praeside et confirmante Romano Pontifice, ut sanctus Gregorius Magnus inquit concilia ad sua usque tempora celebrata se venerari sicut quatuor Evangelia, et sic professus est: « Quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio sit ad salutem, sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor. Nicaenum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque in quo Eunomii et Macedonii error convincitur. Ephesinum etiam primum in quo Nestorii impietas judicatur: Chalcedonense vero in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur: tota devotione complector, integerrima approbatione custodio. Quia in his velut in quadrato lapide, sanctae fidei structura consurgit, et cujuslibet vitae atque actionis norma consistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra aedificium jacet. Quintum quoque concilium pariter veneror. Cunctas vero quas praefata veneranda concilia personas respuunt respuo. Quas venerantur, amplector: Quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit anathema sit (2). »

CAPUT V.

DE FIDE ET RATIONE.

Initium atque fundamentum catholicae Religionis est fides, sine qua placere Deo nemo potest. Donum Dei est et radix omnis justificationis. Accedentem enim ad Deum oportet credere quia est; lumine fidei ducimur ad ediscenda mirabilia Dei, solo lumine fidei ratio nostra roboratur, evehitur atque perficitur; et e contra orbata lumine fidei in tenebris evolvitur erroribus implicata languet. Sapientes hujus saeculi per ea quae facta sunt Deum cognoverunt, sed non ut Deum glorificaverunt. Existentiam Dei non dubitarunt recognoscere; sed quid Deus sit quaenam sint incommutabiles ejus gloriae, quaenam adoranda Dei attributa, Deum quonam cultu adorari oporteat non cognoverunt; alioquin illum glorificassent. « A Deo discendum est quid de Deo discendum sit: quia nonnisi se auctore cognoscitur (3). » Non subeunt ingenia nostra in coelestem scientiam; neque incomprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiet. Ipsi Deo de se credendum est; et iis quae cognitioni nostrae tribuit, obsequendum (4). Donum Dei, fides est, seu virtus a Deo in-

(1) Irenaeus adversus Haereses, cap. III.
(2) S. Greg. Magnus, lib. I, Epist. XXIV.
(3) S. Hilarius de Trinit., lib. 5.
(4) Ibid. lib. IV.

fusa; cujus lumine mens hominis illustrata firmiter assentitur iis omnibus, quae Deus revelavit et nobis per Ecclesiam suam credenda proposuit sive illa sacris litteris expressa sint, sive non sint. Hoc donum Dei, haec virtus, haec fides efficit ut nihilo magis de mysteriis dubitemus, quam si vel oculis mysteria conspiceremus, vel ratione mysteria comprehenderemus; imo certiores sumus de mysteriis quam de his quae experientia sensuum nobis vel ratio repraesentat; quamvis mysteria arcana sint atque incomprehensibilia. Est autem fides, ut ait Apostolus, futurarum substantia rerum argumentum non apparentium.

Absit (igitur) ut putamus in fide, vel spe nostra aliquid, ut is (Abailardus) putat, dubia aestimatione pendens, non magis totum, quod in ea est, certa ac solida veritate subnixum, oraculis et miraculis divinitus persuasum, stabilitum et consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloria Resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis. Si quo minus Ipse postremo spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Quomodo ergo fidem quis audet dicere aestimationem nisi qui spiritum istum nondum accepit, quia Evangelium adhuc ignoret aut fabulam putet? *Scio cui credidi et certus sum*, clamat Apostolus: et tu mihi, clamat Augustinus, subsibilas fides est aestimatio? Tu mihi ambiguum garris quo nihil est certius. Fides, ait Augustinus, non conjectando, vel opinando habetur in corde in quo est, ab eo, cujus est, sed certa scientia acclamante conscientia. Absit ergo, absit, ut hos fines fides habeat Christiana. Academicorum sunt istae aestimationes, quorum est dubitare de omnibus, scire nihil. Ego vero securus in magistri gentium sententiam pergo et scio, quoniam non confundor «fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Substantia, inquit, rerum sperandarum, non inanium phantasia conjecturarum. Audis substantiam, non licet tibi in fide putare vel disputare pro libitu, non hac, illac que vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiae nomine aliquid tibi certum fixumque praefigitur; certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris: non est enim fides extimatio, sed certitudo (1).»

Credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Quod enim cognituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid est enim fides nisi credere quod non vides? Fides ergo est quod non vides credere, veritas quod credidisti videre (2).

Haec est enim laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam quid magnum est, si creditur quod videtur, secundum illam ejusdem Domini sententiam, quando discipulum arguit dicens: «Quia vidisti credidisti; beati qui non vident et credunt?» Et nescio utrum credere dicendus est quisque quod videt. Nam ipsa fides in Epistola quae dicitur ad Hebraeos ita

(1) S. Bern. de error. Petri Abailar. ad Innoc. II cap. IV.
(2) S. Aug. Tract. 40 in Joannem.

est definita: « Est autem fides sperantium substantia, convictio rerum quae non videntur. » Quapropter si fides est rerum, quae creduntur, eademque fides earum est quae non videntur, quid sibi vult quod Dominus ait: « Et nunc dixi vobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit credatis? » Nonne potius dicendum fuit: Et nunc dixi vobis prius quam fiat, ut credatis, quod cum factum fuerit videatis? Nam et ille cui dictum est: « Quia vidisti credidisti, non hoc credidit quod vidit; sed aliud vidit, aliud credidit: vidit enim hominem credidit Deum. Cernebat quippe atque tangebat carnem viventem, quam viderat morientem: et credebat Deum in carne ipsa latentem. Credebat ergo mente quod non videbat, per hoc quod sensibus corporis apparebat. Sed etsi dicuntur credi quae videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis se credidisse: Non tamen ipsa res est, quae in nobis aedificatur fides, sed ex rebus, quae videntur, agitur in nobis, ut ea credantur quae non videntur. Quocirca quod Dominus ait: « Et nunc dixi vobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit credatis: » illud utique dicit: « cum factum fuerit » quod eum visuri erant, post mortem, viventem, et ad Patrem ascendentem: quo viso illud fuerant credituri, quod ipse esset Christus filius Dei vivi, qui potuit hoc facere, cum praedixisset, et praedicere antequam faceret: credituri autem hoc non fide nova, sed aucta; aut certe cum mortuus esset defecta, cum resurrexisset refecta. Neque enim eum Dei filium non ante credebant: sed cum in illo factum esset, quod ante praedixit, fides illa quae tunc, quando illis loquebatur, revixit et crevit (1).» Quae apparent (igitur) jam fidem non habent, sed agnitionem. Nec fides habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum (2).

Obsequium fidei rationabile est credibilitatis eorum quae Ecclesia fidelibus credenda proponit rationes mirificam ineluctabilemque habent potentiam. Quem enim non moveat ad credendum tantus ab initio ipse rerum gestarum ordo, et ipsa connexio temporum, praeteritis fidem de praesentibus faciens priora posterioribus et recentioribus antiqua confirmans. Eligitur unus ex gente Chaldaeorum, pietate fidelissima praeditus, cui promissa divina post tantam saeculorum seriem novissimis temporibus complenda prodantur, atque in ejus semine omnes gentes habiturae benedictionem pronuntiantur. Hic unum verum Deum colens universitatis creatorem gignit filium senex, de conjuge, quam spe pariendi penitus destitutam sterilitas, aetasque jam fuerat. Propagatus ex illo numerosissimus populus, multiplicatus in Aegypto, quo illam stirpem ex orientalibus partibus, promissis, effectisque crebrescens dispositio divina transmiserat. Educitur ex Aegypti servitute gens valida, horrendis signis atque miraculis, pulsisque impiis gentibus; in terram promissionis perducta et constituta, regno etiam sublimatur. Deinde praevalescente peccato, sacrilegis ausibus Deum verum, qui

(1) S. Aug. Tract. 79 in Joan.

(2) S. Greg. Magni Hom. 26.

eis tanta beneficia contulerat, saepissime ostendens, variisque flagellata cladibus et prosperitatibus consolata usque ad Christi Incarnationem declarationemque perducitur. Quem Christum Dei Verbum, Dei Filium, Deum in carne venturum, moriturum, resurrecturum, in coelum ascensurum praepollentissimo suo nomine omnibus gentibus dicatos sibi populos habiturum, inque illo remissionem peccatorum salutemque aeternam futuram esse credentibus omnia gentis illius promissa, omnes prophetiae, sacerdotia, sacrificia, templum et cuncta omnino sacramenta sonuerunt. Venit Christus, complentur in ejus ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione, omnia praeconia prophetarum. Mittit Spiritum Sanctum, implet fideles una in domo congregatos, et hoc ipsum promissum orando et desiderando expectantes. Impleti autem Spiritu Sancto loquuntur repente linguis omnium gentium, arguunt fidenter errores, praedicant saluberrimam veritatem, exhortantur ad poenitentiam praeteritae culpabilis vitae, indulgentiam de divina gratia pollicentur. Praedicationem pietatis veraequae religionis signa congruentia et miracula consequuntur. Excitatur contra eos saeva infidelitas, tolerant praedicta, sperant promissa, docent praecepta. Numero exigui per mundum disseminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus crescunt per afflictionum angustias usque in terrarum extrema dilatantur. Ex imperitissimis, ex abjectissimis, ex paucissimis illuminantur, nobilitantur, multiplicantur praeclarissima ingenia, cultissima eloquia: mirabilesque peritias acutorum, faciendorum, atque doctorum subjugant Christo et ad praedicandum viam pietatis salutisque convertunt. Alternis adversitatibus et prosperitatibus rerum patientiam et temperantiam vigilanter exercent: mundo declinante in extrema, fessisque rebus aetatem ultimam protestante, multo fidentius, quia et hac praedictum est, aeternam civitatis coelestis felicitatem expectant. Atque inter haec omnia contra Ecclesiam Christi impiarum gentium infidelitas fremit. Evincit illa patiendo, et inconcussam fidem inter absistentium saevitiam profitendo. Revelatae veritatis, quae diu promissis mysticis velabatur, sacrificio succedente, illa sacrificia, quibus hoc figurabatur, templi ipsius eversione tolluntur. Reproba per infidelitatem gens ipsa Judaeorum a sedibus extirpata per mundum usquequaque dispergitur, ut ubique portet codices sanctos, ac si prophetiae testimonium, qua Christus et Ecclesia praenuntiata est, ne ad tempus a nobis fictum extimaretur, ab ipsis adversariis proferatur ubi etiam ipsos praedictum est non fuisse credituros. Templa et simulacra daemonum, ritusque sacrilegi paulatim atque alternatim secundum praedicta prophetica subvertuntur. Haereses adversus nomen Christi, sub velamine tamen nominis Christi, ad exercendam doctrinam sanctae religionis, sicut praenuntiatae sunt, pullulant. Haec omnia sicut leguntur praedicta, ita cernuntur impleta, atque ex his

jam tot, et tantis, quae restant expectantur implenda. Tandem mens avida aeternitatis, vitaeque praesentis brevitate permota, contra hujus divinae auctoritatis lumen culmenque contendat (1)?

Quae disputationes, quae litterae quorumlibet philosophorum, quae leges quarumlibet civitatum duobus praeceptis, ex quibus Christus dicit totam legem prophetasque pendere, ullo modo sunt comparandae, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Et: Diliges proximum tuum tamquam teipsum? Hic physica, quoniam omnes omnium naturarum causae in Deo Creatore sunt. Hic ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur quam cum ea, quae diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt diliguntur; hoc est Deus et proximus. Hic logica, quoniam veritas, lumenque animae rationalis nonnisi Deus est. Hic etiam laudabilis reipublicae salus: Neque enim conditur et custoditur optime civitas, nisi fundamento et vinculo fidei summaeque concordiae, cum bonum commune diligitur, quod summum ac verissimum bonum Deus est, atque in illo invicem sincerissime se diligunt homines, cum propter illum se diligunt, cui quo animo diligant occultare non possunt.

Modus autem ipse dicendi, quo sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis. Ea, quae aperta continet quasi anticus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea vero quae in mysteriis occultat nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula et inerudita, quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis quod in reconditis habens, sed ne operta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodam modo renovantur, renovata praviter intimantur. His salubriter et prava corriguntur et parva nutriuntur, et magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinae inimicus est animus qui vel errando eam nescit saluberrimam, vel odit aegrotando medicinam (2).

Bonum est ut rationem praeveniat fides; ne tamquam ab homine, ita a Domino Deo nostro rationem videamur exigere. Etenim quam indignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus (3)! Versabatur humana mens non veritate certior, sed consuetudine securior in rebus humanis. At ubi ad divina perventum est, avertit se se, intueri non potest, palpitat, aestuat, inhiat amore, reverberatur luce veritatis, et ad familiaritatem tenebrarum suarum non electione, sed fatigatione convertitur. Quam hic formidandum est, quam tremendum, ne majorem inde concipiat anima imbecillitatem, ubi quietem fessa conquirit. Ergo refugere in tenebrosa cupientibus, per dispensationem ineffabilis sapientiae, nobis illa

(1) S. Aug. Ep. 137, alias 3, ad Volusianum.

(2) Aug. ibid.

(3) S. Ambros., lib. I de Abraham, cap. III.

opacitas auctoritatis occurrat, et mirabilibus rerum vocibusque librorum veluti signis temperatioribus veritatis umbrisque blandiatur (1). Ad lucem divinorum mysteriorum oculi rationis humanae caecutiunt: Auris Deo revelanti accomodanda est, ut illorum cognitionem assequamur, quia fides ex auditu. Centurio videns quod Jesus sic clamans expirasset, ait « Vere hic filius Dei erat; » si credidisset oculis suis, nihil nisi humanum in Jesu conspexisset. Videbat enim corpus flagellis laceratum, caput spinea corona perfossum, faciem sputis et sanguine deformem.

At auditu Deum esse cognovit. Ex voce agnovit filium Dei non ex facie. Auditus invenit, quod non visus; oculum species fefellit, auri veritas se infudit. Oculus pronunciabat infirmum, oculus foedum, oculus miserum, oculus morte turpissima condemnatum: auri Dei filius, auri formosus innotuit. Erat ille Centurio incircumcisus, sed non aure, quia ad unam expirantis vocem sub tot infirmitatis indiciis donum majestatis agnovit, ideoque non despexit quod vidit, quia credidit quod non vidit. Non autem credidit ex eo quod vidit, sed ex eo proculdubio quod audivit, quia fides ex auditu. Dignum quippe fuerat per superiores oculorum fenestras veritatem intrare ad animam. Sed hoc nobis, o anima, servatur in posterum, cum videbimus facie ad faciem. Nunc autem unde irrepsit, morbus, inde remedium intret, et per eadem sequatur vestigia vita mortem, tenebras lux; venenum serpentis antidotum veritatis: et sanet oculum qui turbatus est, ut serenus videat, quem turbatus non potest. Auris prima mortis janua, prima aperiatur et vitae: auditus qui tulit reparet visum. Quoniam nisi crediderimus, non intelligemus (2).

(1) S. Aug. lib. I de Moribus Eccles., cap. VII.

(2) S. Bern. serm. 28 in cant. et S. Aug. Tract. 29 in Joan.

LIBER SECUNDUS

De Deo uno et trino.

CAPUT I.

DE NOMINE DEI.

Deus ineffabilis est; Dei nomen est ipsum esse. Ipse incomprehensibilis est atque ejus natura inaccessibilis est viribus nostris. Deliramenta paganorum impiasque adinventiones philosophorum spernentes, nos Deum colimus non coelum et terram, quibus duabus partibus mundus hic constat: nec animam vel animas per viventia quaecumque diffusas; sed Deum qui fecit coelum et terram et omnia quae in eis sunt: qui fecit omnem animam, sive quocumque modo viventem, et sensu et rationis expertem sive etiam sentientem, sive etiam intelligentem (1).

Illum Deum colimus, qui naturis a se creatis et subsistendi et movendi initia finesque constituit: qui rerum causas habet, novit atque disponit; qui vim seminum condidit; qui rationalem animam, quae dicitur animus, quibus voluit viventibus indidit; qui munus futura dicendi, quibus placuit spiritibus impertivit, et per quos placet ipse futura praedicit, et per quos placet malas valetudines pellit; qui bellorum quoque ipsorum, cum sic emendandum et castigandum est genus humanum, exordiis, progressibus, finibusque moderatur; qui hujus mundi ignem vehementissimum et violentissimum pro immensae naturae temperamento et creavit et regit; qui universarum aquarum creator et gubernator est; qui solem fecit corporalium clarissimum luminum, eique vim congruam et motum dedit; qui ipsis inferis etiam dominationem suam potestatemque non subtrahit; qui semina et alimenta mortalium, sive arida, sive liquida naturis competentibus attributa substituit; qui terram fundat atque foecundat; qui fructus ejus animalibus hominibusque largitur; qui causas non solum principales, sed etiam subsequentes novit atque ordinat; qui lunae statuit motum suum; qui vias coelestes atque terrestres locorum mutationibus praebet; qui humanis ingeniis, quae creavit, etiam scientias variarum artium ad adjuvandam vitam naturamque concessit; qui conjunctionem maris et feminae ad adjutorium propagandae prolis instituit; qui hominum coetibus, quem focis et luminibus adhiberent, ad facillimos usus minus terreni ignis indulsit. Haec autem facit atque agit unus

(1) S. Aug. de Civ. Dei, lib. VII, cap. XXIX.

verus Deus. Sed sicut idem Deus, ubique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, implens coelum et terram praesente potentia, non indigente natura. Sic itaque administrat omnia quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat. Quamvis enim nihil esse possit sine ipso, non tamen sunt ulla quod ipse (1).

Una est Dei et sola natura quae vere est, id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Caetera, quae creata sunt, etiamsi videntur esse, non sunt quia aliquando non fuerunt, et potest rursum non esse quod non fuit. Deus solus qui aeternus est, hoc est qui exordium non habet, essentiae nomen vere tenet (2).

CAPUT II.

NATURA DEI INCOMPREHENSIBILIS.

Deus difficile intelligi, explicarique nullo modo potest, ut quidam e graecis theologis, non inscite, mea quidem sententia, philosophabatur, quo et intelligendi proposita difficultate Deum ipse comprehendisse videretur et explicandi ratione sublata reprehensionem effugeret. Ego Deum nec explicari posse verbis existimo, et animo concipi multo minus. Nam quod animo conceperis, forte declarare possis, si minus aperte obscure saltem, ut qui audit, nisi auribus, et mente captus sit, utrumque percipiat. Rem vero tantam nulla penitus ratione comprehendi posse judicio, nec solum ab iis, qui humi defixi nihil nisi humile abjectumque cogitant, verum etiam ab illis, qui in rebus sublimibus contemplandis versantur, et Deo sunt amicissimi, a nulla denique natura procreata, cui ad veritatis cognitionem adspiranti caligo ista et crassa carnis nebula tenebras effundit. Atque haud scio, an ne a naturis quidem illis excelsis, quae mente sola et intelligentia constant, apprehendatur. Hae tamen quoniam propius accedunt ad Deum, et toto illius lumine illustrantur, eum fortasse si non penitus, perfectius certe, et clarius, quam nos intelligunt et comprehendunt, quamquam et ipsae quoque aliae magis, aliae minus, pro ratione ordinis in quo sunt, collocatae. Verum ut haec ita se habeant, certe, quod ad nos attinet, non solum illa pax, quae superat omnem sensum et comprehensionem, et ea, quae justis promissa sunt, quae nec oculis cerni, nec auribus percipi, nec cogitatione comprehendi possunt, sed res etiam istae procreatae propemodum ignorantur. Et harum enim, mihi crede, umbram tantum tenemus. Cum audis ea Davidis verba: *Videbo coelos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas*, et certam in his, ac firmam ordinis rationem attende, illum non videre se, sed aliquando visurum dicere. At illa natura, quae his longe sublimior est, et a qua haec perfecta sunt multo minus percipi comprehendique potest, non dico, quod sit, sed quae sit. Neque enim inanis est praedicatio nostra nec stulta fides. Neque haec ita decernimus, ut rursum ex humanitate nostra impietatis

(1) S. Aug. de Civ. Dei, lib. VII, cap. XXX.
(2) Hieronymus Damaso, Epist. XXV.

initium ducas, aut calumnieris, et in nos inveharis, tamquam ignorantiam profiteamur. Nam plurimum interest, utrum dicas, tibi esse persuasum, aliquid esse, an te scire, quid illud sit (1).

CAPUT III.

UNUS EST DEUS.

Deus est summum verum, summum bonum, summum esse. Est qui est. Hoc esse nomen est incommutabilitatis. Omnia enim quae mutantur, desinunt esse quod erant, et incipiunt esse quod non erant. Esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet, nisi qui non mutatur. Ille habet esse cui dicitur: Mutabis ea et mutabuntur, Tu autem idem ipse es. Cum ergo si hoc nomen aeternitatis, plus est quod dignatus est habere nomen misericordiae. Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Illud in se, hoc ad nos. Si enim hoc solum esse vellet quod est in se, quid essemus nos? « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. » Erige spem. Sic sum id quod sum, sic sum ipsum esse, ut nolim hominibus deesse (2). Quid sit ipsum esse dicat cordi, intus dicat, intus loquatur, homo interior audiat, mens capiat vere esse: est enim semper, eodem modo esse. Res enim aliqua, quaelibet omnino prorsus, qualicumque excellentia, si mutabilis est, non vere est: non enim est ibi verum esse, ubi est et non esse. Quidquid enim mutari potest mutatum est quod erat; si non est quod erat, mors quaedam ibi facta est; peremptum est aliquid ibi quod erat et non est. Nigredo mortua est in capite albescentis senis, pulcritudo mortua est in corpore fessi, et incurvi senis; mortuae sunt vires in corpore languentis, mortua est statio in corpore ambulantis, mortua est ambulatio in corpore stantis, mortua est ambulatio et statio in corpore jacentis, mortua est locutio in lingua tacentis. Quidquid mutatur est quod non erat, video ibi quamdam vitam in eo quod est, et mortem in eo quod fuit. Denique de mortuo quod dicitur: « Ubi est homo ille? » respondetur: « fuit. » O veritas quae vere es! Nam in omnibus actionibus, et motibus nostris, et in omni prorsus agitatione creaturae duo tempora invenio, praeteritum et futurum. Praesens quaero nihil stat: quod dixi jam non est quod dicturus sum, nondum est: quod feci jam non est, quod facta nondum est: quod vixi jam non est: quod victurus sum, nondum est. Praeteritum et futurum invenio in omni motu rerum: in veritate quae manet, praeteritum et futurum non invenio, sed solum praesens, et hoc incorruptibiliter, quod in creatura non est. Discute rerum mutationes, invenies fuit et erit: cogita Deum, invenies est, ubi fuit et erit esse non possit. Ut ergo et tu sis, trascende tempus. Sed quis trascendet viribus suis? Levet illuc ille qui dixit: Volo ut ubi ego sum et ipsi sint mecum.

(1) Magni Gregorii Theologi ex orat. in diem Natalem Domini nostri Jesu Christi.

(2) S. Aug. Serm. 6 alias 7.

Ex eo quod Deus sit summum esse summum magnum, summum bonum, unum Deum esse, non plures Deos confitendum est. Nam cum Deo summam bonitatem et perfectionem tribuamus, fieri non potest, ut id quod summum atque absolutissimum est, inveniatur in pluribus. Quod si cui aliquid ad summum deest, eo ipso imperfectus est, quare nec Dei natura illi convenit (1) Deus si non unus est, non est. Quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem, ut scias, unum esse debere, quaere quid sit Deus. Quantum conditio humana de Deo definire potest, id definire potest, id definio, quod et omnium cognitio agnoscet, Deum summum esse magnum, in aeternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Ergo unicum necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum (2).

Humana (tamen) infirmitas sensit nonnisi ab aliquo Deo dari posse felicitatem: et hoc senserunt homines qui tam multos colebant deos, in quibus et ipsum Jovem eorum regem: quia ejus nomen a quo felicitas daretur ignorabant; ideo ipsius rei nomine quam credebant ab illo dari eum appellare voluerunt; satis ergo judicarunt, nec ab ipso Jove dari posse felicitatem, quem jam colebant; sed utique ab illo quem nomine ipsius felicitatis colendum esse censebant.

(1) S. Aug. Tract. XXXVIII in Joan.

(2) Tertullianus lib. I contra Marcionem, cap. III.

Confirmo prorsus a quodam Deo quem nesciebant, eos credidisse dari felicitatem: ipse ergo quaeratur, ipse colatur, et sufficit. Repudietur strepitus innumerabilium daemoniorum: illi non sufficiat hic Deus, cui non sufficit munus ejus. Illi, inquam, non sufficiat ad colendum Deus dator felicitatis, cui non sufficit ad accipiendum ipsa felicitas. Cui autem sufficit (non enim habet homo quid amplius optare debeat) serviat uni Deo datori felicitatis. Non est ipse quem nominant Jovem. Nam si eum datorem felicitatis agnoscerent, non utique alium, vel aliam a qua daretur felicitas, nomine ipsius felicitatis inquirerent, neque ipsum Jovem cum tantis injuriis colendum putarent. Iste alienarum dicitur adulter uxorum, iste pueri pulchri impudicus amator et raptor (3).

Deus in omnibus perfectus est. Quod si plures dixerimus deos esse, necesse erit, discrimen aliquod in illis perspici. Nam si nulla in eis differentia inter illos intercedit qui in omnibus perfectus est. Is solus est Deus. Qui vero vel bonitate, vel potentia, vel sapientia, vel aliqua perfectione caret, is Deus esse non potest. Praeterea si plures sunt, qui fieri poterit ut non circumscribantur cum ubi unus est, alter esse non queat, qui autem Deus est is, nec circumscribatur et omnia tum impleat, tum complectatur et comprehendat? Ad haec quonam pacto constituatur mundus, et gubernetur cum ea sit differentiae natura ut pariat dissentionem (4)? Audi Israël:

(3) Aug. de Civit. Dei, lib. IV, cap. XXV.

(4) Gregor. Niss. Orat. Cathechet.

Dominus Deus noster, Dominus unus est (1). Videte quod ego sum solus, et non sit alius Deus praeter me (2). Ego primus et novissimus, et absque me non est Deus (3).

CAPUT IV.

DEUS SIMPLEX.

Spiritus est Deus (4). Nam vero judicio natura simplex multiplici antefertur. Jam non habet Deus hoc et illud, quam non haec et illa. Est qui est, non quae est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis trahens in se, nihil ex se deponens, deponens in eis, non habens quod ad numerum dividat, non quae colligat ad unum. Unum quippe est, sed non unitum. Non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non formis substat, ut omne quod factum est. Denique Deo non est alia substantia ut sit, et alia potestas ut possit. Non aliud illi est scientia qua sit, aliud essentia qua est; quia id quod habet est (5).

Quid illud nonne debet movere acutos homines vel qualescumque homines? Non enim ad hoc ingenii opus est excellentia ut deposito studio contentionis attendant, si mundi animus Deus est, eique animo mundus ut corpus est, ut sit unum animal constans ex animo et corpore atque iste Deus est sinu quodam naturae in se ipso continens omnia, ut ex ipsius anima, qua vivificatur tota ista moles, vitae atquae animae cunctorum viventium pro cujusque nascentis sorte sumantur, nihil omnino remanere quod non sit pars Dei. Quod si ita est, quis videat quanta impietas et irreligiositas consequatur, ut quod calcaverit quisque, partem Dei calcet, et in omni animante occidente, pars Dei trucidetur? Nolo omnia dicere quae possunt occurrere cogitantibus, dici autem sine verecundia non possunt (6). Si autem sola animalia rationalia, sicut sunt homines, partes Dei esse contendunt; non video quidam, si totus mundus est Deus, quomodo bestias ab ejus partibus separent? Sed obluctari quid opus est? De ipso rationali animante, id est homine, quid infelicius credi potest, quam Dei partem vapulare cum puer vapulat? Jam vero partes Dei fieri lascivas, iniquas, impias atque omnino damnabiles, quis ferre possit, nisi qui prorsus insanit? Postremo quid irascitur eis, a quibus non colitur, eum a suis partibus non colatur? Restat ergo ut dicant, omnes deos suos habere vitas, sibi quemque vivere, nullum eorum esse partem cujusquam, sed omnes colendos, qui cognosci et coli possunt; quia tam multi sunt ut omnes non possint (7).

CAPUT V.

DEUS IMMUTABILIS.

Ego Dominus et non mutor (8). Apud quem non est trasmutatio nec

(1) Deuteron. VI, IV. (2) Ib. cap. XXXII.
(3) Isai XL, XLIV, XLVIII. (4) Joan. IV.
(5) S. Bernard. lib. 5 de Considerat.
(6) S. Aug. de Civ. Dei, c. VI.
(7) Ibid. (8) Malachiae III.

vicissitudinis obumbratio (1). Ipsa enim mutabilitas umbra est, quae quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit (2). Dicimus (insuper) incommutabile bonum non esse, nisi unum verum beatum Deum: ea vero quae fecit bona quidem esse, quod ab illo; verumtamen mutabilia, quod ab illo sed de nihilo facta sunt. Quamquam ergo summa non sint; quibus est Deus majus bonum: magna sunt tamen ea mutabilia bona quae adhaerere possunt, ut beata sint, immutabili bono; quod usque adeo bonum eorum est ut sine illo misera esse, necesse sit. Nec ideo caetera in hac creaturae universitate meliora sunt, quia misera esse non possunt. Neque enim caetera membra corporis nostri, ideo dicendum est oculis esse meliora, quia caeca esse non possunt. Sicut autem melior est natura sentiens et cum dolet, quam lapis, qui dolere non potest, ita rationalis natura praestantior est etiam misera, quam illa quae rationis vel sensus est exspers, et ideo in eam non cadit miseria.

Quod cum ita sit, huic naturae, quae in tanta excellentia creata est, ut licet ipsa sit mutabilis, inhaerendo tamen in commutabili bono idest summo Deo, beatitudinem consequatur, nec expleat indigentiam suam nisi utique beata sit, eique explendae non sufficiat nisi Deus, profecto non illi adhaerere, vitium est (3). Cum enim Deus summa essentia sit, hoc est summe sit, et ideo immutabilis sit, rebus, quas ex nihilo creavit, esse dedit, sed non summe esse sicut ipse est, et aliis dedit esse amplius, aliis minus, atque ita naturas gradibus ordinavit (4). In Deo non alteram praecedentem, altera subsequens voluntatem, sed una eademque sempiterna et immutabili voluntate res, quas condidit, et ut prius non essent, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse coeperunt, hinc eis qui talia videre possunt, mirabiliter fortassis ostendens, quam non eis ostendens, quam non eis indiguerit, sed eas gratuita bonitate condiderit cum sine illis ex aeternitate initio carente in minore beatitate permansit (5).

CAPUT VI.

DEUS AETERNUS-IMMORTALIS.

Tu autem, Domine, in aeternum permanebis (6). Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quae praeteriit (7). Si Deus immutabilis est, aeternus est, initio et fine carens; aeternitas ipsa Dei substantia est. Aeternitas Dei nescit tempora. « O sapientia Dei, lux mentium, nondum intelligunt quomodo fiant quae per te, atque in te fiunt, et conantur aeterna sapere; sed adhuc in praeteritis et futuris rerum motibus cor eorum volitat, et adhuc vanum est. Quis tenebit illud, et figet

(1) Jacobi I.
(2) S. Greg. lib. XII. Moralium.
(3) S. Aug. de Civit. Dei, lib. XII, cap. I.
(4) Ibid. cap. II.
(5) S. Aug. de Civ. Dei, lib. XII, cap. XVII.
(6) Jerem. Lam. c. V. (7) Ps. LXXXIX.

illud ut paululum stet, et paululum rapiat splendorem semper stantis aeternitatis, et comparet cum temporibus nunquam stantibus, et videat esse incomparabilem; et videat longum tempus, nisi ex multis praetereuntibus motibus, qui simul extendi non possunt, longum non fieri; non autem praeterire quidquam in aeterno, sed totum esse praesens, nullum vero tempus totum esse praesens; et videat omne praeteritum propelli ex futuro, et omne futurum ex praeterito consequi, et omne praeteritum ac futurum ab eo, quod semper est praesens, creari et excurrere? Quis tenebit cor hominis, ut stet et videat quomodo stans dictet futura et praeterita tempora, nec futura nec praeterita aeternitas (1)?

Nec tu (Deus) tempore tempora praecedis, alioquin non omnia tempora praecederes. Sed praecedis omnia praeterita celsitudine semper praesentis aeternitatis; et superas omnia futura, quia illa futura sunt, et cum venerint praeterita erunt, tu autem idem ipse es, et anni tui non deficiunt. Anni tui nec eunt, nec veniunt: isti autem nostri et eunt et veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant; nec euntes a venientibus excluduntur, quia non transeunt: isti autem nostri omnes erunt cum omnes non erunt. Anni tui dies unus; et dies tuus non quotidie, sed hodie, quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque enim succedit hesterno: hodiernus tuus aeternitas; ideo coaeternum genuisti, cui dixisti: « Ego hodie genui te » omnia tempora tu fecisti et ante omnia tempora tu es, nec aliquo tempore erat tempus.

Deus immortalis est. Aeternitatis divinae conditio est immortalitas, cujus particeps nulla creatura esse potest. Deus est « qui solus habet immortalitatem (2). » Hanc enim a se ipso habet, non debet alteri qui eam auferre possit si velit. Angeli autem et Spiritus humani, utpote a Dei nutu et arbitrio pendet eorum existentia, possunt eodem nutu et arbitrio Dei ad nihilum redigi; sed Deus quia ut plenitudo esse, et absolutum esse a nullo pendet, ac proinde immortalis est. Insuper ex eo quod immutabilis omnino est, immortalis esse necessario debet.

CAPUT VII.

DEUS IMMENSUS UBIQUE EST.

« Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in coelo sursum et in terra deorsum (3). Numquid non coelum et terram impleo, dicit Dominus? Si occultabitur vir in absconditis; et ego non videbo eum, dicit Dominus (4)? Excelsior coelo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus et latior mari (5). » Ipse est interior et exterior: Ipse inferior et superior: Regendo superior, portando inferior; replendo interior, circumdando exterior. Sicque est intus ut

(1) Aug. Cant., lib. II, cap. XIII.
(2) 1 ad Timoth. VI.
(3) Deuteronomii IV.
(4) Jerem. XXIII.
(5) Job II.

portet; sic circumdat, ut penetret; sic praesidet ut portet, sic portat ut praesideat (1). Non corporalem, sed spiritualem Dei praesentiam, quae congruit ejus substantiae, negari non potest adesse conditis rebus, mirabili videlicet, et vix paucis intelligibili modo, cui dicitur: Si ascendero in coelum, tu ibi es; si descendero in infernum ades (2). Si Deus est, ubique praesens est. Quo te auferes ab oculis Dei ut in parte aliqua loquaris quod ille non audiat? Si ab Oriente judicat Deus, secede in Occidentem, et dic quidquid vis adversus Deum; si ab Occidente, vade in Orientem et ibi loquere: si a desertis montium judicat, vade in medium populorum ubi tibi submurmures. De nullo loco judicat, qui ubique secretus est ubique publicus; quem nulli licet ut est cognoscere, et quem nemo permittitur ignorare. Noli ergo cogitare Deum in locis; ille tecum est talis qualis fueris. Quid est talis qualis fueris? Bonus, si bonus fueris: et malus tibi videbitur si malus fueris: sed opitulator, si bonus fueris, ultor si malus fueris: Ille corde tuo interior est. Quocumque ergo fugeris, ibi est. Te ipsum quo fugies? Nonne quocumque fugeris te sequeris? Quando autem et te ipso interior est, non est quo fugias a Deo irato, nisi ad Deum placatum. Prorsus non est quo fugias. Vis fugere ab ipso? fuge ad ipsum (3).

In eo ipso quod dicetur Deus ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi et mens a corporis sensibus evocanda ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aër, aut lux ista diffunditur (omnis enim hujusmodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto). Sed ita potius sicut est magna sapientia, etiam in homine, cujus corpus est parvum. Et si duo sapientes quorum sit alter corpore grandior, neuter sapientior, non est illa in majore major, minor in minore, aut minor in uno quam in duobus; sed tanta in hac quanta in illo, et tanta in unoquoque, quanta in utroque. Neque enim si aequaliter sunt omnino sapientes, plus sapiunt ambo quam singuli; quemadmodum si aequaliter sint immortales non plus vivunt ambo quam singuli. Sed sic est Deus per cuncta diffusus ut non sit qualitas mundi; sed substantia creatrix mundi sine labore regens et sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus; sed in solo coelo et in sola terra totus et in coelo et in terra totus et nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus (4).

Porro autem quod parum distincte putavimus posse intelligi cum diceremus Deum esse ubique totum, nisi adderemus in seipso, video diligentius exponendum quomodo enim ubique si in se ipso? Ubique scilicet quia nusquam est absens: in seipso

(1) S. Greg. M. Hom. XVIII in Ezechiel.
(2) S. Aug. Enarratio in Ps. LXXXI.
(3) S. Aug. Enarr. in Ps. LXXIV.
(4) S. Aug. de Praes. Dei ad Dardanum Epist. LXXXVII alias VI.

UNIVERSITY OF MICHAEL'S COLLEGE LIBRARY

autem, quia non continetur ab eis, quibus est praesens, tamquam sine eis esse non possit. Nam spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt; et quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint, et ideo necesse est ut non sint. Etenim cum per totam suam molem corpus aequaliter sanum est, aut aequaliter candidum, non est in una quam in alia parte ejus sanitas major aut candor, nec major in toto quam in parte ejus; quia non sanius aut candidius totum constat esse quam partem. Si autem inaequaliter sit sanum aut in aequaliter candidum, fieri potest, ut in minore parte sit sanitas major aut candor cum minora, quam majora saniora vel candidiora sunt membra; usque adeo non mole constat quod in qualitatibus magnum dicitur esse vel parvum. Verumtamen si moles ipsa corporis quantacumque vel quantulacumque sit, penitus auferatur, qualitates ejus non erit ubi sint, quamvis non mole metiendae sunt. At vero Deus non si minus capitur ab illo cui praesens est, ideo ipse minor est. Totus enim in seipso est; nec in quibus est, ita est ut indigeat eis, tamquam non possit esse nisi in eis. Sicut autem nec ab illo abest in quo non habitat, et totus adest, quamvis eum ille non habeat: ita et illi, in quo habitat, totus est praesens, quamvis eum non ex toto capiat (1).

(1) S. Aug. loc. cit.
(2) Ad Rom. II.
(3) 1 Cor. II, X.
(4) Ad Rom. IV, XVII.

CAPUT VIII.

DE SCIENTIA DEI.

« O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei (2). » Deus seipsum perfecte cognoscit et comprehendit « Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei... Quae Dei sunt nemo cognoscit nisi spiritus Dei (3) » Deus cognoscit omnia possibilia « Vocat ea, quae non sunt tamquam ea quae sunt (4). » Illud autem aliud quod dicunt, nec Dei scientia, quae infinita sunt posse comprehendi: restat eis ut dicere audeant, atque huic se voragini profundae impietatis immergant, quod non omnes numeros Deus noverit. Eos quippe infinitos esse certissimum est (ajunt) quoniam in quocumque numero finem faciendum putaveris, idem ipse, non dico uno addito augeri, sed quamlibet sit magnus et quamlibet ingentem multitudinem continens in ipsa ratione atque scientia numerorum, non solum duplicari, verum etiam multiplicari potest. Ita vero quisque numerus proprietatibus terminatur ut nullus eorum par esse cuicumque alteri possit. Ergo et dispares inter se et diversi sunt et singuli quique finiti sunt et omnes infiniti sunt. Itane numeros, propter infinitatem nescit omnes Deus et usque ad quamdam summam numerorum scientia Dei pervenit caeteros ignorat? Quis hoc etiam dementissimus dixerit? Non audebunt isti contemnere numeros, et eos dicere ad Dei scientiam non pertinere apud quos Plato Deum

magna auctoritate commendat mundum numeris fabricantem: et apud nos Deo dictum legitur « Omnia in mensura et numero disposuisti. » De quo dicit et Propheta: « Qui profert numero se saeculum, » et Salvator in Evangelio: « Capilli, inquit, vestri omnes numerati sunt?» Absit itaque ut dubitemus, quod ei notus sit omnis numerus, cujus intelligentiae sicut in Psalmo canitur non est numerus. Infinitas itaque numeri quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cujus intelligentiae non est numerus. Quapropter si quidquid scientia comprehenditur, scientiis comprehensione finitur; profecto est omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiae ipsius incomprehensibilis non est.

Quare si infinitas numerorum scientiae Dei, qua comprehenditur esse non potest infinita: qui tamen sumus homunculi, qui ejus scientiae limites figere praesumamus, dicentes quod nisi eisdem circumitibus temporum eadem temporalia repetantur, non potest Deus cuncta quae fecit vel praescire ut faciat, vel scire cum fecerit? Cujus sapientia simpliciter multiplex et uniformiter multiformis, tam incomprehensibili comprehensione omnia incomprehensibilia comprehendit, ut quaecumque nova et dissimilia consequentia praecedentibus, si semper facere vellet, inordinata et improvisa non posset habere; nec ea praevideret ex proximo tempore sed aeterna praescientia contineret (1).

(1) S. Aug. lib. XII de Civ. Dei, cap. VIII. S. Greg. Mag. lib. XX Mor., cap. XXIII.

Quomodo (Deus) est praescius dum nulla nisi, quae futura sunt praesciantur? Et scimus, quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos praeterita nulla sunt, praesentia non transeunt, futura non veniunt. Quippe quia omne quod nobis fuit, et erit, in ejus prospectu est et omne quod praesens est, scire potest potius quam praescire. Quia ea quae nobis futura sunt videt, quae tamen ipsi semper praesto sunt, praescius dicitur, quamvis nequaquam futurum prevideat quod praesens videt. Nam et quaeque sunt, non ab aeternitate ejus ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt quia videntur. In illo enim nec praeterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant et quae in seipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo praeterit quod transit: quia in aeternitate ejus modo quodam incomprehensibili cuncta volumina saeculorum traseuntia manent currentia stant.

Quamobrem non praeterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus praescivit quid futurum est in nostra voluntate. Non enim qui hoc praescivit, nihil praescivit. Porro si ille, qui praescivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid praescivit, profecto, et illo praesciente est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta praescientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare praescium futurorum: sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter et veraciter confitemur;

illud ut bene credamus; hoc ut bene vivamus. Male autem vivitur, si de Deo non bene creditur. Unde absit a nobis ejus negare praescientiam ut liberi esse velimus, quo adjuvante sumus liberi, vel erimus. Proinde non frustra sunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes et vituperationes. Quia et ipsas futuras esse praescivit et valent plurimum, quantum eas valituras esse praescivit; et preces valent ad ea impetranda, quae se precantibus concessurum esse praescivit, et juste praemia bonis factis, et peccatis supplicia constituta sunt. Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse praescivit. Immo ideo non dubitatur, ipsum peccare, cum peccat, quia ille cujus praescientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse praescivit (1). Non est (ergo) consequens, ut si Deo certus est ordo omnium causarum, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio. Et ipsae quippe nostrae voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo ejusque praescientia continetur: quoniam et humanae voluntates humanorum operum causae sunt. Atque ita, qui omnes rerum causas praescivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse praescivit (2).

CAPUT IX.

DEUS SUMME MISERICORS ET JUSTUS.

Omnes viae Domini misericordia et veritas (3). Diligit Dominus misericordiam et judicium (4). An divitias bonitatis, et patientiae et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam. Iis autem qui sunt ex contentione et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati; ira et indignatio (5). Quamvis justitia Dei infinita sit, et infinita quoque sit ejus misericordia, magis tamen suam misericordiam exercet Deus, quam justitiam. Nam in damnatione reproborum apparet misericordia; non quidem totaliter relaxans sed aliqualiter allevians, dum punit citra condignum. Idest quamvis poenae damnatorum aeternae sint et gravissimae, minores tamen sunt quam mereantur, spectatis injuriis quas in Dei majestatem patraverunt.

Justitia in Deo igitur ita sociata est pietati ut miserendo justus sit et puniendo misericors. Dei justitia justitiae non coaequatur humanae. Neque enim naturae legi subdita est, per quam lex est statuta naturae: ut necessitatem non habeat bona non esse, cum justa sit. Habet Dei justitia miserandi voluntatem. Neque tamen per miserandi voluntatem ita erit a se demutata, ne justitia sit. Hoc in Deo praecipuum, hoc in potente laudandum,

(1) S. Aug. lib. v de Civ. Dei, cap. x.
(2) Ibid. cap. IX.
(3) Ps. XXIV.
(4) Ps. XXXI.
(5) Ad Rom. II.

non coelum fecisse, quia potens est. Non terram fundasse, quia virtus est. Non annum astris temperasse quia sapiens est. Non hominem animasse quia vita est. Non mare in accessus ac decessus movisse quia spiritus est. Sed misericordem esse qui justus est. Sed miserantem esse, qui Rex est. Sed dissimulantem esse qui Deus est (1).

Deus neminem deserit, reprobat, et damnat sine malis meritis « Bonus enim est Deus, justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potes quemquam sine mali meritis damnare, quia justus est (2). Justus autem non esset, si nulli obnoxiam peccato imaginem suam vita privaret aeterna; aut verum justum ad regnum suum non admitteret. » Jacob quidem dilexit Deus, Esau odio habuit; antequam quidquam boni vel mali egissent, ut ait Apostolus: Verum, quid diligebat in Jacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiae suae donum? Et quid oderat in Esau antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat; neque in isto odisset naturam quam bonam ipse fecerat. Cujus vult Deus miseretur, et quem vult indurat, inquit Apostolus. Numquid tamen est iniquitas apud Deum? Absit. Quaerimus meritum obdurationis, et invenimus. Merito namque peccati universa massa damnata est; nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur. At potius ut non impertiatur, nec digni sunt, hoc merentur. Quaerimus autem meritum misericordiae, nec invenimus, quia nullum est, ne gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed meritis reddatur (3). O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit. Quid me finxisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam. Miseretur ergo Deus magna bonitate, obdurat nulla iniquitate, ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis (4). Satis sit igitur Christiano ex fide viventi nosse vel credere, quod neminem Deus liberet nisi gratuita misericordia per Jesum Christum. Cur autem illum potius, quam illum liberet, aut non liberet. Scrutetur qui potest judiciorum ejus magnum profundum; verum tamen cavet praecipitium. Numquid enim est iniquitas apud Deum? Absit. Sed inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus (5).

(1) S. Hlar. in Ps. CXLIV.
(2) Aug. lib. III contra Julian., cap. XVIII.
(3) S. Aug. in Epist. ad Sixtum CXCIV alias CV
(4) S. Aug. Enchiridii cap. XCIX.
(5) S. Aug. Ep. ad Sixtum.

CAPUT X.

EA QUAE FECERAT DEUS CONSERVAT, REGIT, PROVIDENTIA SUA GUBERNAT.

«Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses (1)? Creatoris potentia atque omnipotentis et omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturae. Quae virtus ab eis quae creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque motus concideret. Neque enim sicut structor aedium cum fabricaverit, abscedit, atque illo cessante atque discedente stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit si ei Deus regimen sui subtraxerit. Proinde et quod Dominus ait: « Pater meus usque modo operatur » continuationem quamdam operis ejus, quo universam creaturam continet atque administrat ostendit, et quod scriptum est de sapientia ejus: « Pertingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, de qua item scriptum est quod motus ejus agilior celeriorque sit omnibus motibus: satis apparet recte intuentibus, hunc ipsum incomparabilem et ineffabilem et si possit intelligi stabilem motum suum rebus eum praebere suaviter disponendis; quo utique subtracto, si ab hac operatione cessaverit, eas continuo perituras. Tum ex illis verbis Apostolis: « In illo vivimus movemur et sumus » colligit. Ne uno quidem die cessasse Deum ab opere regendi quae creavit, ne motus suos naturales, quibus aguntur atque vegetantur ut omnino naturae sint et in eo quod sunt pro suo quaeque genere maneant, illico amitterent et esse aliquid omnino desinerent, si eis subtraheretur motus ille sapientiae Dei, quo disponit omnia suaviter (2). »

Scriptura divina si diligenter inspiciatur ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse fecit ex malis, et a se factas bonas in actus bonos et in aeternam dirigit vitam, verum etiam illos quae conservant saeculi creaturam, ita esse in Dei potestate ut eas quo voluerit quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam praestanda, vel ad poenas quibusdam ingerendas, sicut ipse indicat, occultissimo quodam judicio, sed sine ulla dubitatione justissimo (3). Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injuste aliquid velle non novit (4).

Omnia Dei facta pulcherrima sunt; et non est malum, quod bonum non habet auctorem. Qui cuncta per mundum nostris usibus praeparavit, et nostris utilitatibus agit, et ita istius universitatis opus condidit, ut alia ad serviendum alia ad exercendum, alia ad dominandum creaverit. Itaque corporeis, animalibusque naturis homines ratione dominamur. Sed ne ipsa potestatis nostrae licentia resolvamur, utiliter exercemur adversis aut spiritibus daemonum, aut diffi-

(1) Sapient. II.
(2) S. Aug. lib. IV de Gen. ad lit. cap. XII.
(3) Aug. de gratia et libero arbitrio cap. XX.
(4) Ibid. cap. XXI.

cultatibus negotiorum, aut ipsorum saepe elementorum motibus, videlicet ut exagitati curis prudentiae et meta divinitatis acuamur (1).

In rerum universitate mala mixta bonis summam dei providentiam commendant. Neque enim Deus omnipotens, cum summe bonus sit ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus ut bene faceret et de malo (2). Non ideo igitur quia videntur perversae res humanae, videatur nobis non esse gubernationem rerum humanarum. Omnes enim homines in locis suis ordinantur. Sed unicuique videtur quia ordinem non habent. Tu tantum vide quid velis esse. Nam quomodo volueris esse, novit artifex ubi te ponat. Pictorem attende. Ponuntur ante illum varii colores et novit ubi ponat quemque colorem. Certe peccator niger color esse voluit. Ideo nescit ordo artificis ubi eum ponat? Quanta ordinat de nigro colore, quanta ornamenta facit pictor? Tu vide quid velis esse. Non cures ubi te ordinat, qui non novit errare, scit ubi te ponat. Sic enim per leges istas mundi videmus hoc fieri. Effractor esse voluit nescio quis: Novit lex judicis ubi illum ponat, ordinat illum optime. Ille quidem male vixit, sed non male ordinavit lex. Ex effractore erit metallicus. De opere metallici quanta opera construuntur? Illius poena damnati, ornamenta sunt civitatis. Sic ergo Deus novit ubi te ponat. Noli putare quia turbas consilium Dei si perversus esse volueris. Qui creare te noverat, ordinare te non novit? Bonum est tibi ut illuc coneris, ut bono loco ponaris. Quid dictum est de Juda ab Apostolo? « Abiit in locum suum. Operante utique divina providentia, quia per malam voluntatem malus esse voluit, non autem Deus malum ordinando fecit. Sed quia ipse malus peccator esse voluit, fecit quod voluit, sed passus est quod noluit. In eo quod fecit quod voluit peccatum ejus deprehenditur. In eo quod passus est quod noluit ordo Dei laudatur (3). »

Placuit divinae providentiae praeparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti, et mala impiis quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quae mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur quibus et boni plerumque afficiuntur. Interest autem plurimum qualis sit usus, vel earum rerum quae dicuntur adversae. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur. Malus autem ideo hujuscemodi infelicitate punitur quia felicitate corrumpitur. Ostendit tamen saepe in his tribuendis evidentius operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteret poena, nihil ultimo judicio servari putaretur. Rursus si nullum peccatum puniret aperte divinitas, nulla esse Providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam

(1) S. Paulinus Epist. XXXVIII.
(2) Aug. Enchirid. cap. II.
(3) Idem Serm. CXXV alias XV ex editis a P. Firmondo.

petentibus evidentissima largitate cederet, non ad eum ista pertinere diceremus. Itemque si omnibus eas petentibus daret, nonnisi propter talia praemia serviendum illi esse arbitraremur; nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos et avaros. Haec cum ita sint, quicumque boni et mali pariter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est, quod utrique perpessi sunt (1).

CAPUT XI.

DE PRAEDESTINATIONE.

« Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini filii sui ut sit ipse primogenitus in multi fratribus. Quos autem praedestinavit hos et vocavit, et quos vocavit hos et justificavit. Quos autem justificavit illos et glorificavit. » His omnia cooperantur in bonis (2). Praedestinatio est praescientia et praeparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Haec electio est quae non invenit electos sed facit de qua Apostolus ad Ephesios scribit: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi qui benedixit nos in omne benedictione spirituali in coelestibus in Christo, sicut elegit nos ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suae in laudem gratiae suae. » Non ergo quia futuri eramus sancti, sed ut essemus. Ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse praedestinans ut tales per gratiam ejus essemus. Haec electio est de qua Christus ait: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat. » Elegit fideles, sed ut sint non quia jam erant. Hinc Apostolus ait: «Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et haeredes Regni, quod promisit Deus diligentibus se? Eligendo ergo, divites facit in fide, sicut haeredes Regni. Recte quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit (2)? »

Aeterna electio sine meritis; salus ex meritis. «Scio cui credidi et certus sum quia potens est depositum meum serbare in illum diem» ait Apostolus ad Timotheum. Scribens autem ad Romanos inquit stipendium peccati mors est: « Gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro. » Audito quod stipendium peccati sit mors, quid te disponis extollere et contrariam morti vitam aeternam tamquam debitum stipendium flagitare? Cui debetur vita aeterna vera justitia est. Si autem vera justitia est, desursum est descendens a Patre luminum. Ut haberes eam, si tamen habes eam, profecto accepisti. Quid enim habes quod non accepisti? Quapropter, o homo, si accepturus es vitam aeternam, justitiae quidem stipendium est, sed tibi gratia est, et ipsa justitia. Tibi enim

(1) S. Aug. de Civ. Dei, cap. VIII.
(2) Ad Rom. VIII.

(3) S. Aug. de Praedestinatione Sanctorum, cap. XVII.

tamquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia cui debetur. Nunc vero de plenitudine ejus accepimus non solum gratiam, qua nunc juste in laboribus usque in finem vivimus, sed etiam gratiam pro hac gratia, ut in requie postea sine fine vivamus. Hoc nihil salubrius fides credit, quia nihil verius intellectus invenit. Igitur cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua (1).

Fingimur ergo, idest formamur, et creamur in operibus bonis, quae non praeparavimus nos, sed praeparavit Deus, ut in illis ambulemus. Itaque si vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia, sine dubio et vita aeterna quae bonae vitae redditur, Dei gratia est. Et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est. Haec autem quae illi datur, quoniam praemium est, gratia est pro gratia, tamquam merces pro justitia; ut verum fit quoniam verum est, quia reddet unicuique Deus secundum opera ejus (2).

CAPUT XII.

DE TRINITATE.

Ubi cuncta percurreris, et omnia, quae procreata sunt, ratione lustraveris, mentemque super his sublimem constitueris, cogita naturam divinam constantem, immobilem, incommutabilem, perturbationum expertem, simplicem, incompositam, indivisibilem, lucem inaccessam, potentiam inesplicabilem, gloriam immensam, bonitatem optabilem, pulchritudinem infinitam, quae verbis declarari non potest pro dignitate. Illic Pater et Filius et Spiritus Sanctus increata natura princeps dignitas, naturalis bonitas, Pater rerum omnium principium: eorum, quae sunt auctor ut sint: viventium radix: ex quo fons vitae profluit.

Sapientia, potestas, imago Dei invisibilis absolutissima Filius ex Patre genitus, qui vivens est verbum, qui Deus est, et est apud Patrem. Sic autem est, ut numquam non fuerit, cum sit ante saecula, non autem post acquisitus. Filius, inquam, non possessio; effector non factus, creator non creatus, qui habet omnia, quae in Patre sunt. Filium, et Patrem dico. Has mihi proprietates observa. In eo namque manens, ut Filius fit, quidquid est, Pater, idem ipse est, quemadmodum ipsemet Dominus voce sua declarat: *Omnia*, inquiens, *quaecumque habet Pater, mea sunt.* Vere enim omnia, quae in exemplaris forma sunt imago continet. *Vidimus*, inquit Evangelista, *gloriam ejus, gloriam ut unigeniti a Patre*, hoc est, non res admirabiles ei munere et gratia tributas sed quam et societate naturali filius obtinet paternae divinitatis dignitatem. Accepisse enim tum rebus creatis commune est, nacura autem obtinere proprium est geniti. Quamobrem ut Filius possidet quaecumque sunt Patris, ut Unigenitus autem universa in se ipso continet et comprehendit, nulla re cum alio divisa. Ex ipsa igitur appellatione

(1) Aug. in Epist. ad Sixtum CXCIV alias CIII.

(2) S. Aug. lib. de Gratia et lib. arb. cap. VIII.

eum naturae socium intelligimus, non jus creatum, sed ex essentia effulgentem, sine intervallo, sine tempore conjunctum Patri, parem in bonitate, in potentia, aequalem gloriae socium. Quid enim est aliud, nisi sigillum, et imago, totum in se Patrem exprimens? Quae autem postea, in corpore constitutus ad te loquitur, disponens hominum salutem, quam in carne nobis apparens attulit, se missum esse dicens, et nihil ex se posse facere, et se mandatum accepisse, et his similia cave ne praebeant tibi occasionem, ut Unigeniti divinitatem imminuas. Potentis enim ad imbecillitatem tuam submissio non debet esse divinitatis ejus imminutio. Naturam igitur cogita Deo congruentem, ex verbis autem abjectioribus dispositionem intellige.

Verum si de his vellemus accuratius in praesentia disserere, longam atque adeo infinitam sermoni nostro disputationem imprudenter insereremus. Quare ad propositum revertamur, animus, quia materiae affectionibus se se potuerit expurgare, et iis, quae creata sunt posthabitis ex profundo ad supera piscis instar emergere, in ea puritate, qua conditus est situs, videbit illic esse Spiritum Sanctum, ubi Filius, et Pater est, habentem et ipsum omnia conjunctim, et ex natura, bonitatem, rectitudinem, sanctitatem, vitam: Spiritus enim inquit tuus ille bonus, et Spiritus rectus et Spiritus tuus illum sanctum. Et lex Spiritus vitae, Paulus ait: Quorum nihil ipsi comparatum est, aut posterius adjunctum, sed quemadmodum nec calefaciendi vis ab igne, nec splendor a luce separari potest, sic a Spiritu nec sanctitas sejungi, nec bonitas, nec rectitudo. Illic ergo consistit Spiritus, illic in beata natura, nec cum multitudine numeratur, sed in trinitate conspicitur. Solus nuntiatur, non cum pluribus comprehenditur.

Sicut enim Pater est unus, et Filius unus, sic et Spiritus unus est. At ministrantium Spirituum multitudinem enumerare vix queas. Proinde in rebus creatis ne quaeras eum, qui super illas est, ne deduxeris illum, qui sanctos facit, ad eos, qui fiunt sancti. Hic angelos replet, sanctas efficit potestates, omnibus vitam praebet. Hic se rebus procreatis sic impartitur, ut cum ab aliis aliter perceptus sit, a nulla tamen ejus participe minuatur, omnibus dat gratiam suam, nec tamen in accipientes insumitur sed cum illi, qui accipiunt, impleantur, ipse tamen integer manet. Quemadmodum sol a corporibus, quae ipse illustrat variis modis excipitur, nec tamen ab illis imminuitur sic et Spiritus gratiam suam omnibus communicans integer, indivisusque permanet. Omnes illustrat ad cognitionem Dei. Numine suo prophetas affiat: legislatores efficit sapientes: sacerdotes erudit: reges corroborat: justos dirigit: temperatos exornat: praestat munera curationum: mortuos in vitam revocat: vinctos solvit: alienos adoptat in filios. Haec per coelestem agit generationem. Si publicanum credentem susceperit, eum declarat evangelistam. Si fuerit in piscatore, theologum reddit: si persecutorem resipiscentem invenerit, gentium a-

postolum facit, praeconem fidei vas electionis. Per hunc imbecilli fortes fiunt, pauperes ditescunt, rudes infantesque sapientibus evadunt sapientiores. Hic et in coelo consistit et terram implevit, et ubique est, et nusquam includitur. Totus in singulis inhabitat, et est totus cum Deo, non ministrantis more dona distribuit, sed auctoritate sua munera dilargitur. Dividit enim singulis, inquit, peculiariter uti vult. Mittitur ille quidem, ut minister, sed sua agit potestate. Hunc animis nostris ut praesto sit nulloque nos tempore deserat obsecremus (1).

Quando cum aliquo eorum, qui Graecorum opinionibus favent instituitur disputatio, commodum est, ut initio disputationis interrogetur, utrum Deum esse fateatur, an neget. Si negabit, ex ratione sapientiaque, quae in mundi moderatione viget, cogetur confiteri, vim quamdam indicari, quae rebus omnibus praesit. Quod si esse quidem non dubitabit; sed multos tamen esse putabit deos, ita deinceps cum illo agemus: existimetne perfectum esse numen, an imperfectum: eoque perfectionem, ut par est, tribuente divinae naturae, rursum rogabimus, num omnibus illis rationibus, quae in divinitate cernuntur, perfectum dicat, ne ex contrariis, perfectoque et imperfecto constet. Quo item concesso, non erit difficile adversarii animum deorum multitudine distractum adducere, ut divinitatem unam esse fateatur. Nam si perfectum omnibus partibus dabit, multaque eodem pacto perfecta dicet, necesse erit ut in iis, quae nulla ratione discrepabunt, sed eadem prorsus videbuntur, aut proprium aliquid ostendatur, aut si proprii nihil apparuerit, nullam animus differentiam poterit cogitare. Etenim si nec ea re discrimen comprehendetur, quod majora minorave sint, quoniam perfectionis ratio non admittit, ut minor sit: nec quod deteriora sint, aut praestantiora, quia divinitas non cadit in id, quod deterius appellari potest: nec quod antiquiora recentiorave sint, quandoquidem id, quod semper non est, ab eo quod numen ac Deum esse, mens concipit, abest: cum una, eademque sit divinitatis ratio, nullaque in ea vere proprietas reperiatur, necessarium est, ut qui opinionis errore multos sibi deos fingebat, unam divinitatem esse fateatur. Nam si bonum, et justum, et sapiens, et potens, et incorruptum, et aeternum, et reliquae omnes piae notiones ita congregentur, ut omnis omnino tollatur differentia, his omnibus in uno eodemque conclusis, necessario auferetur deorum multitudo.

Verum quia religionis veritas quamdam personarum differentiam perspicit in unitate naturae, nedum graecos impugnamus, in Judaeorum labamur errorem, non alienum est ut eum quoque artificiosa quadam distinctione confutemus et refellamus. Nec illi quidem, quia nostra religione abhorrent, numen rationis expers constituunt, hoc autem nobis concessum satis est ad id quod volumus, comprobandum. Qui enim Deum non esse rationis expertem confitetur, is eum habere rationem concedit. Atqui eodem nomine dici-

(1) Basilii Magni ex Orat. de Fide.

tur etiam humana ratio. Quare si quis ad rationis nostrae similitudinem Dei rationem cogitabit, mox ad notionem sublimiorum perducetur. Necesse enim est, ut eodem modo, ratio seu oratio congruat naturae, quo reliqua item omnia conveniunt. Nam licet in homine vita, et potentia, et sapientia cernatur, non tamen ob nominum similitudinem eamdem in Deo vitam, aut potentiam, aut sapientiam dices, sed pro humili naturae nostrae conditione demittentur, et extenuabuntur harum vocum significationes. Etenim quoniam mortalis et imbecilla est natura nostra, idcirco et vita brevis est, et potentia infirma, et ratio, sive oratio incerta. At quidquid de supremae illius naturae magnitudine dicitur, id magnum, eique congruum est. Proinde cum Dei ratio, sive oratio, verbumve dicimus: id non intelligimus tale, ut, quemadmodum in nobis sit, adloquentis impetum consistat, et ad nihilum tendat, sed ut natura nostra cum sit mortalis, mortale quoque verbum habet, sic immortalis semperque consistens natura verbum habet immortale, ac sempiternum. Jam si ex his conficitur Dei verbum semper constare necesse est, illud in vita consistere confiteri. Neque enim consentaneum est, ipsum lapidum instar in animum arbitrari; sed si est, cum intelligens sit, et incorporeum, vivit omnino. Nam si absit a vita, neutiquam consistit.

At dicere Dei verbum non consistere, impium est, ut declaravimus, ex quo sequitur, ut hoc verbum in vita spectetur. Ejus autem natura cum sit simplex, nec duplicitatem, aut compositionem ullam admittat, nemo illud sic in vita esse cogitabit, quasi naturae sit particeps. Nam ejusmodi cogitatio a compositione non abesset, quippe quae rem unam in alia constitueret. Itaque verbi simplicitate concessa necesse est, illud non vitae particeps, sed ipsam esse vitam confiteri. Quod si vivit verbum, atque adeo est ipsa vita, nimirum et propositi, ac voluntatis habet facultatem. Nihil enim in eorum, quae vivunt, est numero, quod hac careat facultate. Existimandum est autem propositum ac voluntatem ejus fieri posse. Si quis enim id, quod fieri potest, non concesserit id, quod fieri nequit, numquam inveniet. At cum Deo cogitamus, quod fieri non potest, procul ab illo removemus. Nihil enim dissentaneum in naturam divinam cadit. Porro tantam necesse est verbi potestatem confiteri, quantum ejus est propositum voluntatis, ne qua contrariorum permixtio in eo, quod simplex est, reperiatur, idque quod fieri nequit, et quod fieri potest in eodem proposito appareant, siquidem aliud efficere valet, aliud non valet. Caeterum cum omnia verbi proposito perfici possint, ad nihil tamen, quod malum sit efficiendum movetur. Nam divinae naturae motus a malo alienus est. Quidquid autem bonum est, id etiam vult, quod autem vult, et plane potest. Quod vero potest, infectum non sinit, sed quaecumque bona sibi proponit, ea perficit. Mundus autem, mundique partes omnes, quae sapienter artificioseque factae cernuntur,

sunt bonae. Itaque viventis quidem ac subsistentis verbi sunt opera, quoniam Dei verbum est. Consilio autem proponentis atque deliberantis, quoniam vivit, valentisque ad exitum perducere, quidquid proposuerit, atque decreverit, sed nihil tamen decernentis, nisi quod bonum, ac sapiens sit, aut si quid aliud meliore aliqua significatione declaratur.

Quamobrem quia bonum esse mundum ostendimus, verbique, quod bonum ante decernit, decretumque potest efficere, mundum esse opus indicavimus, perspicuum est verbum hoc aliud ab eo esse cujus est verbum. Est enim et hoc quodammodo unum ex his, quae cum aliquo conferuntur. Siquidem, audito verbo, verbi quoque parens intelligatur, necesse est. Neque enim verbum esset, nisi alicujus esset verbum. Cum igitur auditores cogitatione distinguant verbum ab eo cujus est verbum, non amplius mysterium nobis in periculo versatur, nedum graecorum opiniones refellimus, videamur judaeorum sententiam approbantibus assentiri. Nam quemadmodum in nobis dicimus verbum a mente proficisci, neque idem omnino esse, quod est mens, nec ab illa prorsus diversum: etenim quatenus ab illa provenit, aliud quiddam quam ipsa est: quatenus autem mentem perspicuam, facit, et explicat, non aliud jam ab ea diversum cogitatur, sed natura unum, subjecto tantum differens: sic etiam Dei verbum, quatenus per se subsistit ab eo distinguitur unde, ut subsistat, habet: quatenus autem ea declarat in seipso, quae cernuntur in Deo, idem est natura cum ipso, in quo eadem indicia, et notae reperiuntur. Nam sive bonitatem, sive potentiam, sive sapientiam, sive aeternitatem, sive malitiae mortis, et corruptionis vacuitatem, sive aliquod aliud ejusmodi signum constituas, quo pater ipse comprehendatur, eodem signo et verbum, quod ex illo subsistit, inveneris. Ac quemadmodum hisce gradibus ascendentes ex nostra supremam illam naturam cognovimus, sic umbris ac simulacris quibusdam potestatis illius, quae verbis explicari non potest, in natura nostra conspectis ad spiritus cognitionem accedimus.

Quamquam spiritus, qui in nobis est, ex aliena re ducitur, nempe ex aëre, qui ad corporis constitutionem necessario hauritur et effunditur, et, cum verbum pronuntiatur sit vox, quae verbi potestatem in se ipsa declarat. In divina vero natura etsi pium est, Dei spiritum cogitare, quemadmodum et Dei verbum inferius sit, sit nostrum cum spiritu, illud sine spiritu esse credatur, non tamen consentaneum est, Deoque dignum arbitrari alienum quiddam; ut in spiritu nostro contigit, in Deum extrinsecus influere, in ipsoque spiritum effici. Sed sicut Dei verbum audientes, non cogitamus illud ejusmodi quod per se non subsistat, aut quod doctrina ingeneretur, voceve proferatur, aut dissolvatur postea quam pronuntiatum est, aut cui denique aliquid eorum eveniat, quae verbo nostro videmus accidere, sed natura subsistens et liberum, et efficax, et omnipotens: eodem modo cum Dei spiritum, qui verbo testi-

monium affert, ejusque vim perspicuam reddit, intelligimus, non anhelitus, spiritum cogitamus: nimis enim abjiceretur divinae potestatis magnitudo, si spiritus ejus nostro similis putaretur. Sed cum in se subsistentem quae in propria natura perspicitur, quaeque nec a Deo in quo est, nec a Dei verbo, cui testimonium tribuit, separari potest, aut in nihilum redigi, sed ad verbi Dei similitudinem, per se subsistit, et libera est, et per se movetur, et efficax est, et semper bonum vult, et ejus voluntati statim perficiendi potestas adest. Quamobrem qui diligenter profundum mysterium contemplatur, in animi arcano mediocrem quamdam divinae cognitionis doctrinam comprehendit, sed eam tamen mysterii altitudinem oratione declarare non potest: quomodo eadem res numerabilis sit, nec tamen enumerationem admittat; cernatur divisa, et simul intelligatur: personis distincta sit, et natura non separetur. Alia namque persona spiritus est, alia verbum, alia is, cujus et verbum est, et spiritus. Sed cum horum distinctionem cogitaveris, naturae unitas nullam admittet divisionem, nec vel principatus et imperii robur confringatur in diversas dissectum divinitates, vel judaica opinio comprobetur, sed media inter utramque opinionem veritas incedens sic ambas haereses tollat, ut ab utraque tamen sumat, quod utile est. Nam et judaeorum profligat opinionem, dum et verbum suscipit, et spiritum credit: et graecorum errores delet, dum naturae statuit unitatem, qua plurium confictio perimitur et aboletur. Rursum autem ex judaica sententia naturae unitatem admittit, ex graecorum vero opinione solam personarum distinctionem. Atque ita utrumque impietatis morbum curat. Etenim sicut eorum qui circa unum peccant, medicina est numerus trinitatis, et unitatis ratio medicamentum illorum qui distrahunt in plura (1).

CAPUT XIII.

DE HAERETICIS, QUI DIVINITATEM FILII DEI NEGARUNT.

Alexander Episcopus Alexandriae hanc epistolam ad omnes episcopos misit contra Arium, quae in Concilio Nicaeno I lecta fuit et approbata.

« Cum sit unum corpus Ecclesiae Catholicae, cumque in divinis scripturis praeceptum sit, ut concordiae ac pacis vinculum servemus; consentaneum est, ut quae apud unumquemque nostrum gerantur, litteris mutuo significemus; quo sive unum ex membris patitur, sive laetatur, nos inter nos vel patiamur una, vel una laetemur. In nostra quidem provincia prodierunt jam viri, qui leges violant, Christo adversantur, et defectionem docent, quam Antichristo viam praemunire, jure optimo quis existimare ac dicere possit.

«Optaveram certe, ejusmodi scelus atque flagitium silentio texisse, ut ac ratione inter ipsos solos desertores et apostatas extingui ac deleri posset, nec in alia loca evagatum, simplicium quorumdam aures suis sordibus inficeret.

(1) Greg. Niss. ex Orat. quae Cathechistica nuncupatur.

Verum quoniam Eusebius, qui nunc Nicomediae episcopus est, quique totum Ecclesiae statum in seipso positum arbitratur (cum a nemine quod ecclesiam Beryti deseruerit, quodque oculos cupiditatis atque ambitionis suae ad episcopatum Ecclesiae Nicomediensis adjecerit, in se animadversum esse videat) istorum etiam qui ab Ecclesia defecerunt, patrocinium suscipit, et ad omnes ubique litteras scribens, eosdem commendat, quo imperitos quosdam in gravissimam haeresim, Christoque penitus adversariam rapiat: necesse habui, cum scirem quod in Lege scriptum est, amplius non tacere; sed rem ipsam, uti est, vobis omnibus denuntiare: ne vel eos, qui defecerunt a Christo, vel eorum dicta atque sententias execrandas ignoretis; aut Eusebio (si forte is ad vos scripserit) ullo pacto acquiescatis. Nam inveteratam suam malevolentiam silentio ad tempus velatam et tectam, jam per istos renovare studet: et licet simulatione quadam prae se ferat, se eorum causa scribere; re tamen ipsa declarat, se sui ipsius causa laborare. Qui ergo defecerunt ab Ecclesia, sunt Arius, Achillas, Aithales, Carpones, Arius alter, Sarmates, Euzoius, Lucius, Julianus, Menas, Helladius, Cajus, Secundus item et Theonas, qui dicti sunt olim episcopi.

« Quae vero isti contra Scripturas excogitarint, temereque effutiverint, ea sunt hujusmodi: « Deum non semper Patrem fuisse; sed tempus aliquando extitisse, cum Deus non esset Pater: Non ab aeterno Dei Verbum fuisse, sed ex nihilo ortum esse. Nam Deum qui est, eum, cum non erat, ex eo quod non est, procreasse; et propterea tempus fuisse aliquando, cum non esset. Creatum enim et factum esse Filium, neque essentia Patri similem, neque natura verum Patris Verbum, neque veram ejus sapientiam esse, sed unum ex rebus creatis et factis; per abusionem autem Verbum et Sapientiam dici: Ipsum factum esse proprio Dei Verbo et Sapientia, quae in Deo est, per quam cum caetera omnia, tum illum ipsum fecit Deus; et eam ob causam natura sua posse converti et mutari, sicut animantia omnia ratione utentia. Verbum esse peregrinum, alienum, et sejunctum a sapientia Dei. Patrem a Filio minime explicari posse; nam Patrem a Filio nec plene et accurate cognosci, nec plene atque perfecte cerni posse. Etenim suam ipsius essentiam, ut est, Filium non percipere: quippe Filium nostra causa factum esse, ut Deus per ipsum, tamquam per instrumentum nos crearet: neque extiturum fuisse aliquando, nisi Deus nos creare in animum induxisset. » Quaesitum est igitur ab illis, utrum Dei Verbum posset mutari, quemadmodum diabolus mutatus est; et non veriti sunt respondere: « Certe potest; nam et mutabilis naturae factus est et mutabilis existit. » Ario igitur, et ejus fautoribus, qui ista asserunt, et de eisdem tam impudenti ore loquuntur, una cum illis, qui ejus opinioni assentiuntur, nos cum aliis fere centum Aegypti et Libyae Episcopis in unum convenientes, anathema denuntiavimus.

« Caeterum Eusebius eos ad se admittit, operamque sedulo dat, ut mendacium cum veritate, et cum pietate impietatem commisceat: sed nullo pacto evicerit; vincit enim veritas, et nulla est societas luci cum tenebris, nulla conventio Christi ad Belial. Quis enim unquam talia audivit? aut quis est, qui si jam audiret, non ea tamquam insolita et peregrina obstupesceret? auresque obturaret, ne ejusmodi verborum sordes in eas illaberentur? Aut quis est, qui cum Joannem audiat dicentem: « In principio erat Verbum » non istos condemnaverit dicentes « Erat tempus aliquando cum non esset? » Aut quis est, qui cum audiat in Evangelio « Unigenitus Filius: » et « Per ipsum facta sunt omnia; » non istos vituperaverit affirmantes « Filium unam esse ex creaturis? » Aut qui poterit ipse illis rebus, quae per ipsum factae sunt, omnino par; aut si (ut illorum fert opinio) caeteris rebus universis connumeretur, esse unigenitus? Aut quomodo ex nihilo factus est, cum Pater dicat: « Eructavit cor meum verbum bonum » et: « Ex utero ante luciferum genui te? » Aut qua ratione essentia Patri dispar ac dissimilis, cum sit perfecta imago et splendor Patris? cumque ipse dicat: « Qui vidit me, vidit et Patrem? » Aut quo pacto, si Verbum et Sapientia sit Dei Filius, erat tempus aliquando cum non esset? Nam perinde est ac si dicerent, Deum aliquando et Verbo et Sapientia caruisse. Aut quo pacto verti, mutarive potest, cum ita loquatur ipse de se « Ego in Patre, et Pater in me est? » Et, « Ego et Pater unum sumus? » Et per prophetam etiam: « Videte me, quod ego sum Deus, et non mutor? » Et quamquam hoc dictum ad ipsum Patrem referri potest, tamen aptius et magis proprie de Filio verbo jam dicitur, quod etiam homo factus, non mutatus est: sed ut Apostolus ait: « Jesus Christus heri et hodie idem ipse, et in saecula. » Quid igitur illos in hanc perduxit sententiam, ut eum scilicet propter nos factum esse dicerent, cum tamen Paulus scribat: « Per quem omnia, et propter quem omnia? » Quod autem falso calumniati sunt, Filium non plene et perfecte Patrem novisse; nemini mirum videri debet. Nam cum semel oppugnare statuissent Christum, rejecerunt penitus voces ipsius Domini dicentis: « Sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem. » Quod si ex parte Pater cognoscit Filium; constat quod et Filius ex parte cognoscit Patrem. Quod si hoc nefas est dicere; sed perfecte Pater novit Filium; perspicuum est, quod sicut Pater cognoscit suum ipsius Verbum sic et Verbum suum ipsius Patrem cognoscit, cujus est Verbum.

« Ceterum quamquam ista recensendo, atque adeo sacras et divinas Scripturas aperte explanando, eos saepe numero convicimus: tamen illi rursus, velut chamaleontes, se se mutabant, dictum illud sapientis ad se maxime trahere contendentes, videlicet: Impium, cum in profundum venerit malorum contemnere. Ac tametsi complures certe haereses ante illorum aetatem exortae essent, quae quidem extra modum audacia evagatae, ad extremam dementiam sunt tandem

prolapsae: isti tamen, utpote ad Antichristum propius accedentes, omni sua oratione Verbo divinitatem auferre molientes, illas haereses prae suorum errorum impietate justas esse quodammodo declarant: quapropter ab Ecclesia pulsi sunt, et anathemate perculsi; et quamquam de eorum exitio permagnum animis dolorem capimus, et maxime quod cum Ecclesiae dogmata aliquando didicissent, nunc ab illis desciverunt: de illis tamen non magnopere miramur. Idem namque non Hymaeneo solum et Philetho contigerat, sed Judae etiam ante illos, qui Salvatoris discipulus fuit, postea proditor et desertor illius factus. Atque istarum rerum nentiquam ignari aut imperiti fuimus: Dominus enim praedixerat: « Videte ne quis vos seducat; nam multi venient in nomine meo dicentes: ego sum, et tempus appropinquavit; et multos seducent; ne eatis post illos. » Paulus etiam cum ista a Salvatore didicisset, scripsit quod novissimis temporibus quidam deficerent a fide sana, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daémoniorum, veritatem aversantium. Jam vero, cum et Salvator noster Jesus Christus hoc ipsemet praeceperit, et per Apostolum de ejusmodi hominibus significarit: nos certe, qui illorum impietatem nostris ipsi auribus accepimus, non sine causa ejus generis hominibus (sicut antea diximus) anathema denuntiavimus, eosque ab Ecclesia et fide catholica alienos palam declaravimus: vestramque pietatem fecimus certiorem, carissimi et honoratissimi fratres, qui estis nobiscum in Ecclesiae ministerio conjuncti; ut si forte quidam ex illis temeritate impulsi, ad vos venire non vereantur, ne eos admittatis; neve Eusebio, vel alteri cuipiam, qui eorum causa ad vos scribat, omnino attendatis. Nam par est ut nos qui sumus christiani, omnes qui contra Christum loquantur, animoque sint ab eo abalienato, tamquam Dei hostes et corruptores animarum devitemus; neque id genus hominibus, sicut praecepit beatus Joannes, vel *Ave* dicamus, ne quando illorum peccatis communicemus. Salutate qui apud vos sunt, fratres: qui mecum sunt, vos itidem salutant. »

CAPUT XIV.

DIVINITAS VERBI DEI DEMONSTRATUR.

Beatus Alexander episcopus ecclesia Arium ejecit, et extrusit dicentem haec: « Non semper Deus Pater, non semper filius fuit sed cum omnia ex nihilo facta sunt, eodem modo et filius extitit, qui et ipse ex rebus procreatis, et factis simul est. Cum omnia non essent prius, quam facta sunt, sic fuit aliquando, cum et Dei Verbum non esset. Neque enim erat ante, quam gigneretur, se existendi principium habuit cum Deus voluit ipsum efficere. Nam unum ex universis operibus ipsum est. Et quoniam natura mutabile est voluntate permansit bonum, cum tamen ut reliqua omnia mutari possit quando vult. Idcirco enim Deus cum praevideret ipsum futurum bonum, hanc illi gloriam tribuit, quam ex virtute deinceps obtinuit. Dicunt igitur Chri-

stum non esse verum Deum, sed communione Deum dici, ut reliquos omnes.

Addunt praeterea ipsum non esse in Patre, natura et proprium essentiae illius Verbum, et propriam ejus sapientiam, qua quidem sapientia et Verbum hoc fecit. Tunc enim ipsum Dominum opinione item dici sapientiam propter illa, quae sapientia sunt ornata. Denique cum omnia sint aliena et peregrina, et ab essentia Patris remotissima, sic et ipsum asserunt ab essentia Patris alienissimum ac remotissimum, quippe qui factus et creatus sit et unum opus. Ad haec ajunt, Deum non propter illum nos procreasse, sed illum propter nos. Erat enim ajunt, solus Deus, et cum illo non erat Verbum. Deinde cum vellet nos efficere, tunc et illud effecit et ex quo factum est Verbum et filium, et sapientiam ipsum appellavit, ut nos per illud procrearet. Et quemadmodum reliqua omnia Dei voluntate extiterunt, eam non esse prius, sic et ipsum, cum antea non esset, factum est. Neque enim, inquiunt proprius et naturalis filius Patris est Verbum, sed et ipsum per gratiam extitit. Qui enim est Deus, filium, qui non erat, fecit ea voluntate, qua fecit et fabricavit, et procreavit, et esse voluit omnia. Nam illud etiam dicunt, Christum non esse naturalem et veram patris virtutem, sed quemadmodum bruchus et eruca, sic et ipse Patris inquiunt, virtus dicitur. Illud item adjungunt Patrem esse filio invisibilem; filium enim Patrem nec videre nec intelligere perfecte et absolute. Nam cum existendi principium habeat, non posse eum qui principio caret cognitum habere. Quod si cognoscat, et videat pro mensurae suae ratione cognoscere et videre, quemadmodum etiam nos pro viribus nostris cognoscimus et intuemur. Ac non solum exquisitam non habere Patris cognitionem, sed ne propriam quidem sui ipsius essentiam nosse. Quae quidem omnia Scripturis divinis, adversantur « In principio » enim Joannes inquit « erat Verbum » et alibi « sumus in vero filio ejus Jesu Christo » hic est verus Deus, et vita aeterna.

At isti repugnantes dicunt, Christum non esse verum Deum, sed communione quadam ut sunt reliqui omnes, qui vocantur dii. Et Apostolus quidem gentes accusat, quod res procreatas colant. Et servierunt inquiens creaturae potius quam creatori. Isti autem cum Dominum creatum asserant, et illi tamen serviant, quid a gentibus differunt? Cur enim si ita sentiunt, non etiam in eos judicium sit, et quemadmodum gentibus, sic etiam ipsis Beatus Apostolus irascatur? Et Dominus inquit: « Ego et Pater unum sumus, et qui vidit me vidit et Patrem.» Et Apostolus ab eo missus ad Evangelium divulgandum ita scribit: « Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus. » At isti dividere audent, eumque ab essentia, aeternitateque Patris alienum et mirabilem dicere. Nec animadvertunt impii se, dum haec dicunt, illum non amplius unum cum Patre, sed cum rebus procreatis constituere. Quis enim non videt, a luce separari non

posse splendorem, cujus proprium est ut naturali vinculo cum illa semper conjunctus sit, non autem postea in illa factus? Quid? quod Pater dicit: « Hic est filius meus dilectus? » Et Scripturae affirmant hunc esse Patris Verbum, in quo et coeli firmati sunt et omnia denique per ipsum condita? Isti novae commentitiaeque doctrinae inventores aliud inducunt Verbum, et aliam Patris sapientiam comminiscuntur.

Etenim opinione tantum propter illa, quae ratione sunt praedita, Verbum et Sapientiam dici affirmant, nec vident quam absurdum sit id quod ex eorum sapientia sequitur. Nam si opinione tantum propter nos Verbum et Sapientia dicitur, quid ipse sit, non poterunt dicere. Etenim cum Scripturae dicant eum esse Verbum et Sapientiam, ipsi autem Dominum esse negant, ne esse quidem illum volunt homines nefarii, et inimici Scripturarum. Ac fideles quidem viri possunt haec discere tum a Patris voce tum ab Angelis ipsum adorantibus, tum a sanctis scriptoribus, qui de illo locuti sunt. Isti vero, qui mentem habent impuram, nec res divinas, nec theologos viros intelligunt, possunt a daemonibus saltem sui similibus edoceri. Qui clamabant non tanquam multos, sed ut hunc solum viderent et dicebant: « Tu es Sanctus Dei et Filius Dei. » Nam ipse quidem, qui haeresim animis eorum injecit, cum tentaret illud in monte non dixit: si et tu filius Dei es, quasi essent et alii, sed tanquam solus ipse esset: « Si tu es filius Dei » inquit. Ad hominibus admirandis idem accidit quod ipsis Graecis. Sicut enim hi cum possent unum Deum percipere, deorum sibi multitudinem confixerunt; sic et illi cum unum Patris Verbum esse non crederent, ad multitudinem confugerunt. Et eum qui vere Deus est, Verbum esse verum negantes, creatum fuisse audent cogitare et dicere, nec attendunt, quanta impietate referta sit ejusmodi sententia. Nam si creatus est quomodo, rerum procreatarum auctor esse potest? Aut quomodo ipse filius est et Sapientia et Verbum? Verbum enim non creatur, sed gignitur. Et quod creatum est non est filius sed opus confectum. Quod si res procreatae per ipsum effectae sunt, creatus autem et ipse est, per aliquid omnino factus est. Necesse est enim, ea quae fiunt, per aliquem fieri. Non est autem creatus aut factus, quia non est opus, sed Verbum Patris. Praeterea si alia praeter Dominum est Patris Sapientia, et sapientia in sapientia facta est. Si autem Sapientia est Verbum Dei erit Verbum in Verbo factum. Et si Dei Verbum est filius, filius erit in filio factus. Quomodo igitur Dominus dixit: « Ego in Patre et Pater in me est, cum in Patre sit alius, in quo et ipse Dominus factus est?» Cur autem et Joannes omisso illo de hoc tantum loquitur: « Omnia, inquiens, per ipsum facta sunt, et sine ipso ne unum quidem factum est?» Jam si omnia voluntate Dei facta, per ipsum facta sunt, quomodo et ipse unum eorum sit? Et cum Apostolus dicat: « Propter quem omnia et per quem omnia. » Isti non propter illum nos esse factos asserunt

sed eum propter nos. Si enim res sic haberet, dicendum erat: propter quos factum est Verbum. Non autem id dixit, sed propter quem omnia, et per quem omnia. Ex quo istos haereticos esse et Sycophantes declaravit. Jam cum ausi sint dicere, aliud quoddam esse Verbum in Deo, quando nequeunt apertas ex Scripturis demonstrationes afferre, opus saltem ostendant aliquod istius a se conficti Verbi, si Patris opera sine hoc Verbo facta sunt, ut stultitiae suae causam aliquam habere videantur. Nam veri quidem Verbi opera cunctis perspicua sunt, ex quibus ratione quadam et ipsum cognoscitur. Quemadmodum enim res procreatas intuentes procreatorem ipsarum Deum intelligimus, ita cum nihil in eis confusum, sed omnia ordine et providentia moveri, conservarique conspicimus, Dei Verbum in omnibus existens, et omnium regens ac moderans animadvertimus. Hoc et divinae Scripturae testantur, quae dicunt ipsum esse Dei Verbum et per illud omnia fuisse confecta, et sine ipso factum esse nihil. Istius autem Verbi, quod ipsi afferunt, nec Scripturae testimonium, nec opus ullum ostendunt. Siquidem et Pater « hic est » inquiens « filius meus dilectus » nullum alium esse praeter ipsum significat. Quamobrem egregii isti homines Manichaeis in hac parte videntur similes. Ut enim illi Deum quemdam nomine dumtaxat bonum appellant, opus autem illius, quod aut videatur, aut non videatur, nequeunt ullum demonstrare. Deum vero illum, qui re ipsa verus est Deus, coelique, et terrae, et eorum quae sub aspectum non cadunt, effector est, negant, atque ita fabularum confictores esse deprehenduntur, sic et isti declarant dementiam suam, qui non illius Verbi, quod unum in Patre est, opera contemplantur, et ipsum negant, aliud autem ipsi confingunt Verbum, quod nullius nec operis nec Scripturae possunt testimonio comprobare... Deinde cum Apostolus dicat: « Christus Dei virtus, et Dei sapientia » isti cum bruchis illum et vulgatis et communibus virtutibus numerant. Quid? cum Dominus dicat: « Nemo novit Patrem nisi filius.» Et rursum: « Non quod Patrem quispiam viderit, nisi ille, qui est a Patre, nonne isti vere pugnent cum Deo dicentes Patrem a Filio nec videri, nec cognosci perfecte? » Cum enim idem Dominus dicat: « Sicut cognoscit me Pater, sic ego cognosco Patrem; » Pater autem non ex parte cognoscat Filium, nonne insaniunt, dum ita nugantur, ut asserant Flium ex parte et non plene Patrem cognoscere? Ad haec si Verbum existendi principium habet, et tres item omnes principium habent, quo factae sunt quid in his primum sit, dicant. Verum, quid responderent homines astuti non habebant. Patris enim est verum principium et sempiternum. Et in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et *Deus erat Verbum.* Nam quod dicunt filium ne suam quidem naturam cognoscere, id vero ne responsione quidem dignum est, et ipsorum furorem coarguit. Quomodo enim se non cognoscat Verbum, quod omnibus tum Patris tum sui ipsius cognitione elargitur,

atque eis, a quibus non cognoscuntur irascitur et indignatur (1).

Ex Deo Deus est Verbum. Et Deus enim erat Verbum. Et quoniam ex Deo Deus est, et Dei Verbum sapientia et Filius et virtus est Christus, idcirco unus Deus in divinis Scripturis enuntiatur. Unius enim Dei Filius, cum sit Verbum, ad ipsum, cujus etiam est, refertur, ut duo quidem sint Pater et Filius, sed una utriusque divinitas, quae dividi secarique non potest. Dicemus etiam hoc modo. Divinitatis unum est principium, non autem duo principia. Quare proprie principatus est. Ex ipso autem principio natura filius est Verbum non ut principium alterum, quod per se subsistat aut extra ipsum sit factum ne duplex, aut multiplex imperium existat, sed unius principii proprius filius, propria sapientia, proprium Verbum ex ipso consistens principio. Nam, ut Joannes scribit, in hoc principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. Deus enim principium est. Et quoniam ex ipso Verbum est, idcirco etiam Deus est. Ac quemadmodum filius non est alterum principium, ne duo principia sint, sic Verbum, quod ex uno est principio non dissolvitur, neque est vox simpliciter significans, sed est per essentiam Verbum, et per essentiam sapientia, quae vere est Filius. Nam si per éssentiam non esset, Deus esset in aëra loquens, et corpus quod nihil hominibus amplius contineret.

Verum quoniam non est homo, nec Verbum ejus est, ut exigit hominum imbecillitas. Sicut enim una essentia principium est, sic unam per essentiam subsistens Verbum et sapientia. Nam ut ex Deo Deus est, et ex sapiente sapientia, et ex rationem habente ratio, seu Verbum, et ex Patre Filius, sic ex eo, qui in propria existit persona, in persona propria existens, et ex essentia habens essentiam, in essentiaque constans et ex eo, qui est, is qui est. Etenim nisi esset sapientia per essentiam, et Verbum in essentia constans, et Filius existens, sed simpliciter esset sapientia, et Verbum, et Filius in Patre, ipse Pater esset ex sapientia, Verboque compositus. Ex quo sequerentur ea, quae praediximus incommoda, essetque ipsemet sui ipsius Pater, et Filius, et seipsum generans, et a se genitus. Aut nomine tantum est Verbum et sapientia, et Filius non autem subsistit is, de quo haec dicuntur, vel potius qui haec ipsa est. Si non subsistit, inania haec sunt nomina, et supervacanea, nisi quis dicat Deum esse ipsam sapientiam, et ipsum Verbum. At hoc pacto ipse sui ipsius esset Pater et Filius. Pater quidem quando sapiens, Filius autem, quando sapientia. Verum haec non sunt in Deo, ut qualitas quaedam. Absit. Absurdum enim hoc est. Nam Deus hoc modo esset compositus ex essentia et qualitate. Siquidem omnis qualitas est in essentia. Et hoc pacto divinam unitatem, quae dividi non potest, compositam esse constaret, quippe quae in essentiam, et accidens secaretur (2).

Quemadmodum vere Pater est, sic

(1) Magni Athanasii ex quarto contra Arianos libro.

(2) Athanasius, loc. cit.

sapientia vere est. Hac igitur ratione duo sunt, quoniam non, ut Sabellius opinatur idem est Pater et Filius. Sed Pater est Pater, Filius est Filius. Unum autem sunt. Quia Filius per naturam est essentiae Patris proprium ipsius Verbum existens. Hoc Dominus docebat inquiens: « Ego et Pater unum sumus. » Neque enim Verbum a Patre separatum est, neque Pater sine Verbo unquam fuit, aut est. Quare et Verbum est Deus, et Pater non fine Verbo (1).

Deus aut sapiens est, nec ratione, seu oratione, aut Verbo caret: aut contra insipiens et Verbo carens. Hoc si admiserint statim per se ut absurdissimum corruet. Sin illud concesserint, interrogandi sunt, quomodo sapiens sit, ne Verbo careat. Utrum extrinsecus an ex se Verbum et sapientiam habuerit. Nam si extrinsecus, Verbum illi ut additum et adglutinatum adhaerebit, et ipse priusquam illud assequeretur, insipiens erat et sine Verbo. Sin ex se perspicuum est, illud non ex nihilo constitisse, neque fuisse unquam, cum non esset, semper enim fuit, quoniam et is, cujus imago est, semper est. Quod si dixerint Deum quidem esse sapientem, nec Verbo vacare, sed propriam in seipso, sapientiam, et proprium Verbum obtinere, quod tamen non sit Christus, cum in eo Christum etiam fecerit: respondendum erit, si Christus in illo factus est, et omnia nimirum in illo fuisse facta, et esse Verbum illud, de quo et Joannes inquit: « omnia per ipsum facta sunt: » et David: « omnia in sapientia fecisti. » Quod si aliud Verbum in Patre sit, Christus mendax deprehendetur cum dicit: « Ego in Patre, et Pater in me est. » Illud item falsum esse constabit « Verbum caro factum est. » Nam si Verbum in quo facta sunt omnia, factum est caro, Christus autem non est Verbum illud a Patre, per quod omnia facta sunt. Verbum utique caro factum non est, sed forte Christus nominatus est Verbum. Ex quo primum sequitur, ut aliud sit, quam nomen indicat, deinde, ut non per ipsum facta sint omnia, sed in illo, in quo et Christus. Quod si sapientiam aut ipsam sapientiam qualitatem esse dixerint in Deo Patre, eadem, quae supra dicta sunt incommoda consequentur, ut et compositus sit, et ipse sui ipsius tum Filius, tum Pater. Attamen eos inde redargui, et convinci oportet. Quoniam si Verbum in Deo est, creatum non est, neque factum ex nihilo. Quod si in Deo semel conceditur esse Verbum, non alius illud erit, nisi Christus, qui inquit: « Ego in Patre, et Pater in me est. » Qui et ideo est unigenitus, quia nullus alius ex ipso genitus est, nisi unus hic Filius, qui est Verbum, et sapientia et virtus. Ex quibus tamen non componitur Deus, sed genitor esse constituitur. Quemadmodum enim Verbo res creat: sic essentiae propriae Filium per naturam gignit ipsum Verbum, per quod et facit et creat, et regit omnia. Verbo enim et sapientia facta sunt universa, et ejusdem praescripto ordine conservantur (2).

Ne vile aliquid putares, quale consuevisti cogitare, cum verba humana

(1) Athanas., lib. v contra Arianos.

(2) Athanas. ex eod. libro.

soleres audire, audi quid cogites « Deus erat Verbum. » Exeat nunc nescio quis infidelis Arianus, et dicat, quia Verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri, ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si et Verbum Dei ipsum factum est; per quod aliud Verbum factum est? Si hoc dicis, quia hoc est Verbum Verbi, per quod factum est illud; ipsum dico ego unicum filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia. Non enim per se ipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia. Crede ergo evangelistae (1).

CAPUT XV.

DE SPIRITU SANCTO.

Cum dolore (scribitur) quosdam ab Arianis propter eorum maledicta in filium Dei ita recessisse, ut iidem tamen de Spiritu Sancto male sentiant, eumque non modo creatum, sed unum e spiritibus ministrantibus asserant, et gradu tantum ab Angelis differentem. Horum stultitiam merito quis admiretur, qui cum Dei filium creatum esse negent, et in hoc recte sentiant, spiritum Filii creatum esse vel audire queant. Etenim si propter unitatem Verbi cum Patre sic ex rerum procreatarum numero filium eximunt, ut ipsum procreatorem et effectorem illarum, uti re vera est, esse velint, cur Spiritum Sanctum, qui eamdem unitatem habet cum Filio, quam Filius habet cum Patre, creatum esse contendunt? Nec animadvertunt, se quemadmodum a Patre Filium non sejungentes, Deum unum esse conservant, ita a Verbo Spiritum sejungentes, non amplius unam in Trinitate divinitatem servare, cum illam dissecent, et cum aliena, diversaque natura commisceant, et rebus procreatis exaequent. Ex quo Trinitas non unum esse, sed ex duabus, eisque differentibus naturis constare, et composita esse declaratur, propter spiritus diversitatem quam isti sibi confixerunt. Quamobrem male de Spiritu Sancto sentientes, ne de Filio quidem recte sentiunt. Nam si de Verbo recte sentirent, sanam item de spiritu sententiam retinerent, qui proficiscitur a Patre et Filii proprius est, a quo illum accipiunt. Spiritui enim ut magnus ille martyr Stephanus dicebat, resistentes Filium etiam negant, et qui filium negant, ii nec patrem habent. Unde igitur, o miseri, tanta vobis audacia, ut id quod a Domino dictum est: « Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem nêque in hoc saeculo, neque in futuro; non formidetis? » Ariani quidem, Verbi adventum in carne, et ea, quae propter illum dicta sunt, non intelligentes, occasionem arripuerunt, ut in haeresim suam incederent et cum Deo pugnare, ac vere de terra inaniter loqui deprehenderentur. Vos autem qnomodo decepti estis? a quibus haec accepistis? aut quaenam erroris vestri causa fuit? Legimus, inquiunt, apud Amos prophetam Deum ita loquentem: « Ecce ego formans tonitrum, et creans spiritum et hominibus nuntians Christum meum,

(1) Aug. Tract. I in Joan.

faciens auroram et nebulam, et conscendens excelsa terrae, Deus omnipotens nomen illi. Hoc, inquiunt, adducti testimonio in Arianorum opinionem descendimus, qui Spiritum Sanctum creatum esse dicunt.

Vos ergo, quae sunt apud Amos, legistis, illud autem, quod est in Proverbiis, « Dominus creavit me initium viarum suarum ad opera sua » non legistis. An legistis quidem et quemadmodum veritas habet sic interpretamini, ut Verbum negetis creatum esse. Amos autem prophetae verba non eodem modo interpretamini, sed cum simpliciter Spiritum auditis dici Spiritum Sanctum existimatis? Atqui sapientia perspicue in Proverbiis dicit «creavit me.» Et tamen nos, ac recte quidem facientes, ita dictum illud exponitis, ut sapientiam rerum procreatricem extra res procreatas collocetis. Haec autem prophetae verba nullo certo indicio Spiritum Sanctum ostendunt, sed simpliciter Spiritum dicunt. Cur igitur cum et in Scripturis complures sint Spiritus differentiae et ex his verbis recte possit sententia colligi, vos ut homines litigiosi aut serpentis Arianici morsu saucii a Propheta dici Spiritum Sanctum arbitramini? Id mihi saltem respondete, utrum in aliquo Scripturae loco Spiritum Sanctum inveniretis simpliciter spiritum dici, an ubique vel Dei Spiritus dicatur, vel *Patris*, vel *meus*, vel *Christi*, vel *Filii*, vel a *me* quod a Deo significat, vel cum articulo conjunctus ne simpliciter spiritus intelligatur flatus, aut ventus, sed ille ipse Spiritus Sanctus, vel Paracletus, vel Veritatis, nempe fili dicentis: « Ego sum veritas. » Quod quidem ideo factum est ne simpliciter spiritum audientes Spiritum Sanctum dici putaretis. Excipiantur ea loca, in quibus cum Spiritus Sancti mentio jam facta sit, iterum nominatur, et in quibus, cum ante didiceris de Spiritu Sancto verba fieri, tanquam idem repetatur et memoretur, licet Spiritus tantum audias, ignorare non potes de quo sermo sit institutus, praesertim si articulus etiam adhibeatur. Nullum enim omnino locum invenies, ubi sine articulo, aut sine aliqua ejusmodi adjectione significetur Spiritus Sanctus. Nam quod Paulus ad Galatas scribens: «Hoc solum, inquit, volo a vobis discere, ex operibus legis Spiritum accepistis, aut ex auditu fidei? » Perspicuum est eos Spiritum Sanctum accepisse, qui credentibus datur, et iis qui per lavacri regenerationem renascuntur. Et in priore epistola, quam ad Thessalonicenses scripsit, inquit: « Spiritum nolite extinguere. » Sciebant enim et ipsi Paulum de illo Spiritu, quem acceperant, loqui, ne per negligentiam extinguerent Spiritus Sancti gratiam quam acceperant.

Sic item in Evangeliis accipienda sunt ea loca, in quibus de Servatore tamquam de homine propter carnem quam induerat, loquuntur evangelistae, ut cum dicunt: « Jesus autem plenus spiritu regressus est a Jordane, » et « Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu. » - Lucas enim antea dixerat « factum est autem cum baptizaretur omnis populus, Jesu baptizato et orante apertum est coelum et descendit Spiritus Sanctus corpo-

rea specie sicut columba super ipsum.» Sic illi apud quos est Spiritus Sanctus, quoties sine adjunctione ponitur, non dubitant Spiritum Sanctum intelligi praesertim si articulus adsit. Vos autem dicite, an in aliquo Scripturae loco Spiritum Sanctum simpliciter spiritum dici, id quod vobis propositum est inveneritis, sine illa adjectione, quam supra dicimus, aut illa observatione cujus mentionem fecimus. Hoc profecto dicere non poteritis, nusquam enim ita scriptum reperietur. Attamen dicitur etiam hominis spiritus. Inquit enim David: « Meditabar cum corde meo et fodiebat me spiritus meus. » Et ventorum flatus, spiritus appellantur. Quin etiam si divinas Scripturas versetis, divinorum sermonum sensum ac mentem vocari spiritum animadvertetis. Cum Paulus dicat: « Qui et idoneos ministros nos fecit novi Testamenti, non litterae sed spiritus. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. » Dicta enim litteris expressa sunt, eorum autem sensus et mens, spiritus appellatur. Sic et lex spiritalis dicitur: « Ne serviamus, inquit idem Paulus, vetustati litterae, sed in novitate spiritus. » Et gratias agens: « Lex, inquit, enim spiritus vitae in Christo Jesu liberavit me a lege peccati. » Jam Philippus cum vellet Eunuchum a littera ad spiritum traducere, inquit: « Numquid intelligis quae legis? » Talem etiam spiritum habuisse Chaleb Dei testimonio comprobatur, inquit: « Quoniam fuit alius in eo spiritus, et secutus est me, introducam eum in terram hanc, quam circuivit. » Alia enim mente, quam reliqui, locutus Chaleb gratus fuit Deo. Ejusmodi cor ut haberet populus, praecipiebat Deus per Ezechielem, inquiens: « Facite vobis cor novum et spiritum novum. » Cum igitur jam variis modis spiritus accipiatur, rectius ageretis, si cum spiritum creatum auditis, aliquo modo eorum, quos commemoravimus, intelligeretis. Sic apud Isaiam scriptum est: « Consensit Aram cum Ephraim, et commota est anima ejus, et anima populi ejus, quemadmodum in sylva lignum a spiritu movetur. » Ejusmodi fuit et ille spiritus, quem propter Jonam Dominus excitavit. Ventorum enim spiritus tonitrum consequuntur. Ut in illa pluvia, quae fuit tempore Achab cum obscuratum est coelum nubibus et spiritu. At enim, inquiunt, quia Scriptura Christum nominat consentaneum est ut spiritum hunc non alium nisi Spiritum Sanctum intelligamus. Imo vero quoniam spiritum tamquam alienum naturaque diversum secernitis a filio, cum Christum quidem creatum, negetis, spiritum autem creatum asseratis, absurdum est, quae natura sunt dissimilia, ea simul nominare? Quae enim societas aut similitudo potest esse rei procreatae cum procreatore? Alioquin eodem pacto potestis numerare, et conjungere cum filio ea quae per filium facta, creataque sunt. Aequius igitur erat, ut quod scriptum est, de spiritu ventorum, quemadmodum diximus, intelligeretis. Verum quoniam ea re vos excusatis, quod Christi fit mentio necesse est ut locum hunc diligentius expendamus, et sensu magis proprio spiritum crea-

tum dici demonstremus. Quid igitur est Christum suum hominibus nuntiare, nisi ipsum hominem fieri ut perinde sit, ac si dixisset: « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emanuel » et, quae de ipsius peregrinatione scripta sunt? Divino autem assumptae carnis per Verbum nuntiato consilio, quem debemus spiritum creatum existimare, nisi spiritum hominum qui recreatur et renovatur? Hoc enim per Ezechielem prophetam promisit Dominus inquiens: « Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum dabo vobis, et auferam cor lapideum e carne vestra et dabo vobis cor carneum et spiritum novum dabo in vobis. » Ecquando perfectum hoc est, nisi cum Dominus veniens per gratiam omnia renovavit? Ecce enim et in his verbis spirituum differentia. Nam et spiritus noster is est qui renovatur et Spiritum Sanctum non simpliciter sed spiritum suum appellat Deus, in quo et spiritus nostri renovantur. Ut David etiam in psalmo centesimo tertio canit: « Emittes spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae. » Quod si Dei spiritu renovantur, non Spiritus Sanctus profecto sed spiritus noster est his, qui nunc creari dicebatur. Quod si filium, propterea quod omnia per Verbum facta sunt, creatum esse negatis, et recte quidem, nonne contumeliosi estis cum spiritum creatum dicitis, in quo per filium omnia perficit et renovat pater?

Proinde cum hoc loco scriptum sit spiritum creari, nihil est cur opinionis errore ducti Spiritum Sanctum dici vobis persuadeatis, quia Spiritus Sanctus non creatur, sed noster spiritus, qui in ipso renovatur. Quod facile ostendit David cum precaretur: « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. » Cum igitur creatus spiritus sic intelligatur, firmatum tonitrum possumus fidelem sermonem et immobilem spiritus legem interpretari cujus cum vellet Dominus Jacobum et Joannem ministros esse, eos Boanerges, hoc est tonitrui filios appellavit. Quare Joannes vere de coelo tonat. « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Prius enim umbram habebat lex futurorum bonorum. At cum Christus hominibus nuntiatus est et, advenit inquiens: «Ego qui loquebar adsum» tunc Paulus ait, vox ejus commovit terram, cum antea denuntiasset « Adhuc semel, inquiens, movebo, non modo terram, sed etiam coelum. Illud autem, adhuc semel, significat eorum, qui moventur, mutationem, ut maneant quae non moventur. At isti vere mobiles cum Arianis consentientes maledicta contra divinitatem cum illis ita partientes ut illi filium, ipsi vero spiritum creatum asserant, ausi sunt, ut ipsi ajunt, sibi rursum modo invenire et perperam interpretari Apostoli verba, quae recte ille ad Timotheum scripsit: « Testificor coram Deo et Christo Jesu et electis Angelis, ut haec serves sine praejudicio nihil faciens in alteram partem declinans » Deum et Christum, inquiunt, nominavit, deinde Angelos. Itaque necesse est ut in Angelorum numero spiritus pona-

tur, est enim ex ordine ipsorum, ita tamen ut sit omnium maximus. Primum dicimus istius impietatis inventum esse Valentini. Quamobrem ea, quae Valentini sunt, istos loqui non est obscurum. Dicebat enim Valentinus cum Paracletus mitteretur, una cum illo aequales ipsius angelos fuisse missos. Deinde cum spiritum ad angelos deducant, non animadvertunt se angelos in Trinitate collocare.

Nam si, ut ipsi sentiunt, Angeli cum Patre et Filio sunt, et in Trinitate nimirum sunt Angeli, nec amplius sunt Spiritus ministrantes in ministerium missi, neque sanctificantur, sed ipsi potius sanctificant. Quae porro istorum vecordia est? Ubinam in Scripturis invenerunt Spiritum Angelum dici? Paracletus enim (ut ea quae dicta sunt repetam) dictus est et Spiritus adoptionis, et Dei Spiritus sanctificationis et Dei Spiritus et Spiritus Christi. Nusquam vero dicitur Angelus neque Archangelus, neque Spiritus administrationis, quales sunt Angeli, sed filii potius, et ipsius minister est Gabriel, qui Mariam alloquens inquit: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. » Quod si Spiritus in Scripturis Angelus non appellatur, quomodo stulta istorum audacia defendi potest? Quando ille ipse Valentinus, qui impiam istam perversitatem disseminavit, hunc Paracletum, illos autem Angelos nominat. Sed ecce, inquiunt, quid apud Zachariam prophetam scriptum sit: «Haec dicit Angelus qui loquebatur in me. » Ex quo patet, spiritum in propheta loquentem ab ipso Angelum vocari. Haec isti non dicerent si prophetae verba diligentius considerassent. Ipse enim Zacharias cum candelabri visum explicasset « et respondit, inquit, Angelus, qui loquebatur in me, et ait: « Numquid nescis, quid sint haec? et dixi: Non Domine mi. » Et ait ad me dicens: « Hoc est Verbum Domini ad Zorababel dicens: Non in exercitu magno nec in robore, sed in spiritu meo dicit Dominus omnipotens. » Angelus ergo, qui loquebatur, ut ex his perspicuum sit non erat Spiritus Sanctus, sed ipse quidem Angelus erat, Spiritus Sanctus autem erat omnipotentis Spiritus, qui et Angelum ministrum habet nec a divinitate, nec a Verbi potentias segregatur. Verum quoniam isti dictum apostolicum objiciunt, qui post Christum electos Angelos commemoravit, dicant quis ex omnibus his cum trinitate constituatur, neque enim omnes Angeli sunt unus numero; aut quis eorum ad Jordanem in columbae specie descenderit, millia enim millium, et innumerabilia sunt millia Angelorum qui ministrant. Cur igitur coelis apertis dictum non est, et ex electis Angelis unum descendit, sed Spiritus Sanctus? Aut cur ipse Dominus cum de Mundi consummatione verba faceret ad discipulos, distinguens, dixit: « Mittet filius hominis Angelos suos, » et antea dictum est: « Angeli ministrabant ei,» et rursum ipse inquit: « Venient Angeli, » discipulis vero spiritum tribuens inquit « accipite Spiritum Sanctum,» et eos ad promulgandum evangelium mittens inquit: « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus

Sancti. » Non enim Angelum in divinitate collocavit, neque nos sibi et Patri in re procreata conjunxit, sed in Spiritu Sancto. Quem cum ipse promitteret, non dixit se missurum Angelum, sed Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Et Moses, qui Angelos creatos esse non ignorabat, Spiritum Sanctum autem cum Patre Filioque conjunctum, cum Deus ipsi loqueretur: « Vade, inquiens, descende hinc tu et populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti, in terram quam me daturum juravi Abraham, Isaac et Jacob, dicens semini vestro dabo ipsam, et mittam ante faciem tuam Angelum meum et ejiciet Chananaeum, recusavit nisi tu, inquiens, nobiscum proficiscaris, ne me deducas hinc. Nolebat enim, rem creatam populum antecedere, ne populus eam, posthabito Creatore disceret adorare. Itaque Angelum recusans, precabatur ut ipse Deus dux esset populi. Cui promittens Deus, et hoc, inquit, quod dixisti, faciam: invenisti enim gratiam in conspectu meo. Quid? vos ne soli ex omnibus ignoratis quod apud Isaiam scriptum est? Ubi est, inquit, qui posuit in ipsis Spiritum Sanctum qui dextera duxit Mosen? et paulo post, descendit, inquit, Spiritus a Domino et dux eorum fuit.» Quis non ex his percipit Veritatem? Etenim cum Deus promisisset se ducem eorum futurum, ecce non Angelum dicitur mittere sed Spiritum suum, qui est super omnes Angelos, et ipse Spiritus populum ducit. Ex quo patet Spiritum non esse creatum, neque esse Angelum, sed supra res omnes creatus, et Patris divinitati conjunctum. Deus enim per Verbum in spiritu populum ducebat. Et viri sancti sic alloquuntur Deum, duxisti tamquam oves populum tuum. Et duxit eos in spe, et non timuerunt. Tunc etiam laudibus celebrant dicentes: « qui duxit populum suum in solitudinem quoniam in saeculum misericordia ejus. » Magnus autem Moses assidue dicit: « Dominus Deus est, qui incedit ante faciem vestram.» Quamobrem constat, Dei Spiritum non esse Angelum, neque creatum, sed potius esse divinitatis ejus. Nam cum spiritus esset in populo Deus per filium in spiritu erat in ipso. Verum ut haec, inquient, etiam ipsi concedamus cur post Christum Apostolus, Spiritum Sanctum non nominavit, sed electos Angelos? Poterit eos vicissim alius interrogare cur Paulus non Archangelos nec Seraphim, nec Cherubim, nec Dominationes, nec Thronos, nec aliud quidquam, sed electus tantum Angelos nominavit? Num quia de iis tantum mentionem facit propterea soli sunt Angeli, Seraphim, autem non sunt neque Cherubim, neque Archangeli, neque Dominationes, non Throni, non Principatus, non aliud quidquam? Verum ita res habet. Recesse est ut Apostolum calumnientur, quod non hoc modo, sed illo scripserit, Scripturas autem divinas ignorent, et idcirco aberrent a veritate. Ecce enim apud Isaiam scriptum est: « Et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus.» Apud Aggaeum autem, « et nunc confortare Zorababel, dicit Dominus. » Et « confortare Jesu fili Josedec dicit Dominus.» Et « confortetur omnis populus terrae, dicit Dominus, et fa-

cite quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus Omnipotens. » Et « Spiritus meus stetit in medio vestri. » Et apud utrumque prophetam de solo Domino, deque Spiritu mentio fit. Quid igitur et de hoc dicent? Si enim quia Paulus de Christo mentionem faciens, Spiritum non nominavit, nominavit autem electos Spiritus, idcirco Spiritum inter Angelos constituunt, reliquum est ut in haec prophetica verba incidentes audacius etiam de illo, qui silentio praetermissus est, rationem ineant. Sive enim Dominum dixerint esse filium, quid de Patre dicent? Sive Patrem asserent Dominum, quid dicent de filio? Quod enim ex eorum ratione consequitur, vel cogitare nefarium est. Necesse est enim, ut eum qui silentio est praetermissus, vel esse negent, vel rerum procreatarum numero collocent. Praeterea quid ad hoc illi, qui sunt eorum studiosi respondebunt? « Judex quidam erat in civitate quadam, qui nec Deum timebat nec hominem reverebatur. Num quia post Deum hominem nominavit, tertius est filius post hominem? Ad haec si Paulum in eadem epistola audierint ita loquentem: « Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile, » an quia nunc de Angelis et Spiritu siluit, de Spiritu, deque Angelis dubitant? Profecto dubitant. Talia enim de Spiritu maledicta cogitarint. Quod si ea Scripturae verba in Exodo legerint: « Timuit populus Dominum et crediderunt Deo et Moysi servo ejus. » Num una cum Deo Mosen numerabunt et secundum Deum non cogitabunt filium, sed Mosen solum? Quid si Jacob-Patriarcham audierint benedicentem Joseph et ita dicentem: « Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in praesentem diem, et Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. » Quoniam secundum Deum Angelum nominavit, ideo primus erit Angelus, non autem Filius? Aut Angelus una cum Filio numerabitur? At Apostolica fides non est hujusmodi, nec qui Christianus est, haec patiatur. Sancta enim, et beata Trinitas separari non potest, sed secum tota conjuncta est et dicto Patre, Verbum ejus consequitur et qui in Filio est, Spiritus. Sin Filius nominetur, in Filio est Pater, et Verbum non est extra Spiritum. Una enim est ex parte gratia per Filium in Spiritu Sancto completa, et una divinitas est, et unus Deus est qui super omnia et per omnia et in omnibus est. Sic enim et Paulus cum diceret: « Testificor coram Deo et Jesu Christo. » Sciebat Spiritum a Filio non separari, sed in Christo Spiritum esse, quemadmodum in Patre Filium. Divinarum igitur Scripturarum talis mihi videtur esse sensus, quo haud recte de Spiritu sentiendum maledicentia confutatur: sed ipsi pertinaci contentione pugnant contra veritatem, non tamen ex Scripturis. Nihil enim pro se in illis inveniunt, sed ex abundantia cordis eructantes, rursus, si creatus non est, inquiunt, nec unus ex Angelis, sed ex Patre procedit; ergo Filius est

etiam ipse, atque ita duo sunt fratres Spiritus et Verbum. Quod si Spiritus frater est, quomodo Verbum est unigenitum? aut quomodo non sunt aequales? Sed Verbum quidem post Patrem genitum est, Spiritus vero post Filium nominatur? Ad haec si ex Patre est, cur non ipse quoque genitus dicitur, aut Filius sed simpliciter Spiritus Sanctus? Quod si Filii Spiritus est, Pater est avus ipsius Spiritus. Inanes has fundunt nugas homines abjecti, et scrutari volunt profunda Dei, quae nemo nisi Dei Spiritus novit. Ad ista quidem ipsorum male dicta nos respondere non oportebat. Sed eos, quemadmodum jubet Apostolus post superiorem admonitionem, ut haereticos aversari. Verum ne silentium nostrum illis impudentiae afferat occasionem audiant. Quemadmodum non licet de Patre Patrem alium dicere, ita de Filio dicere fratrem est nefas. Ante Patrem enim, ut scriptum est, Deus alius non est genitus. Nec alius est Filius, cum sit unigenitus. Itaque et solus et unus Pater, solius et unius Filii Pater est. Et de sola divinitate Pater et Filius semper fuit, et est. Ex hominibus enim licet aliquis dicatur Pater, alterius tamen Filius fuit. Et qui Filius est alterius dicitur esse Pater. Nam Abraham qui Thare filius fuit factus est pater Isac, et Isaac, qui fuit filius Abraham factus est pater Jacob. Atque ita se habet hominum natura. Sunt enim mutuae inter se partes. Et qui generatur, habet partem Patris, ut ipse quoque fiat Pater alterius. De divinitate vero haud ita res habet. Neque enim sicut homo, Deus est, neque natura ipsius partes suscipit. Quamobrem nec ipse dividitur, dum Filium generat, quo Filius quoque fiat alterius Pater. Quando quidem ne ipse quidem ex Patre est. Nec Filius Patris est pars. Itaque non generat, sicut ipse genitus est, sed totus, est imago totius et splendor. Et in ipsa divinitate Pater proprie Pater est, et Filius proprie Filius est. Et in his Pater semper fuit Pater, et Filius semper Filius. Et quemadmodum Pater numquam esse Filius queat, ita nec Filius Pater. Et quemadmodum nunquam cessabit Pater esse solus Pater, ita nec Filius cessabit esse Filius. Furor igitur est vel cogitare vel dicere de Filio quidem fratrem esse aut avum de Patre; et in Scripturis idcirco Spiritus non appellatur Filius nec frater dicatur, nec Filius Filii, ne Pater esse avus intelligatur (1).

(1) Athanasii Epist. ad Serapionem de Spiritu Sancto.

LIBER TERTIUS

De rerum creatione.

CAPUT I.

DE COELI ET TERRAE CREATIONE

Deus creavit coelum et terram; terra autem inanis erat et vacua (1). Confitetur altitudini tuae humilitas linguae meae (o Deus); quoniam tu fecisti coelum et terram: hoc coelum quod video, terramque quam calco, unde est haec terra, quam porto, tu fecisti. Sed ubi est coelum coeli de quo audivimus in voce psalmi: *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum?* Ubi est coelum quod non cernimus, cui terra est hoc omne quod cernimus? Hoc enim totum corporeum, non ubique totum, ita accepit speciem pulchram in novissimis, cujus fundus est terra nostra; sed ad illud coelum coeli, etiam terrae nostrae coelum terra est. Et hoc utrumque magnum corpus non absurde terra est, ad illud nescio, quale coelum quod Domino est, non filiis hominum (2). Et nimirum haec terra erat invisibilis et incomposita, et nescio quae profunditas abyssi super quam non erat lux; quia nulla species erat illi unde (jussit Deus) ut scriberetur, quod tenebrae erant super abyssum, quid aliud quam lucis absentia? Ubi enim lux esset, si esset, nisi superesset eminendo et illustrando? Ubi ergo lux nondum erat, quid erat adesse tenebras nisi abesse lucem? Super itaque erant tenebrae, quia lux super aberat: sicut sonus ubi non est, silentium est. Et quid est esse ibi silentium, nisi sonum ibi non esse? Nonne tu, Domine, docuisti hanc animam quae tibi confitetur? Nonne tu, Domine, docuisti me, quod priusquam istam informem materiam formares atque distingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus? Non tamen omnino nihil, erat quaedam informitas sine ulla specie (3). Quid autem in omnibus mundi partibus reperiri potest propinquius informitati omnimodae, quam terra et abyssus? Minus enim speciosa sunt, pro suo gradu infimo, quam caetera superiora perlucida et luculenta omnia. Cur ergo non accipiam informitatem materiae, quam sine specie feceras, unde speciosum mundum faceres, ita commode hominibus intimatam, ut appellaretur terra invisibilis et incomposita (4)? Ut cum in ea quaerit cogitatio quid sensus attingat, et dicit sibi:

(1) Gen. I. (2) S. Aug. Conf. lib. XII, cap. II. (3) Ibid. cap. III. (4) Ibid. cap. IV.

Non est intelligibilis forma sicut vita, sicut justitia, quia materies est corporum; neque sensibilis, quoniam quod videatur et quod sentiatur in invisibili et incomposita non est: dum sibi haec dicit humana cogitatio, conetur eam vel nosse ignorando, vel ignorare noscendo (1).

Ego vero, Domine, si totum confiteor tibi ore meo et calamo meo quidquid de ista materia docuisti me, cujus antea nomen audiens et non intelligens narrantibus mihi eis qui non intelligerent, eam cum speciebus innumeris et variis cogitabam foedas et horribiles formas perturbatis ordinibus volvebat animus, sed formas tamen; et informe appellabam, non quod careret forma, sed quod talem haberet, ut si appareret, insolitum et incongruum aversaretur sensus meus et conturbaretur infirmitas hominis. Verum autem illud quod cogitabam, non privatione omnis formae, sed comparatione formosiorum erat informe: et suadebat vera ratio ut omnis formae qualescumque reliquias omnino detraherem, si vellem prorsus informe cogitare; et non poteram. Citius enim non esse censebam, quod omni forma privaretur, quam cogitabam quiddam inter formam et nihil, nec formatum nec nihil informe prope nihil. Et cessavit mens mea interrogare hinc spiritum meum plenum imaginibus formatorum corporum, et eas pro arbitrio mutantem, atque variantem; et intendi in ipsa corpora eorumque mutabilitatem altius inspexi, qua desinunt esse quod fuerant, et incipiunt esse quod non erant; eumdemque transitum de forma in formam per informe quiddam fieri suspicatus sum, non per omnino nihil; sed nosse cupiebam, non suspicari... Mutabilitas enim rerum mutabilium ipsa capax est formarum omnium in quas mutantur res mutabiles. Et haec quid est? numquid animus? numquid corpus, numquid species animi vel corporis? Si dici posset nihil aliquid est et non est, hoc eam dicerem; et jam utcumque erat ut species caperet istas visibiles et compositas (2)...

Fecisti (Deus) coelum et terram non de te; nam esset aequale Unigenito tuo, ac per hoc et tibi; et nullo modo justum esset ut aequale tibi esset, quod de te non esset. Et aliud praeter te non erat unde faceres ea Deus una Trinitas, et trina unitas; et ideo de nihilo fecisti coelum et terram, magnum quiddam et parvum quiddam; quoniam omnipotens et bonus es ad facienda omnia bona, magnum coelum et parvam terram. Tu eras et aliud nihil unde fecisti coelum et terram, duo quaedam: unum prope te, alterum prope nihil; unum quo superior tu esses, alterum quo inferius nihil esset (3).

Facta est terra, sed ipsa terra, quae facta est non est vita. Est autem in ipsa sapientia spiritaliter; ratio quaedam qua terra facta est, haec vita est. Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam. Si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte,

(1) S. Aug. Confess. lib. XII, cap. V.

(2) Ibid. cap. VI.

(3) Ibid.

ut non ipsa arca sit, quae videtur oculis.

In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta est in opere, nunquam destitit esse in arte. Et illa in opere facta est, et illa manet quae in arte est. Nam potest illa arca putrescere et iterum ex illa quae in arte est alia fabricari. Attendite ergo arcam in arte et arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est. Quia vivit anima artificis ubi sunt omnia ista antequam proferentur. Sic ergo quia sapientia Dei per quam facta sunt omnia secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia: hinc quae fiunt per ipsam artem non continuo vita sunt, sed quidquid factum est vita in illa est. Terram vides, est in arte terra. Coelum vides, est in arte coelum. Solem et lunam vides, sunt et ista in arte. Sed foris corpora sunt, in arte vita sunt (1).

Cum tempore factus est mundus. Si recte vero discernuntur aeternitas et tempus, quod tempus sine aliqua mobili mutabilitate non est, in aeternitate vero nulla mutatio est; quis non videat quod tempora non fuissent, nisi creatura fieret, quae aliquid aliqua motione mutaret: cujus motionis et mutationis cum aliud atque aliud, quae simul esse non possunt: cedit atque succedit, in brevioribus vel productioribus morarum intervallis tempus sequeretur? Cum igitur Deus, in cujus aeternitate nulla est omnino mutatio, creator sit temporum et ordinator, quomodo dicatur post temporum spatia mundum creasse, non video; nisi dicatur ante mundum jam aliquam fuisse creaturam, cujus motibus tempora currerent. Porro si litterae sacrae maximeque veraces ita dicunt: In principio fecisse Deum coelum et terram ut nihil ante fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante caetera cuncta quae fecit; procul dubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore. Quod enim fit in tempore, et post aliquid fit, et ante aliquod tempus; post id quod praeteritum est, ante id, quod futurum est; nullum autem posset esse praeteritum, quia nulla erat creatura, cujus mutabilibus motibus ageretur. Cum tempore autem factus est mundus, si in ejus conditione factus est mutabilis motus, sicut videtur se habere etiam ordo ille primorum sex vel septem dierum, in quibus mane et vespera nominantur, donec omnia quae his diebus Deus fecit sexto perficiantur die (2).

CAPUT II.

DE ANGELIS.

Angelos esse spiritus fides docet « Qui facis, legitur in psalmis angelos tuos spiritus (3). » Et divus Paulus eos vocat administratores spiritus. Incorporei igitur sunt Angeli et immortales, et invisibiles. In momento ubique sunt. Totus orbis illis locus unus est. Quid ubi geratur tam facile sciunt, quam enuntiant (4).

(1) Aug. 1 Tract. in Joannem.
(2) Aug. de Civ. Dei, lib. II, cap. VI.
(3) Ps. CIII.
(4) Tertullian. Apologet., cap. XXII.

In gratia conditi sunt. Deus enim Angelos cum bona voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit simul eis condens naturam et largiens gratiam. «Si boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in seipsis Deo non operante fecerunt; ergo meliores a seipsis, quam ab illo facti sunt? Absit. Quid enim erant sine bona voluntate, nisi mali? Aut si propterea non mali, quia nec mala voluntas eis inerat (neque enim ab ea quam certe nondum coeperant habere, defecerant) certe nondum tales, nondum tam boni, quam esse cum voluntate bona coeperunt. Aut si non potuerunt seipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit, profecto et bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio creatoris habere non possent...

Confitendum igitur est cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum qui datus est eis; nec tantum hominum, sed primitus praecipueque Angelorum bonum esse quod scriptum est: « Mihi autem adhaerere Deo, bonum est (1).»

Angeli vocantur in sacris litteris exercitus Domini. Novem Angelorum chori adnumerantur. Seraphim ab ardore charitatis appellantur; Cherubim a scientia sublimissima; Throni ob celsitudinem eorum quasi sint thronus Dei modo singulari; Dominationes quod mira potentia praeemineant ceteris ordinibus inferioribus; Virtutes ob firmitatem et vigorem, et quod per eos signa et miracula frequentius fiant; Potestates quia hoc potentius caeteris in suo ordine perceperunt ut eorum ditioni daemones subjecti sint, earumque potestate comprimantur; Principatus quod inferioribus ordinibus ad explenda divina mysteria praesint; Archangeli qui mysteriorum divinorum conscii, nonnisi maxima nuntiant et Angelis praesunt; Angeli qui minima. Angeli nomen officii est non naturae (2).

(1) Aug. de Civit Dei, lib. XII, cap. IX.

(2) Greg. Hom. XXXIV in Evang.

CAPUT III.

DE ANGELORUM CREATIONE.

Ubi de mundi constitutione sacrae litterae loquuntur, non evidenter dicitur utrum vel quo ordine creati sint Angeli: sed si praetermissi non sunt, vel coeli nomine, ubi dictum est « In principio fecit Deus coelum et terram» vel potius lucis hujus de qua loquor « Fiat lux et facta est lux » significati sunt. Non autem praetermissos esse hinc existimo, quod scriptum est requievisse Deum in septimo die ab omnibus operibus suis quae fecit, cum liber ipse ita sit exorsus. « In principio fecit Deus coelum et terram » et ante coelum et terram nihil aliud fecisse videatur. Cum ergo a coelo et terra coeperit, atque ipsa terra quam primitus fecit, sicut Scriptura consequenter eloquitur invisibilis et incomposita, nondumque luce facta, utique tenebrae fuerint super abyssum, idest, super quamdam terrae et aquae indistinctam confusio-

nem; ubi enim lex non est, tenebrae sint necesse est, deinde omnia creando disposita sint, quae per sex dies consummata narrantur, quomodo Angeli praetermitterentur, tamquam non essent in operibus Dei, a quibus in die septimo requievit? Opus autem Dei esse Angelos, hic quidem etsi non praetermissum, non tamen evidenter expressum est: sed alibi hoc sancta Scriptura clarissima voce testatur. Nam et in hymno trium in camino virorum cum praedictum esset: *Benedicite omnia opera Domini Domino:* in executione eorumdem operum etiam Angeli nominati sunt. Et in psalmo canitur: *Laudate Dominum de coelis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus... Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* Etiam hic apertissime a Deo factos esse Angelos divinitus dictum est, cum eis inter caetera coelestia commemoratis, infertur ad omnia *Ipse* dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Quis porro audebit opinari, post omnia ista, quae sex diebus enumerata sunt, Angelos factos. Sed et si quisquam ita desinit, redarguit istam vanitatem illa Scriptura paris auctoritatis ubi Deus dicit: *Quando facta sunt sydera, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei.* Jam ergo erant Angeli quando facta sunt sydera. Facta sunt autem quarta die. Numquidnam ergo die tertio factos esse dicemus? Absit. In promptu est enim quid illo die factum sit. Ab aquis utique terra discreta est, et distinctas sui generis species duo ista elementa sumserunt: « Et produxit terra quidquid ei radicitus inhaeret.» Numquidnam secundo? Ne hoc quidem. Tunc enim firmamentum factum est inter aquas superiores et inferiores, coelumque appellatum est; in quo firmamento facta sunt sydera quarto die. Nimirum ergo si ad istorum dierum opera Dei pertinent Angeli, ipsi sunt lux illa, quae diei nomen accepit, cujus unitas ut commendaretur, non est dictus dies primus sed dies unus (1).

Quae cum ita sint nullo quidam modo secundum aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus tenebrae, quos Angelos dicimus: sed simùl ut facti sunt, lux facti sunt: non tamen ita tantum creati, ut quoquo modo essent, et quoquo modo viverent; sed etiam illuminati, ut sapienter, beateque viverent. Ab hac illuminatione aversi quidam Angeli, non obtinuerunt excellentiam sapientis beataeque vitae, quae procul dubio nonnisi aeterna est aeternitatisque suae certa atque secura, sed et rationalem vitam licet insipientem sic habent ut eam non possint amittere, nec si velint. Quatenus autem antequam peccassent, illius sapientiae fuerint participes, definire quis potest? In ejus tamen participatione aequales fuisse istos illis, qui propterea vere pleneque beati sunt, quoniam nequaquam de suae beatitudinis aeternitate falluntur, quo modo dicturi sumus? Quando quidem si aequales in ea fuissent etiam isti in ejus aeternitate mansissent pariter beati, quia pariter certi. Neque enim sicut vita quamdiucumque fuerit, ita aeterna vita

(1) Aug. de Civ. Dei, lib. II, cap. IX.

veraciter dici poterit, si finem habitura sit. Si quidem vita tantummodo vivendo, aeterna vero finem non habendo nominata est. Quapropter quamvis non quidquid aeternum continuo beatum sit (dicitur enim etiam poenalis ignis aeternus); tamen si vere perfecteque beata vita nonnisi aeterna est, non erat talis istorum, quandoque desitura, et propterea non aeterna, sive id scirent, sive nescientes aliud putarent: quia scientes timor, nescientes error beatos utique esse non sinebat (1).

Quocirca cuivis jam non difficulter occurrit utroque conjuncto effici beatitudinem, quam recto praeposito intellectualis natura desiderat; hoc est, ut et bono incommutabili, quod Deus est, fine ulla molestia perfruatur, in eo se in aeternum esse mensuram, nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur. Hanc habere Angelos lucis pia fide credimus: hanc nec ante quam caderent, habuisse Angelos peccatores, qui sua pravitate illa luce privati sunt, consequenti ratione colligimus; habuisse tamen aliquam, et si non praesciam beatitudinem, si vitam egerunt ante peccatum profecto credendi sunt. Aut si durum videtur, quando facti sunt Angeli, alios credere ita factos ut non acciperent praescientiam vel perseverantiae, vel casus sui, alios autem ita ut veritate certissima aeternitatem suae beatitudinis nossent; sed aequalis felicitatis omnes ab initio creati sunt, et ita fuerunt, donec isti qui nunc sunt mali, ab illo bonitatis lumine sua voluntate cecidissent: procul dubio multo est durius nunc putare Angelos sanctos aeternae suae beatitatis incertos, et ipsos de semetipsis ignorare, quod nos de illis per Scripturas Sanctas nosse potuimus. Quis enim catholicus Christianus ignorat nullum novum diabolum ex bonis Angelis ulterius futurum; sicut nec istum in societatem bonorum Angelorum ulterius rediturum? Veritas quippe in Evangelio sanctis fidelibusque promittit, quod erunt aequales Angelis Dei: quibus etiam promittitur, quod ibunt in vitam aeternam. Porro autem si nos certi sumus nunquam nos ex illa immortali felicitate casuros, illi vero si certi non sunt: jam potiores, non aequales eis erimus. Sed quia nequaquam veritas fallit, et aequales eis erimus, profecto etiam ipsi certi sunt suae felicitatis aeternae. Cujus illi alii quia certi non fuerunt; non enim erat, eorum aeterna felicitas cujus, certi essent, quae finem fuerit habitura: restat aut impares fuerint, aut si pares fuerunt, post istorum ruinam illis certa scientia suae sempiternae felicitatis accesserit. Nisi forte quis dicat id, quod Dominus ait de diabolo in Evangelio: « Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit: » sic esse accipiendum ut non solum homicida fuerit ab initio, idest initio humani generis, ex quo utique homo factus est, quem decipiendo posset occidere: verum etiam ab initio suae conditionis in veritate non steterit; et ideo numquam beatus cum sanctis Angelis fuerit, suo recusans esse subditus creatori, et sua per superbiam velut privata potestate laetatus, ac per hoc falsus, et

(1) Augustinus de Civ. Dei, lib. XI, cap. II.

fallax; quia nec umquam potestatem Omnipotentis evadit, et qui per piam subjectionem noluit tenere quod vere est, affectat per superbiae elationem simulare quod non est: ut sic intelligatur etiam quod beatus Joannes Apostolus ait: « Ab initio diabolus peccat: » hoc est ex quo creatus est justitiam recusavit, quam nisi pia Deoque subdita voluntas habere non possit. Huic sententiae quisquis adquiescit, non cum illis haereticis sapit, idest, Manichaeis; et si quae aliae pestes ita sentiunt, quod suam quamdam propriam tamquam ex adverso quodam principio diabolus habeat naturam mali: quia tanta vanitate desipiunt, ut cum verba ista Evangelica in auctoritate nobiscum habeant, non adtentant non dixisse Dominum. A veritate alienus fuit: sed in veritate non stetit: ubi a veritate lapsum intelligi voluit: in qua utique si stetisset, ejus particeps factus, beatus cum sanctis Angelis permaneret (1). Subjecit autem indicium, quasi quaesissemus unde ostendatur quod in veritate non steterit, atque ait « Quia non est veritas in eo. » Esset autem in eo, si in illa stetisset. Locutione autem dictum est minus usitata. Sic enim videtur sonare. In veritate non stetit, quia non est veritas in eo, tamquam ea sit, causa, ut in veritate non steterit, quod veritas in eo non sit: cum potius ea sit causa, ut in eo veritas, ut in eo non sit quod in veritate non steterit. Ista locutio est et in psalmo « Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus, » cum dicendum fuisse videatur. Exaudisti me Deus quoniam clamavi. Sed cum dixisset Ego clamavi; tamquam ab eo quaereretur, unde se clamasse monstraret, ab effectu exauditionis Dei clamoris sui ostendit affectum; tamquam diceret, Hinc ostendo clamasse me, quoniam exaudisti me (2).

Propter naturam igitur, non propter malitiam diaboli, dictum recte intelligimus: « Hoc est initium figmenti Domini » quia sine dubio ubi esset vitium malitiae, natura non vitiata praecessit. Vitium autem ita contra naturam est, ut non possit nisi nocere naturae. Non itaque esset vitium recedere a Deo, nisi naturae cujus id vitium est, potius competeret esse cum Deo. Quapropter etiam voluntas mala grande testimonium est naturae bonae. Sed Deus sicut naturarum bonarum optimus creator est, ita malarum voluntatum justissimus ordinator; ut cum malae illae utuntur naturis bonis, ipse bene utatur etiam voluntatibus malis. Itaque fecit ut diabolus institutione illius bonus, voluntate sua malus, in inferioribus ordinatus illuderetur ab Angelis ejus, idest, ut prosint tentationes ejus sanctis, quibus eas obesse desiderat. Et quoniam Deus cum eum concederet, futurae malignitatis ejus non erat utique ignarus, et praevidebat quae bona de malis ejus esset ipse facturus: propterea Psalmus ait: « Draco hic, quem finxisti ad illudendum ei » ut in eo ipso quod eum finxit, licet per suam bonitatem bonum, jam per suam praescientiam praeparasse intelligatur quomodo illo uteretur et malo (3).

(1) Aug. de Civ. Dei, lib. XI, c. XIII. (2) Ib. c. XIV. (3) S. Aug. de Civ. Dei, lib. II, cap. XVII.

CAPUT IV.

DE ANGELORUM MALORUM LAPSU.

Cum vero causa miseriae malorum Angelorum quaeritur, ea merito occurrit, quod ab illo qui summe est aversi ad seipsos conversi sunt qui non summe sunt, et hoc vitium quid aliud nisi superbia nuncupatur? Initium quippe omnis peccati superbia. Noluerunt ergo ad illum custodire fortitudinem suam, et qui magis essent, si ei qui summe est adhaererent: se illi praeferendo id quod minus est praetulerunt (1). Ei a quo conditus fuerat (Lucifer) subesse dispexit. Ita enim Deus super omnia est, ut ipse sub nullo sit. Leviathan vero iste ejus celsitudinis culmen aspiciens, jus perversae libertatis appetiit, ut et prae esset ceteris et nulli subesset dicens: « Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo. » Cujus eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei superbe similis in celsitudine concupivit. Qui enim charitatem ejus imitari debuit subditus ambiit ejus celsitudinem, et hoc quod imitari poterat amisit elatus. Celsus nimirum esset si ei qui veraciter celsus est, inhaerere voluisset. Celsus esset si participatione verae celsitudinis contentus fuisset. Sed dum privatam celsitudinem superbe appetiit, jure perdidit participatam. Relicto enim eo cui debuit inhaerere, principio, suum sibi appetiit quodammodo esse principium. Relicto eo, qui vere illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse judicavit; et tanto magis infra se cecidit quanto magis se contra gloriam sui conditoris erexit (2).

Deus « Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit (3). » Secum ferunt semper tormenta flammarum, instar febricitantis qui etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apricis, fervorem tamen, vel frigus insiti sibi languoris evitare non potest (4).

CAPUT V.

ANGELOS POSUIT DEUS AD HOMINUM CUSTODIAM.

Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis, ait Psalmista (5). Videte, ait Christus, ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in coelis est (6). Magna dignitas animarum ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis ad sui custodiam Angelum deputatum. Mira dignatio et vere magna dilectio charitatis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandavit? studiose consideremus, fratres, diligenter commendemus memoriae hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cujus sunt Angeli? cujus mandatis obtemperant? cujus obediunt

(1) Aug. de Civ. Dei, lib. XII, cap. VI.
(2) S. Greg. Magni lib. XXXIV Moral. cap. XVII.
(3) S. Judas in Epist. cath. cap. I.
(4) Vener. Beda in cap. I Epist. S. Jacobi.
(5) Ps. XV.
(6) Matth. cap. XVIII.

voluntati? Nempe Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo Majestas mandavit Angelis, et Angelis suis mandavit. Illis utique sublimibus tam beatis quam proximis sibi cohaerentibus, et vere domesticis mandavit de te. Tu quis es? quid est homo quod memor es ejus aut filius hominis, quoniam reputas eum? Quasi homo non sit putredo, et filius hominis vermis. Sed quid putas mandavit de te? Ut custodiant te. Quantam hoc tibi debet inferre reverentiam afferre devotionem, conferre fiduciam! Reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo praesente, quod vidente me non auderes. An praesentem esse dubitas, quem non vides? Quid si audires? quid si tangeres? quid si olfaceres? Vide, quia non solo visu, rerum praesentia comprobetur. In ipso (Deo) itaque affectuose diligamus Angelos ejus, tamquam futuros aliquando cohaeredes nostros, interim vero actores et tutores a patre positos, et praepositos nobis. Quid sub tantis custodibus timeamus? nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris: fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhaereamus eis et in protectione dei coeli commoremur. Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, datorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione: inclama eum et dic: Domine, salva nos perimus (1).

(1) S. Bernardi in Ps. *Qui habitat*. (2) Gen. I.

CAPUT VI.

DE HOMINE.

Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam (2). Talem quippe illi animam creavit, quae per rationem atque intelligentiam omnibus esset praestantior animalibus terrestribus et natatilibus et volatilibus quae mentem hujusmodi non haberent (3). Merito vera religio mundi universi eum, animalium quoque universorum hoc est et animarum et corporum conditorem agnoscit et praedicat. In quibus terrenis praecipuus ab illo ad ejus imaginem homo... factus est unus, sed non relictus est solus. Nihil enim est, quam hoc genus tam discordiosum vitio tam sociale natura? Neque commodius contra vitium discordiae vel cavendum ne existeret vel sanandum cum extitisset, natura loqueretur humana, quam recordationem illius parentis, quem propterea Deus creare voluit unum, de quo multitudo propagaretur ut hac admonitione etiam in multis concors unitas servaretur. Quod vero femina illi ex ejus latere facta est, etiam hinc satis significatum est quam cara mariti et uxoris

(3) Aug. de Civ. Dei, lib. XII, cap. XXIII.

debeat esse conjunctio. Haec opera Dei propterea sunt utique inusitata quia prima. Qui autem ista non credunt, nulla facta prodigia debent credere, neque enim et ipsa si usitato naturae curriculo gignerentur, prodigia dicerentur. Quid autem sub tanta gubernatione divinae providentiae, quamvis ejus causa lateat frustra gignitur? Ait enim quidam psalmus sacer: « Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram (1). »

CAPUT VII.

PRIMUS HOMO IN GRATIA ET JUSTITIA ORIGINALI CREATUS EST.

« Fecit Deus hominem rectum: » magnam, sed disparem gratiam habuit primus homo; ille in bonis erat quae de bonitate sui conditoris acceperat: sancti vero in hac vita, ad quos pertinet haec liberationis gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Dominum « sed libera nos a malo. » Ille in illis bonis Christi morte non eguit: Istos a reatu et haereditario, et proprio illius: Agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio quod implorant isti, cum dicunt: « Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Dominum Jesum Christum. » Quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille vero nulla tali rixa de se ipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde, etsi non interim laetiore nunc verumtamen potentiore gratia indigent isti. Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus: sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, et sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset. Nec ipsum ergo Deus voluit esse sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit; ad bonum autem parum est nisi adjuvetur ab omni potente bono. Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium semper esset bonus. Sed deseruit et desertus est. Nam etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiae retinendae sufficiebat liberum arbitrium, nisi ei participatione immutabilis boni divinum adjutorium praeberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate, cum velit; ad vitam vero tenendam voluntas non satis est si adjutoria alimentorum, sive quorumve tutaminum desint. Sic homo in Paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur vita justitiae parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adjuvaret (2). Vivebat homo in Paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus jusserat. Vivebat fruens Deo, ex quo

(1) Aug. de Civ. Dei lib. XII, cap. XXIII.

(2) S. Aug. de Civ. Dei, lib. XII, cap. XXVII.

bono erat bonus, vivebat sine ulla egestate; ita vivere semper habens in potestate. Cibus aderat ne esuriret: lignum vitae, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias, ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebat extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in Paradiso nullus aestus aut frigus: sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonae voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil inaniter laetum. Gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, et ex conscientia bona et fide non ficta. Atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis, corporisque mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum. Erat in illo statu devitatio tranquilla peccati, quo manente nullum omnino malum, quod contristaret, irruebat (1).

Contendunt philosophi dicentes terrestria corpora sempiterna esse non posse. Terrae, inquiunt, terra reddenda est, unde animalium terrestria sumpta sunt corpora, ex quo fit, inquiunt, ut ea sit necesse dissolvi et emori; et eo modo terrae stabili ac sempiternae, unde fuerunt sumpta, restitui. Si quis hoc etiam de igne similiter affirmet, et dicat reddenda esse universo igni corpora, quae inde sumpta sunt, ut coelestia fierent animalia; nonne immortalitas, quam talibus diis velut Deo summo loquente, promisit Plato tamquam violentia disputationis intercidet? An ibi propterea non sit, quia Deus non vult, cujus voluntatem, ait Plato, nulla vis vincit? Quid ergo prohibet, ut hoc etiam de terrestribus corporibus Deus possit efficere, quando quidem, ut nec ea, quae orta sunt, occidant, nec ea, quae sunt juncta solvantur, nec ea, quae sunt ex elementis sumta reddantur, atque ut animae in corporibus constitutae nec unquam ea deserant et cum eis immortalitate ac sempiterna beatitudine perfruantur, posse Deum facere confitetur ipse (ethnicus) Plato? Cur ergo non possit, ut nec terrestria moriantur? An Deus non est potens quo usque Christiani credunt, sed quo usque Platonici volunt? Nimirum quippe consilium Dei et potestatem potuerunt philosophi nec potuerunt nosse prophetae? cum potius e contrario Dei prophetas ad enuntiandam ejus, quantum dignatus est voluntatem, spiritus ejus docuerit; philosophos autem in ea cognoscenda conjectura humana deceperit (2).

CAPUT VIII.

HOMO CREATUS EST LIBER ET LIBERO ARBITRIO ABUSUS FUIT.

Datum est homini liberum arbitrium juxta illud: « Reliquit eum Dominus in manu consilii sui » quo arbitrio homo posset mereri vel demereri, et ita esset capax felicitatis vel infelicitatis. Quod enim sui liberum non est, quo pacto ei bonum vel malum imputatur? Excusat nempe

(1) S. Aug. lib. XIV de Civ. Dei, cap. XXVI.

(2) S. Aug. lib. XIII, cap. XVII.

utrumque necessitas. Porro, ubi necessitas est, libertas non est: Ubi libertas non est, nec meritum ac per hoc nec judicium (1). Hinc est quod insanis, infantibus, itemque dormientibus nihil quod faciunt vel bonum vel malum imputatur. Quia nimirum sicut suae non sunt compotes rationis, sic nec usum retinent propriae voluntatis, ac per hoc nec judicium libertatis. Cum igitur voluntas nil liberum habeat nisi se, merito non judicatur nisi ex se. Si quidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec sensus obtusus, nec vita languens, reum per se statuunt hominem, sicut nec contraria innocentem. Quia haec necessarie ac praeter voluntatem posse provenire probantur. Sola ergo voluntas, quoniam pro sua ingenita libertate aut dissentire sibi, aut praeter se in aliquo consentire, nulla vi, nulla cogi necessitate, non immeritum justam vel injustam beatitudine seu miseria dignam ac capacem creaturam constituit; prout, scilicet, justitiae injustitiaeque consenserit (2).

Deus enim creavit hominem rectum, ipse enim est naturarum auctor non utique vitiorum: sed sponte homo depravatus, justeque damnatus depravatos damnatosque generavit. Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes fuimus ille unus, qui per feminam lapsus est in peccatum quae de illo facta est ante peccatum. Nondum erat nobis singillatim creata et distributa forma, in qua singuli viveremus, sed jam natura erat seminalis ex qua propagaremur: qua scilicet propter peccatum vitiata, et vinculo mortis obstricta, justeque damnata, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur. Ac per hoc a liberi arbitrii malo usu series hujus calamitatis exorta est quae humanum genus origine depravata, velut radice corrupta usque ad secundae mortis exitium, quae non habet finem, solis eis exceptis, qui per gratiam Dei liberantur, miseriarum connexione perducit (3).

CAPUT IX.

DE PRIMO HOMINIS LAPSU.

A felici statu igitur in quo eum constituit Deus cecidit primus homo violando praeceptum Dei ne comederet de fructu arboris boni et mali. Malus non erat secundum se fructus ille, non arbor mala, quam Deus creaverat: sed obedientia commendata est in praecepto, quae virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium et custos virtutum. Quandoquidem ita facta est ut ei subditam esse sit utile; perniciosum, suam non ejus a quo creata est facere voluntatem. Hoc itaque de uno cibi genere edendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat tam leve praeceptum ad observandum, tam breve ad memoria retinendum; ubi praesertim nondum voluntatis cupiditas resistebat, quod de poena transgressionis post ea subsecutum est, tanto majore injustitia violatum est, quanto

(1) S. Bernardus in libro de Gratia et libero arbitrio, cap. II.

(2) S. Bern. in eod lib. c. III.

(3) S. Aug. de Civ. Dei, lib. III, cap. XIV.

faciliore posset observantia custodiri. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi praecessisset mala voluntas. Porro malae voluntatis initium quid potuit esse nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia (1). Quid est autem superbia « nisi perversae celsitudinis appetitus? » Perversa enim celsitudo est deserto eo cui animus debet inhaerere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit cum sibi nimis placet. Sibi vero ita placet, cum ab illo bono incommutabili deficit, quod eo magis placere debuit, quam ipse sibi. Quamvis, etiam illo peccato uno plures peccati species possint intelligi. Nam et superbia est illic, quia homo in sua potius esse quam in Dei potestate dilexit; et sacrilegium quia Deo non credidit; et homicidium quia se praecipitavit in mortem; et fornicatio spiritualis quia integritas mentis humanae serpentina suasione corrupta est, et furtum quia cibus prohibitus usurpatus, et avaritia quia plus quam illi sufficere debuit appetivit (2).

Quamobrem etiamsi in eo quod dictum est « Morte moriemini (3) » quoniam non est dictum « mortibus » eam solam intelligamus, quae fit cum anima deseritur vita sua, quod illi Deus est... etiamsi hanc intelligamus Deum denuntiasse mortem, in eo quod ait: « Qua die ederitis ex illo, morte moriemini; » tamquam diceret: «Qua die me deserueritis per inobedientiam, deseram vos per justitiam: » profecto in ea morte etiam ceterae denuntiatae sunt, quae procul dubio fuerant secuturae. Nam in eo quod inobediens motus in carne animae inobedientis exortus est, propter quem pudenda texerunt, sensa est mors una in qua deseruit animam Deus. Ea significata est verbis ejus, quando timore dementi se se abscondenti homini dixit: « Adam, Adam, ubi es? » Non utique ignorando quaerens, sed increpando admonens, ut adtenderet ubi esset, in quo non esset Deus. Cum vero corpus anima ipsa deseruit aetate corruptum et senectute confectum venit in experimentum mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens, homini dixerat: « Terra es, et in terram ibis; » ut ex his duabus mors illa prima, quae totius est hominis, compleretur, quam secunda in ultimo sequitur, nisi homo per gratiam liberetur. Neque enim corpus quod de terra est, rediret in terram, nisi sua morte, quae illi accidit, cum deseritur sua vita, idest, anima. Unde constat inter Christianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem; non lege naturae, qua nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati: quoniam peccatum vindicans Deus, dixit homini, in quo tunc omnes eramus: Terra es, et in terram ibis (4).

CAPUT X.

DE PECCATI ORIGINALIS PROPAGATIONE.

Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes

(1) S. Aug. in Enchiridio cap. XLV.
(2) Ibid.
(3) Gen. II.
(4) Aug. de Civit. Dei, lib. XIII, cap. XV.

homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt (1). Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae (2). Sicut per inobedientia unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi (3). Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (4). Christus voluit crucifigi pro humano genere, quod ab Adamo in mortem et serpentis fraudem inciderat (5). Verum non facti sumus, ut moreremur, sed nostra culpa morimur. Perdidit nos libera voluntas: servi facti sumus, qui liberi eramus: per peccatum venditi sumus (6). Deum in primo Adamo offendimus, non facientes ejus praeceptum, in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti (7). Per diabolum enim homo a primordiis circumventus, ut praeceptum Dei excideret, et propterea in mortem datus; exinde totum genus de suo semine infectum suae etiam damnationis traducem fecit (8). Omnes ex eadem terra et massa coagmentati sumus eamdemque vitii arborem gustaverimus (9). Quod in illis (infantibus) non est justitia, quam debent habere, non hoc fecit illorum voluntas personalis sicut in Adam, sed egestas naturalis, quam ipsa natura accepit ab Adam. Spoliavit persona naturam bono justitiae in Adam; et natura egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et injustas facit. Peccatum quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adae justitiae debitae nuditatem (10). Defectus illius originalis justitiae, quae homini in sua creatione collata est, ex voluntate hominis accidit, et sicut illud naturae donum fuit, et fuisset in totam naturam propagatum, homine in justitia persistente: ita etiam et privatio illius boni in totam naturam perducitur, quasi privatio et vitium naturae; ad idem enim genus privatio et habitus referuntur. Et in quolibet homine rationem culpae habet ex hoc, quod per voluntatem principii naturae, id est primi hominis, inductus est talis defectus (11).

CAPUT XI.

DE VITA FUTURA HOMINIS.

Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum (12). Scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (13). Futura hominis vita

(1) Rom. v, 12.
(2) Ib. v, 17.
(3) Ib. v, 19.
(4) 1 Cor. xv, 22.
(5) S. Justin. dialog. cum Triphone.
(6) Tatianus in Orat. contra Graec.
(7) S. Irenaeus lib. v adv. haer. c. xvi.
(8) Tertullian. lib. de testim. animae, c. 3.
(9) S. Gregor. Naz. Orat. v, n. 5.
(10) S. Anselmus lib. de Concept. Virg. et peccat. orig. c. xxiii, alias xxi, et cap. xxvii alias xxvi.
(11) Divus Thomas in 2 Sentent. D. xxx, q. i, ar. ii.
(12) 1 Cor. xiii, 12.
(13) 1 Jo. iii, 2.

erit, pro justis, supernaturalis beatitudo, quae summum bonum, et ultimus finis nuncupatur, quae bonorum omnium summa est et cumulus. Beati in coelo supernaturaliter intuitive Dei essentiam vident. Quemadmodum videntes lumen intra lumen sunt, et claritatem ejus percipiunt, sic et qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem. Vivificat autem eos claritas; percipiunt ergo vitam, qui vident Deum (1). Quae erit gloria et quanta laetitia admitti ut Deum videas (2)? Quid dicetur, quando ipsa rerum veritas aderit? Quando apertis regiis aedibus ipsum regem conspicere licebit, non ultra in aenigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem: nec ultra per fidem, sed per speciem (3). Homo igitur Dei faciem videre non potest. Angeli autem etiam minimorum in Ecclesia semper vident faciem Dei; et nunc in speculo videmus et in aenigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus et potuerimus cum Apostolo dicere; nos autem omnes revelata facie gloriam Dei speculantes in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, quasi a Domini spiritu (4).

Sed Deum videntes eum non comprehendunt beati, nec comprehendere possunt etiam supernaturaliter. Immensurabilis enim in corde Deus et incomprehensibilis est in animo (5). Attingere aliquando mente Deum magna beatitudo est, comprehendere autem omnino impossibile (6). Unumquodque cognoscibile est intrinsece, secundum quod est ens in actu. Deus igitur, cujus esse est infinitum, infinite cognoscibilis est; nullus autem intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere; in tantum enim intellectus creatus divinam essentiam perfectius, vel minus perfecte cognoscit, in quantum majori vel minori lumine gloriae perfunditur. Cum igitur lumen gloriae creatum in quocumque intellectu creato receptum non possit esse infinitum, impossibile est quod aliquis intellectus creatus Deum infinite cognoscat, unde impossibile est ut Deum comprehendat (7). Beati pro diversitate meritorum inaequali ratione Deum vident. Inquit enim Christus: « In domo Patris mei mansiones multae sunt (8), » et Apostolus: « Alia, inquit, claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum (9). Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum (10)? Cum habitationes multas (Christus) apud Patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat (11). Ast statim ac animae justorum egressae fuerint e corporibus, nisi expiari debeant in purgatorio defectus, beatitudinem conse-

(1) S. Irenaeus de B. V.
(2) S. Cypr. Ep. LVI.
(3) S. Joan. Chrysost. de alt. Vita.
(4) S. Aug. Ep. CXLVIII al. CXI et Tract. in Joan. XX, n. 14 et 15.
(5) Irenaeus lib. IV contr. haer. cap. XIX.
(6) S. Aug. Serm. CXVII de Verb. Evang. in Joan. cap. V.
(7) S. Thomas I, p. q. XII, art. VII.
(8) Joan. XIV.
(9) 1 Cor. XV, 41.
(10) Tertullianus in Scorpiaco c. VI.
(11) Cyprianus de habitu virg. circa finem.

quantur oportet. Millenariorum absurda est inventio. « Scimus, inquit Apostolus, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam aeternam in coelis. Confide cum concideris. Neque enim ille dumtaxat te a corruptione vindicat, ac gravi sarcina levat, sed etiam ad Dominum confestim transmittit (1). » Nam quis alius, scripsit Augustinus, tali animae locus? Ibi vivit, unde me multa interrogabat Nabridius homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum (Deus), et bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua sine fine felix. Nec sic cum arbitror inebriari ex ea, ut obliviscatur mei, cum tu, Domine, quem potat ille nostri sis memor (2). Cum sacrificia, sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis, etsi nulla, sint nulla adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt (3). Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare (4).

CAPUT XII.

DE PURGATORIO.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur (5). Oblationes pro defunctis annua die facimus. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies (quae videlicet annuas istas oblationes praecipiat) traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix (6). Pro omnibus generatim (oramus), qui inter nos vita functi sunt, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et per quam tremenda coram jacet victima (7). Inspira Domine meus, Deus meus inspira servis tuis (ajebat Augustinus) fratribus meis..... ut quotquot haec legerint, meminerint ad altare tuum Monicae famulae tuae cum Patricio quondam ejus conjuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam (8).

Omnes poenae sive temporariae, sive sempiternae, sicut unusquisque divina providentia tractandus est, inferuntur, vel pro peccatis sive praeteritis, sive in quibus adhuc vivit ille, qui plectitur, vel pro exercendis declarandisque virtutibus, per homines et Angelos seu bonos seu malos. Nam et si quisquam mali aliquid alterius improbitate vel errore patiatur, peccat quidem homo, qui vel ignorantia, vel injustitia cuiquam mali aliquid facit: sed non peccat Deus, qui justo, quamvis occulto, judicio fieri sinit. Sed temporarias poenas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii et tunc et nunc, verumtamen ante judi-

(1) S. Joan. Chrys. Hom. x in II ad Cor.
(2) S. Aug. Confess. c. III, lib. IX.
(3) Aug. Enchir. cap. CX.
(4) S. Aug. Serm. CLIX.
(5) II Machab. XII, 43.
(6) Tertull. de corona mil. c. III et c. IV.
(7) S. Cyrillus in Catech. V, Mystag. n. IX.
(8) Confess. lib. IX, cap. XII.

cium illud severissimum novissimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas poenas, quae post illud judicium sunt futurae, qui post mortem sustinent temporales (1). Si non credunt ignem purgatorium restare post mortem..... Quaerant ab eo qui dixit quoddam peccatum esse, quod neque in hoc saeculo, neque in futuro remitteretur; cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatiore peccati (2). Post hujus sane corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis et remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum ejusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi qui non habuerunt tales mores et amores in hujus corporis vita ut eorum ligna, foenum, stipula consumatur (3).

CAPUT XIII.

DE INFERNO.

Quis potest habitare de vobis cum igne devorante cum ardoribus sempiternis (4)? Quis adversus Evangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in illo paupere, qui post mortem ablatus est in sinu Abrahae, et in illo divite, cujus in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat? (Idest) judicari animas cum de corporibus exierint antequam veniant ad illum judicium quo eas oportet jam redditis corporibus judicari (5)? Ac primum quaeri oportet atque cognosci, cur Ecclesia ferre nequiverit hominum disputationem, diabolo etiam post maximas et diuturnissimas poenas, purgationem, vel indulgentiam pollicentem. Neque enim tot sancti et sacris veteribus ac novis litteris eruditi, mundationem et regni coelorum beatitudinem post qualiacumque, et quantacumque supplicia, qualibuscumque et quantiscumque Angelis inviderunt: sed potius viderunt divinam vacuari vel infirmari non posse sententiam, quam se Dominus praenuntiavit in judicio prolaturum atque dicturum: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. » Sic quippe ostendit aeterno igne diabolum et angelos ejus arsuros. Et quod scriptum est in Apocalypsi: «Diabolus, qui seducebat eos, missus in stagnum ignis et sulphuris, quo et bestia et pseudopropheta; et cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum. » Quod dictum est aeternum hic, dictum est in saecula saeculorum: quibus verbis nihil Scriptura divina significare consuevit, nisi quod finem non habet temporis. Quamobrem prorsus nec alia causa, nec justior atque manifestior inveniri potest, cur verissima pietate teneatur fixum et immobile, nullum regressum ad justitiam vitamque sanctorum diabolum et angelos ejus habituros, nisi quia Scriptura, quae neminem fallit, dicit eis Deum non pepercisse, et sic ab illo esse interim praedamnatos, ut carce-

(1) S. Aug. de Civ. Dei lib. XXI, cap. XIII.
(2) S. Bern. Serm. LXVI in Cant. n. II.
(3) S. Aug. lib. XXI, cap. XXVI.
(4) Isaia cap. XXXIII, v. 14
(5) Aug. lib. II de Anima, c. IV.

ribus caliginis inferi retrusi traderentur servandi, atque ultimo judicio puniendi, quando eos aeternus ignis accipiet, ubi cruciabuntur in saecula saeculorum. Quod si ita est, quomodo ab hujus aeternitate poenae, vel universi, vel quidam homines post quantumlibet temporis subtrahentur, ac non statim enervabitur fides, qua creditur sempiternum daemonum futurum esse supplicium? Si enim quibus dicetur: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus » vel universi vel aliqui eorum non semper ibi erunt; quid causae est cur diabolus et angeli ejus semper ibi futuri esse credantur? An forte Dei sententia, quae in malos, et angelos, et homines proferetur, in angelos vera erit, in homines falsa? Ita plane hoc erit, si non quod Deus dixit, sed quod suspicantur homines plus valebit. Quod fieri quia non potest, non argumentari adversus Deum, sed divino potius, dum tempus est, debent parere praecepto qui sempiterno cupiunt carere supplicio. Deinde quale est aeternum supplicium pro igne diuturni temporis non existimare, et vitam aeternam credere sine fine, cum Christus eodem loco ipso, in una eademque sententia dixerit utrumque complexus: « Sic ibunt isti in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam? » Si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt, hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu, vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est. Unde quia vita aeterna sanctorum sine fine erit, supplicium quoque aeternum quibus erit, finem procul dubio non habebit (1). Quod igitur de sempiterno supplicio damnatorum per suum prophetam Deus dixit, fiet omnino, fiet: « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. »

(1) S. Aug. de Civ. Dei, lib. XXI, cap. XXIII.

CAPUT XIV.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

Propria fides est Christianorum resurrectio mortuorum; hanc in se ipso idest resurrectionem mortuorum, caput nostrum Christus ostendit, et exemplum fidei nobis praestitit; ut hoc sperent membra in se, quod praecessit in capite (2). Voluit (Christus) enim nobis quod promisit in fine, non solum praenuntiare, sed etiam demonstrare. Illi quidem qui tunc fuerunt cum illo, viderunt, et cum expavescerent et spiritum se videre crederent, soliditatem corporis tenuerunt. Locutus est enim non solum verbis ad aures eorum, sed etiam specie ad oculos eorum; parumque erat se praebere cernendum nisi etiam offerret pertractandum atque palpandum..... Quaerunt ergo homines, utrum corruptio ista corporis quam sentiunt in carne sua, futura sit in resurrectione mortuorum. Dicimus non futuram. Respondent nobis: Si corruptio non erit quare

(2) Aug. Serm. CCLI alios CXLV.

manducabitur? Aut si non manducabitur, quare post resurrectionem Dominus manducavit? Evangelium cum legeretur audivimus, quia cum exhiberet se vivum oculis manibusque discipulorum suorum, parum illi visum est ad demonstrandam evidentiam corporalem sed addidit: « Habetis hic aliquid quod manducetur? Et obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis et manducavit, et reliquias dedit illis.» Dicitur ergo nobis si corruptio corporis non resurget, quare manducavit Dominus Christus? Legistis quia manducavit numquid legistis quia esurivit? Quod manducavit potestatis fuit non egestatis. Si desideraret manducare egeret. Rursus si manducare non posset minus valeret. Numquid et Angeli quando suscepti sunt hospitio a patribus nostris non manducaverunt et tamen corruptibiles non fuerunt (1)?

Dabit Deus miram facilitatem, miram levitatem (corporibus nostris). Non sine causa illa corpora spiritualia nuncupata sunt. Non ideo dicta sunt spiritalia, quia erunt spiritus non corpora. Nam ista quae modo habemus dicuntur animalia corpora et tamen animae non sunt, sed corpora. Quomodo nunc ista animalia dicuntur et animae non sunt sic illa spiritalia dicuntur, sed non sunt spiritus quia corpora erunt. Quare dicitur spiritale corpus nisi quia ad nutum spiritus serviet? Nihil tibi contradicet ex te, nihil in te rebellabit adversus te (2).

Cum omnis vitae nostrae ratio in corporis animaeque consortio sit, resurrectio autem aut boni actus praemium habeat, aut poenam improbi necesse sit corpus resurgere, cujus actus expenditur. Quomodo enim in judicium vocabitur anima sine corpore, cum de suo et corporis contubernio ratio praestanda sit (3)?

(1) S. Aug. CCLII. (2) Ibid. (3) S. Ambr. de Fide resurr., n. 52.

LIBER QUARTUS

De Deo Redemptore.

CAPUT I.

DE VERBO DEI FACTO CARNEM.

Miror plurimum tam doctos homines, qui cuncta corporea et sensibilia, prae incorporalibus et intelligibilibus postponenda indicaverunt, cum agitur de beata vita, corporalium contrectationum facere mentionem. Ubi est illud Plotini, ubi ait: Fugiendum est igitur ad carissimam patriam, et ibi pater, et ibi omnia? Quae igitur classis, inquit, aut fuga? Similem Deo fieri. Si ergo Deo quanto similior, tanto fit quisque propinquior; nulla est ab illo alia longinquitas quam ejus dissimilitudo. Incorporali vero illi aeterno et incommutabili tanto est anima hominis dissimilior, quanto rerum temporalium mutabiliumque cupidior. Hoc ut sanetur, quoniam immortali puritati, quae in summo est, ea quae in imo sunt mortalia, et immunda convenire non possunt, opus est quidem mediatore; non tamen tali, qui corpus quidem habeat immortale propinquum summis, animum autem morbidum similem infimis: quo morbo nobis invideat potius ne sanemur, quam adjuvet ut sanemur: sed tali qui nobis infimis ex corporis mortalitate coaptatus, immortali spiritus justitia, per quam non locorum distantia, sed similitudinis excellentia mansit in summis, mundandis liberandisque nobis vere divinum praebeat adjutorium. Qui profecto incontaminabilis Deus absit ut contaminationem timeret ex homine quo indutus est, aut ex hominibus inter quos in homine conversatus est. Non enim parva sunt haec interim duo, quae salubriter sua incarnatione monstravit, nec carne posse contaminari veram divinitatem, nec ideo putandos daemones nobis esse meliores, quia non habent carnem. Hic est, sicut eum praedicat Sancta Scriptura: « Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus » de cujus et divinitate qua Patri est semper aequalis, et humanitate qua nobis factus est similis, non hic locus est ut competenter pro nostra facultate dicamus (1).

CAPUT II.

DE DIVINITATE ET HUMANITATE CHRISTI.

Confitemur igitur Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, Deum perfectum et perfectum hominem ex anima ratione

(1) Aug. de Civ. Dei, lib. IX, cap. XVII.

praedita corporeque constantem, ante saecula quidem ex Patre genitum secundum divinitatem, in extremis autem diebus eumdem propter nos, et propter nostram salutem ex Maria natum virgine secundum humanitatem. Duarum enim naturarum conjunctio facta est. Quamobrem unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur. Et hac quidem inconfusae conjunctionis notione confitemur sanctam Virginem esse Dei genitricem. Quoniam Deus Verbum caro et homo factus est, et ex ipsa conceptione sibi templum ex illa sumptum adjunxit et copulavit (1).

Nisi sancta Dei genitrix Deum carnem indutum carne peperit, necesse est omnino, ut eam communem hominem, nihil amplius quam nos habentem peperisse, velint, nolint, fateantur. Quod si ita est, quomodo ipsi flectetur omne genu? et omnis lingua confitebitur Dominum nostrum Jesum Christum esse in gloria Dei Patris (2)? Quomodo ipsum adorant omnes Angeli (3) et supremarum virtutum sancta multitudo? Communem hominem coelum universum nobiscum adorabit? Absit. Adoramus enim Emmanuelem ut Deum verum. Aliter autem non erit adorandus, nisi credamus, ipsum Dei Verbum, quod ab omnibus rebus procreatis adoratur, factum esse carnem, ut Scripturae testantur, non quod in carnem mutatum sit, sed quod ex sancta Virgine, ut dixi, carnem assumpserit, et humanum nobiscum ortum subierit, ut et homo factus pro nobis moreretur quidem humanitus, resurgeret autem divinitus, subjicens mortis imperium. Sic enim fieri poterat, ut nos quoque in Christo vinceremus, et peccatum quidem rejiceremus, corruptionem autem exueremus, et mortem superaremus. Sic et per immensam in Christo laetitiam nobis licet dicere: « Ubi est mors victoria tua, ubi stimulus tuus, inferne? sicut in Adam cecidimus, sic in Christo vicimus. Quod si communis homo fuisset Emmanuel, quomodo hominis mors naturam hominis adjuvisset? atqui multi antea mortui sunt sancti prophetae, Abraham ille celebratissimus, et Isaac, et Jacob, et Moses, et Samuel, et qui deinceps sancti fuerunt, quorum mors humano generi nihil attulit adjumenti. At Christi mors illud servavit. Propriam enim carnem pro nobis obtulit et tradens eam morti propter nos, omnes e mortis vinculis liberavit. Satis enim fuit unus pro omnibus moriens, qui dignior est omnibus, quoniam et natura Deus est ex Patre Verbum, et proprium, ipsius est corpus, quod pro nobis omnibus in odorem suavitatis oblatum est Patri. Impium igitur est, et absurdissimum, unum Dominum Jesum Christum in duos dividere. Istis autem et sapientissimus Paulus adversabitur, inquiens: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Quod si unus est Dominus, in duos autem Filios unum diviserint, utri dominationis gloriam tribuent? Verbo nimirum ex Patre. Ipsi enim dominationis et nomen et res maxime congruit, et est vere rerum omnium

(1) Cyrillus ad Joannem Antiochenum Epist.
(2) S. Pauli Epist. ad Philipp. cap. II.
(3) S. Pauli Epist. ad Hebraeos cap. I.

Dominus. Sed ubinam alterum collocabimus (1)?

A dominatione enim excludetur, eamque praestantiori (modo), et sine comparatione sublimiori concedet. An ex muliere nato, ut isti dicunt, qui eos separant, dominationis gloriam adscribemus? Sed quomodo erit Dominus Verbum ex Deo? Si cum unus existat Dominus, ut Scripturae testantur, homini nudo nomen dominationis largiemur? Negant enim, quantum veritatis vim licet dicere, Dominum, idest, Christum a quo redempti sunt. Sed veriti molestias, et mirabilem zelum eorum, qui soliti sunt pie sentire, eum, qui ex sancta Virgine natus est, et Deum, et Dominum, et Dei Filium esse confitentur, adeo, ut si simplicium aliquis audiat sermones ipsorum, judicet, ut par est, eos recta, piaque dicere, et a veritatis decretis nihil abhorrentia. At si quis intimos eorum sensus pervestiget, et eorum dicta diligenter expendat, haud simplices esse deprehendet. Sunt enim Dei multi tum in coelo, tum etiam in terra ut beatus nobis indicat Paulus, sed nobis unus est Deus, Pater ex quo omnia, et nos in ipso, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum. Sed cum Jesum Christum nominamus, Dei Patris Verbum in forma humana manifestatum significamus, non in gratiae parte, nec extrinsecus adjunctam habens dignitatem, sed quod vere sit id, quod esse creditur. Deus enim natura cum sit, et sine carne, et cum carne mansit Deus. Et Filius natura cum sit, et ante carnem Filius mansit, et postea quam caro factus est, et Dominus vere omnium rerum cum sit, in tali conspicitur gloria, etiam postquam homo factus est. Proinde si Deum verum esse dicunt eum, qui ex Virgine natus est, hoc est, natura Verbum ex Deo Patre, cum carne conjunctum cur sanctam Virginem esse Dei genitricem verentur confiteri? Verum hoc illis propositum est, ut fingant se dicere, eum esse et Deum, et Dominum, et cum Patre considere, cum tamen re vera aliter sentiant, dicantque in gratiae parte, et ex progressu datam esse adoptionis, et dominationis gloriam communi illi homini, quales nos sumus, qui ex Virgine natus est. Dicimus igitur Dei Verbum cum Spiritus sit Deus, pro salute omnium, ut Scripturae testantur carnem et hominem factum esse, non ex propria natura sibi corpus accipiens, neque desinens esse id, quod erat, nec ullam subiens mutationem, sed ex sancta Virgine immaculatum corpus assumens, animatum anima mente praedita, illudque proprium reddens per conjunctionem minime confusam, quae nec animo comprehendi, nec verbis omnino potest explicari, adeo, ut non alterius, sed proprium ipsius corpus intelligatur. Sic ingressus est in mundum unigenitus, qui primogenitus et in multis fratribus factus est, qui tamen ut Deus inter res procreatas non potest collocari. Quare cum dicitur natus, et ex muliere, necessario secundum carnem adjicitur, ne existendi principium ex sancta Virgine intelligatur accepisse, cum ante saecula omne sit, et sem-

(1) Ex Oratione Cyrilli ad augustiss. Dom. habita.

piternus, et semper extiterit cum Patre Deus Verbum. Verum quando ex voluntate Patris formam servi sumere voluit tunc, et ortum ex muliere secundum carnem subiisse dicitur. Sine controversia igitur quod ex carne est, est caro, et quod ex Deo Deus, ex utroque autem idem Christus, qui unus est Filius, et Dominus cum propria carne non inanimata, sed animata anima, ut dixi, mente praedita. Non igitur unum nobis Filium in duos secent, seorsum constituentes Verbum et Filium, et alterum seorsum et separatim hominem ex muliere, ut ipsi ajunt, sed cogitant non magis Deum Verbum homini conjunctum esse, quam ipsum factum esse hominem dici, dum semen Abraham assumit, ut dicunt Scripturae, et in omnibus, excepto peccato, fratribus assimilatur. Absoluta autem similitudo in primis habebit ortum ex muliere, et si intelligitur supra nos, humanae tamen et secundum nos, nam de Unigenito quidem est super hoc. Deus enim erat caro factus. Quapropter et Dei genitrix sancta vocatur Virgo. Quod si dixerint, Deum, et hominem congressos in idem, unum Christum effecisse; servata nimirum utriusque persona sine confusione, nihil eos propterea exquisite sentire, aut dicere possumus intelligere. Non enim, ut ipsi ajunt, Deus et homo congredientes Christum unum effecerunt, sed ut jam dixi, Deus existens Verbum, similiter atque nos, sanguinis et carnis particeps factum est, ut Deus homo factus et carnem assumpsisse nostram intelligatur, et propriam effecisse. Ut quemadmodum ex anima et corpore unus homo consurgit, sic ipsum unum Filium et Dominum confiteamur. Una enim hom nis est natura et constitutio, licet ex diversis et differentibus rebus consistat. Alterius enim naturae confitemur esse corpus, si cum anima comparetur. Sed proprium tamen est corpus ipsius et hominis unius personam perficiens. Atque animo quidem et cogitatione utriusque percipitur differentia, congressus autem et concursus, non admittens divisionem, unum absolvit animal hominem. Unigenitus ergo Dei Verbum non hominem accipiens prodiit homo, sed arcanum habens ex Patre ortum per sanctum, et ejusdem essentiae Spiritum sibi templum fabricans factum est homo. Quamobrem et unum intelligitur (1).

CAPUT III.

DE DIVINITATE PERSONAE CHRISTI.

Ex ipsa profecto Patris essentia genitum est vivens Verbum et in sua consistens persona. Sed in extremis saeculi temporibus cum factum est caro, idest, cum carnem assumpsit, animam habentem ratione praeditam natum esse dicitur in carne, et per mulierem. Quod quidem mysterium humano partui videtur simile. Nam matres quidem terrenae, dum naturae serviunt ad generationem, compactam ad breve tempus carnem in utero gerunt, et ineffabili quadam

(1) Ex Oratione Cyrilli ad augustiss. Dom. habita.

Dei virtute progredientem ad perfectam formam humanam. Deus autem animali spiritum injicit; formam enim spiritum hominis in ipso, ut ait propheta. Alia est enim carnis, et alia animae ratio. Verum quamvis terreni corporis matres sint, tamen totum animal ex anima et corpore constans, non autem partem dicuntur peperisse. Nemo enim exempli gratia dixerit, Elisabeth carnem, non autem animam peperisse, quippe quae animatum Baptistam peperit. Tale quiddam et in Emmanuelis ortu actum esse dicimus. Genitum enim est ex Dei et Patris essentia, ut diximus, unigenitum ipsius Verbum. Sed posteaquam carnem assumens, eamque sibi propriam faciens, declaratum est etiam Filius hominis, et factum est, quales nos sumus, non alienum est, ut arbitror, dicere, imo vero necessarium est confiteri, ipsum per mulierem genitum esse secundum carnem. Quemadmodum et anima hominis nimirum simul cum proprio corpore nascitur, et unum cum ipso censetur, quamvis natura diversa cognoscatur, et sit ratione propria. Quod si quis matrem alicujus, carnem ipsius, non autem animam peperisse dixerit, ineptus et vanus existimabitur. Peperit enim, ut dixi, compositum plane ex dissimilibus animal, ex duobus nimirum in unum hominem, cum utrumque maneat id, quod est, concurrant tamen quasi in unitatem naturalem, atque inter se commisceant, quod utrique proprium est. Quod autem unitas in Christo sit maxime necessaria, cum multis aliis rationibus perspicere facillimum sit, nos tamen, si videtur, Beati Pauli verba perpendamus, eaque diligenter pro viribus consideremus. De unigenito igitur dicit: « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et habitu inventus, ut homo, humiliavit semetipsum. » Quis igitur est, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse aequalem Deo, aut quo exinanitus est modo? aut quomodo se se humiliavit, et in servi forma inventus est? Qui in duo secant unum Dominum Jesum Christum, nempe in hominem, et in Verbum Dei, eum qui ex sancta Virgine natus est exinanitione subiisse dicunt, ab eoque segregant Verbum Dei.

Ostendant igitur prius illum in forma et aequalitate Patris extitisse, ut et exinanitionis modum subierit, in qua non erat. Verum nulla res est procreata, quae natura propria sit in Patris aequalitate. Quomodo igitur dicitur exinanitus, si natura homo existens natus est ex muliere, quemadmodum nos? Dic mihi ex qua antiquiore conditione, quae fit humana praestantior, eo descendit, ut homo fieret? Aut quomodo intelligatur servi formam suscepisse, quam principio non habuerit, qui natura est inter servos, et manet sub jugo servitutis? At enim inquiunt, qui natura, et vere, et liber est filius, Patris Verbum, in ejus, a quo genitus est, forma existens, et illi aequalis habitavit in homine per mulierem genito. Et hoc est exinanitio, et humilitas, et servi formam accepisse. Quid, o viri optimi, satisne fuit ad

Verbi Dei exinanitionem, ut in homine habitaret? Et tutum est dicere ipsum hoc pacto servi formam subiisse, atque ita exinanitionis rationem peregisse? Atqui audio, ipsum sanctos Apostolos hunc in modum alloquentem: «Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.» Audis quomodo dixerit, Deum et Patrem secum in illis habitaturum, a quibus diligitur? Patrem ne igitur exinanitum, et eamdem, quam Filius subiit, humilitatem tulisse, et servi formam accepisse concedemus, quoniam sanctas animas diligentium Filium; domicilia sibi constituit? Quid ipse Spiritus Sanctus, qui in nobis inhabitat, humanae carnis assumendae consilium explevit, quod Filium solum, omnium salutis et vitae gratia executum dicimus? Facessat tam supervacanea, et stulta plane atque inanis temeritas. Humiliavit ergo seipsum, in Dei et Patris forma et aequalitate existens Verbum, quando ut Joannes ait «caro factum» ex muliere natum est, et cum ortum haberet ex Deo Patre, ortum etiam nostrum pati voluit propter nos. Doceant nos isti qua ratione Verbum ex Deo Patre Christus intelligatur, et dicatur a nobis, nisi propterea quod unctus est. Quem unxit Pater oleo exultationis, sive Spiritu Sancto. Si separatim ex se genitum Deum Verbum, et id verum esse dicunt, ignorant se unigeniti naturam injuria afficere, et assumptae carnis mysterium negant. Nam si Spiritu Sancto unctum est Verbum existens Deus, sanctificationis ipsum prorsus indiguisse vel inviti fatebuntur, superioribus temporibus, quibus nondum unctum expers erat adhuc hujus muneris, quod illi postea datum est. Quod autem sanctificatione privatum erat, natura mutatum est. Praeterea haud plane peccati expers intelligatur, neque peccare non potuisse. Mutationem igitur ad meliora fortasse pertulit Verbum. Quod si ita est, quomodo est idem, et immutatum non est? Quod si Verbum Deus existens et in forma et aequalitate Patris unctum et sanctificatum est, dicat aliquis fortasse a re proposita ad exiles cogitationes divertens, et Patrem ipsum sanctificationis egere, atque adeo minorem esse Filio, si quidem sanctificatus est Filius, cum Patri esset aequalis et in forma ejus ante sanctificationem. Pater autem mansit in quibus erat semper, et est, et erit, et nondum ad meliora augmentum accepit, quippe qui sanctificatus non sit, quemadmodum Filius, et ambobus major Spiritus, qui ipsos sanctificat apparebit. Nemini enim dubium est, quin minor a majore benedicatur.

Verum inanes istae sunt nugae, atque dementiae atque stuporis indicia, sancta enim per naturam est ejusdem essentiae Trinitas. Sanctus est Pater, sanctus et Filius per essentiam eo modo, similiter et Spiritus Sanctus. Itaque quantum pertinet ad naturam propriam, separatim sanctificatum non est Verbum Dei. Sin aliquis putet, solum, ex sancta Virgine natum fuisse unctum et sanctificatum, atque ita vocatum esse Christum, in medium prodeat iste, atque dicat, an

satis fuerit unctio ad declarandum illum, qui unctus est, gloria et imperio aequalem illi, qui omnibus antecellit. Quod si ita satis esse dixerit, cum uncti simus et nos, atque ita testatur Divus Joannes: «Et vos, inquiens, unctionem habetis a Sancto.» Num erimus et nos fortasse aequales Deo? Ecquid erit impedimento, quo minus et nos cum ipso consideamus, quemadmodum et ipse Emmanuel? Sic etiam ad illum dictum est: « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Adoret et nos sancta coelestium Spirituum multitudo. Quando enim inquit introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, et adorent eum omnes Angeli ejus. » At nos licet Spiritu Sancto uncti simus, et adoptionis gratiam obtinuerimus, vocemurque dii, non tamen naturae nostrae conditionem ignoramus. Sumus enim e terra, et inter servos numeramur. Ille vero non est, in quibus nos sumus, sed natura, vereque Filius, et omnium Dominus et e coelo. Nec si recte sentire voluerimus, unquam dicemus carnem Deum effectum esse, neque ipsam divinitatis naturam genitam esse per mulierem cum humanitatem nondum assumpserit. Sed potius Verbum ex Deo, et ex sancta Virgine perfectum hominem in unum conferentes unum Christum Dominum adorabimus, neque divinitatis terminis propter carnem exclusi, neque propter similitudinem nostram ad nudam humanitatem descendentes. Sic intelliges, Verbum ex Deo genitum voluntariam exinanitionem pertulisse. Sic humiliavit semetipsum formam servi accipiens, qui natura propria liber est. Sic Abraham semen apprehendit, et sanguinis, carnisque particeps factus est. Si enim homo nudus intelligitur, quales nos sumus, quomodo alterius praeter se naturaliter apprehendit semen Abrahae. At quomodo propriae carnis particeps per omnia fratribus similis factus est? Quod enim cuipiam simile sit, id ex dissimili eo decurrit, ut simile efficiatur. Apprehendit igitur semen Abrahae, et sanguinis carnisque particeps factum est Dei Verbum, proprium corpus efficiens, quod ex muliere assumpsit, ut jam non solum esse Deus, verum etiam homo, quales nos sumus per unionem intelligatur. Ex duabus ergo rebus divinitate nimirum, atque humanitate constat Emmanuel, sed unus tamen est Dominus Jesus Christus, et unus ac vere Filius, Deus simul atque homo, nec homo Deus effectus, aequalis iis, qui per gratiam sunt, sed Deus verus, in forma humana apparens propter nos. Id nobis persuadeat divus Paulus: « Quando venit, inquiens, plenitudo temporis, misit Deus Filium factum ex muliere, factum sub lege, ut qui sub lege erant, redimeret, ut nos adoptionem reciperemus. » Ecquis est ille, qui missus est sub lege, et ex muliere factus est, ut dixi, nisi is qui supra leges erat, ut Deus? Sed postea quam declaratus est homo, factus est sub lege, ut per omnia fratribus assimilaretur. Itaque simul cum Petro Ditrachmum solvit secundum legem Moses. Quod autem sit liber ut Filius, et lege superior ut Deus, etsi factus est sub lege ut homo, docuit

ipse, Reges, inquiens, terrae a quibus accipiunt censum, aut tributum, a filiis suis, an ab alienis? Petro autem ab alienis respondente: subjecit ipse: « Ergo liberi sunt filii. » Porro Dei genitricem non autem Christi genitricem Virginem appellamus, quod alio modo Christi, hoc est, uncti dicantur tum reges, tum sacerdotes, nec solum qui oleo cornu quondam ungebatur, sed etiam Spiritu Sancto. Horum matres Christi genitrices, non autem Dei genitrices dici possunt. Atqui Dei quoque dicuntur alia ratione, ut illud: « Deus stetit in Synagoga Deorum. Ne igitur ex sancta Virgine genitus unus ex his, qui Christi dicuntur, existimetur, eam non dicimus Christi genitricem, quamquam Christum genuit, sed Dei potius genitricem appellamus, ne nudum hominem, quales illis sunt ab illa genitum concedamus, eam separantes ab aliis matribus, quae Christos idest unctus reges, seu sacerdotes genuerunt, Dei genitricem nominamus (1). »

CAPUT IV.

PRO NOBIS CHRISTUS VERE PASSUS EST MORTUUS ET SEPULTUS DEI FILIUS HOMO FACTUS. — AST VOLUNTARIE ET LIBERE.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (2). Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit nec dolus inventus est in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum putaretur non comminabatur. Tradebat autem judicanti se injuste: Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus, cujus livore sanati estis (3). Verum non in corpore tantum passus est, sed etiam in inferiore animae parte, perpessionibus affectum, unde ait: « Tristis est anima mea usque ad mortem (4). » Agit (vero) utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis: aliud succumbit injuriis (5). Ea quae sunt carnis suae propria sibi necessario faciens passus dicitur, quae secundum carnem acciderunt: Quamvis patiendi esset expers, quatenus Deus intelligitur (6). Sapientia Dei hominem ad exemplum quo recte viveremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam ea quae non sunt metuenda non metuere; mors autem metuenda non est. Oportuit ergo idipsum illius hominis, quem Dei sapientia suscepit, morte monstrari. Sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt. Nihilominus autem, ut ipsa mors metuenda non est, ita nullum genus mortis bene et recte viventi homini metuendum est. Nihilominus igitur, hoc quoque illius hominis cruce ostendendum fuit. Nihil enim

(1) Cyrillus ex Oratione ad Presbyt. et Diaconus et Monachos habita.
(2) Isai. LIII.
(3) S. Petrus Ep. I, c. II.
(4) Matth. XXVI.
(5) S. Leo in Ep. ad Flav.
(6) S. Cyrillus Alexand. in Epist. ad Valerianum.

erat inter omnia genera mortis illo genere exsecrabilius, et formidolosius (1). Quod juste debebat Adam, Christus injuste mortem suscipiendo persolvit. Ille expandit manum ad pomorum dulcedinem: iste ad crucis amaritudinem: ille arborem necis, iste salutis ostendit. Adam mortem universis intulit, et Christus vitam omnibus reparavit (2). Si mors Domini nostri Jesu Christi redemptio est omnium ac ejus intermedius ille paries maceriae solvitur conficiturque vocatio gentium. Quomodo nos advocasset, nisi crucifixus esset? In sola enim cruce mors extensis porrectisque manibus toleratur; ideo par erat ut Dominus hoc modo mortem sustineret, manusque ejus extenderentur, ut hac quidem veterem populum, illa vero Gentiles attraheret et ambos in se conjungeret (3).

Non frustra tale genus mortis (scilicet crucis) elegit, nisi ut in eo latitudinis hujus, et longitudinis, et altitudinis, et profunditatis magister existeret. De qua scilicet scribit Apostolus ad Ephesios (4): « In charitate radicati, et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas et profundum: scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi ut impleamini omnem plenitudinem Dei. » Nam latitudo est in eo ligno quod transversum desuper figitur. Hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo quod ab ipso ligno usque ad terram conspicuum est: ibi enim quodam modo statur, idest persistitur et perseveratur; quod longanimitati tribuitur. Altitudo in ea ligni parte, qua ab illo quod transversum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est ad caput crucifixi, quia bene sperantium superna expectatio est. Jam vero illud ex ligno quod non apparet, quod fixum occultatur, unde totum illud exurgit, profunditatem significat gratuitae gratiae (5).

Christus vere mortuus est et sepultus. « Clamavit voce magna emisit spiritum (6). » Humiliavit semetipsum factum obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (7).

Etenim tumulus his paratur, qui sub lege sunt mortis. Victor mortis tumulum suum non habet. Quae enim communio tumulo et Deo? Specialis igitur praeter communem omnium mortem mors Christi est, et ideo non cum aliis sepelitur, sed solus tumulo includitur... Mors Christi communis, secundum naturam corporis, specialis secundum virtutem. Quis est autem Joseph, cujus in tumulo ponitur? Utique ille justus. Bene ergo Christus monumento creditur justi, ut habeat Filius hominis ubi caput suum reclinet, et justitiae habitatione requiescat. Bene autem novo, ne alius suscitatus a perfidis diceretur (8).

Persona divina nec ab anima Christi, nec ab ejus corpore separata fuit, sed

(1) S. Aug. de div. quaestion. octoginta tribus. Quaest. XXV.

(2) Auctor Sermonis inter Augustinianos olim 101, nunc in appendice 31.

(3) S. Athan. de Incarn. Verbi Dei.

(4) Ephes. III.

(5) S. Aug. Epist. CXL alias CXX.

(6) Matth. XXVII.

(7) Ad Philippens. II.

(8) S. Ambros. lib. 10 in Lucam.

cum anima descendente ad inferos, et cum corpore jacenti in sepulcro vere et secundum hypostasim fuit conjuncta. «Quia, o Domine, si quis etiam tunicam illaesa carne tua conscindat tibi facit injuriam. Nec sic clamas pro veste tua, ut dicas conscidisti tunicam meam, sed conscidisti me. Loqueris ista integer et verum dicis et ex carne tua nihil detraxit qui laesit. Sic et Dominus Christus crucifixus est. Dominus est unicus Patri et Salvator noster est. Tamen crucifixus est, sed in carne et sepultus in sola carne. Nam ubi sepultus est, et quando sepultus est, tunc ibi nec anima fuit. Sola caro jacet, et tu dicis Dominus noster? Dico plane: Quia vestem intueor et vestitum adoro. Caro illius vestimentum fuit. Quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo (1).» Cum sit totus Filius Dei unicus Dominus noster Jesus Christus Verbum et homo, atque ut expressius dicam Verbum, anima, et caro; ad totum refertur quod in sola anima tristis fuit usque ad mortem; quia Filius Dei unicus Jesus Christus tristis fuit. Ad totum refertur, quod in solo homine crucifixus est, quoniam Filius Dei unicus Jesus Christus crucifixus est. Ad totum refertur quod in sola carne sepultus est. Ex quo enim coepimus dicere credere nos in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum quidquid aliud de illo dicimus, non subauditur nisi Jesus Christus, Filius Dei unicus Dominus noster. Nec miremini. Sic enim didicimus Filium Dei unicum Jesum Christum Dominum nostrum sepultum, cum sola caro ejus sepulta sit, quemadmodum, verbi gratia, dicimus Apostolum Petrum hodie jacere in sepulcro, cum et illud verissime dicamus, eum in requie cum Christo gaudere. Eumdem quippe Apostolum dicimus: Non enim duo apostoli Petri, sed unus est. Eumdem ergo ipsum dicimus, et in solo corpore jacere in sepulcro et in solo spiritu gaudere cum Christo (2). Ab ipso namque conceptionis virginalis exordio sic in Christo personalis unitas mansit, ut utriusque naturae inconfusa veritas perduravit. Ut nec homo a Deo divelli, nec Deus a suscepto posset homine separari. Nec tamen Deus hominem consumeret, nec homo Deum in aliquo permutaret, et licet in Christo morte carnem morientem fuisset anima desertura; divinitas tamen Christi nec ab anima, nec a carne posset separari suscepta (3).

Passio et mors Christi non fuerunt coactae, nec necessariae, sed voluntariae et liberae. « Ego pono, inquit enim Jesus, animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso: et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam (4). » Et cum ejus vita insidiaretur ab Herode ait: « dicite vulpi illi, Ecce ejicio daemonia, et sanitates perficio hodie, et cras, et

(1) S. Aug. Tract. LXII in Joan.
(2) S. Aug. Serm. CCXIII de tempore alias CXIX.
(3) S. Fulgentius lib. III.
(4) Joan. X.

tertia die consumor: verumtamen oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Jerusalem (1). » Potestatem suam monstravit quando « inclinato capite tradidit spiritum.» Videtis potestatem morientis, quod hoc expectabat, donec omnia complerentur, quae de illo praedicta fuerant ante mortem futura... Postea quam completa sunt, dixit. Perfectum est, et abscessit potestate, quia non venerat necessitate. Ideo quidam plus mirati sunt istam potestatem morientis, quam potentiam miracula facientis (2). Qui a se ipso ponit, praecepto non indiget. Et causam cur faciat affert, quod scilicet sit Pastor, et Pastor bonus. Bonus autem Pastor ad ovium custodiam hortatore non indiget. Quod si in hominibus usu venit, multo magis in Deo. Ideo Paulus inquit quod se ipsum exinanivit. Nihil aliud autem hoc in loco praeceptum signat, quam cum Patre concordiam. Quod si humiliter et humane locutus est auditorum imbecillitati tribuendum (3). Qui mortuus est pro nobis turbatus est idem ipse pro nobis. Qui ergo potestate mortuus est, potestate turbatus est. Qui transfiguravit corpus humilitatis nostrae conforme corpori gloriae suae, transfiguravit etiam affectum infirmitatis nostrae, compatiens nobis affectu animae suae. Proinde quando turbatur magnus, fortis, certus, invictus, non ei timeamus quasi deficiat. Non perit, sed nos quaerit. Nos, inquam, nos omnino sic quaerit: Nos ipsos in illius perturbatione videamus, ut quando turbamur, non desperatione pereamus. Quando turbatur, qui non turbaretur nisi volens, cum consolatur qui turbatur et nolens. Pereant argumenta Philosophorum, qui negant in Sapientem cadere perturbationes animorum; stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi (4).

(1) Luc. XIII.

(2) S. Aug. Tract. XXXI in Joan. de Christi morte.

(3) S. Chrysostomo hom. LIX in Joan.

(4) S. Aug. ex Tract. LX in Joan.

LIBER QUINTUS

De justificatione et gratia.

CAPUT I.

DE JUSTIFICATIONE EX MORTE CHRISTI.

Christus pro omnibus, et singulis hominibus mortuus est, non pro solis praedestinatis. Isaias enim ait: « Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum (1). » Et Joannes Baptista ait de Christo: « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (2). » Et Apostolus ait: « Charitas enim Christi urget nos. Extimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: Et pro omnibus mortuus est Christus (3). » Christus licet non esset lucrifacturus omnes, nihilominus tamen pro omnibus mortuus est, quod suum erat adimplens (4). Ast Paulus ait: « Qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me, » quid facis, o Paule, dum communia proprie tibi vindicas, quaeque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Declarat par esse; ut quisque nostrum non minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum solum advenisset. Neque enim recusaturus erat vel ob unum tantam exhibere dispensationem; adeo quemlibet hominum pari charitatis modo diligit orbem universum. Itaque victima quidem pro tota oblata est natura, ac sufficiebat omnibus servandis. Caeterum soli illi qui crediderunt, sunt, quibus usui fuit beneficium. Attamen non absterruit eum a tali oeconomia quod non omnes accederent; sed quemadmodum in Evangelio convivium omnibus quidem paratum erat, verum quoniam qui vocati fuerant venire noluerunt, non pariter sustulit quae fuerant parata, sed alios vocavit: ibidem et hic fecit. Nam et ovis, quae fuerat a nonaginta novem distracta, unica erat, nec tamen hanc contempsit (5). Ostendat aliquis non licuisse proditori, perinde ac aliis discipulis, divina frui gratia, et nos victos fatebimur. Sin autem perinde ac alii divina septus gratia nutu suo in perditionis barathrum decidit; quomodo non eum servavit Christus, qui bonitatis suae opem ei impertiit, et quantum spectat ad rationem auxilii, eum servasset, nisi

(1) Isaiae LIII. (2) Joan. I.
(3) Ad Corinth. c. V.
(4) Chrysost. Hom. VI in Epist. ad Rom.
(5) Ibid. in cap. II ad Galat.

voluntate sua ipse malum sibi ultro arcessisset (1)? Judas traditor punitus est, et Christus crucifixus est. Sed nos redemit sanguine suo et illum punivit de pretio suo. Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat; nec agnovit pretium, quo ipse a Domino redemptus erat (2)? Quis mortuus est? Unicus? Pro quibus mortuus est? Utinam pro bonis, utinam pro justis. Sed quid? Etenim Christus, ait Apostolus, pro impiis mortuus est. Qui donavit impiis mortem suam, quid servat justis nisi vitam suam (3)?

Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta, et mortificata natura est, et unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum et potens ac singulare remedium est mors filii Dei Domini nostri Jesu Christi: Qui liber a mortis debito et solus absque peccato, pro peccatoribus et debitoribus mortis est mortuus. Quod ergo ad magnitudinem et potentiam pretii et quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc saeculum sine fide Christi, et sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque propter unam omnium naturam, et unam omnium causam in veritate susceptam, recte omnes dicantur redempti, et tamen non omnes a captivitate sint erepti; redemptionis proprietas haud dubie poenes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, et jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cujus mors non ita impensa est humano generi, ut ad redemptionem ejus etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: sed ita ut quod per unicum exemplum gestum est pro universis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, et virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit; sed si non bibitur non medetur (4).

Cum rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter communem in primo homine omnium perditionem. Potest tamen dici pro his tantum crucifixus quibus mors ipsius profuit. Dicit enim Evangelista: Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum. « In propria (enim) venit et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.» Diversa ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur de quibus dicitur: «Mundus eum non cognovit.» Ut possit secundum hoc dici Redemptor mundi: Dedit pro mundo sanguinem suum, et mundus redimi noluit, quia lucem tenebrae non receperunt; et tenebrae receperunt, quibus dixit Apostolus: « Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino (5). »

(1) S. Cyrillus Alex. in lib. II in Joan.
(2) S. Aug. in Ps. LXVIII, serm. 2.
(3) S. Aug Enarrat. in Psalm. CXLVIII.

(4) S. Prosper in Respons. ad objection. Vincentianas.
(5) Ibid. in Respons. ad objection. nonam Gallorum.

CAPUT II.

INTERIOR GRATIA VERE SUFFICIENS IN STATU NATURAE LAPSAE AGNOSCENDA EST.

Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, et aliud est adjutorium quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta eis fit ut vivat qui mori voluerit. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim non solum, sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur (1). Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet non utique sua culpa cecidissent; adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est. Quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum; et tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale sit, ut velimus (2).

Ne quisquam neget voluntatis arbitrium, et audeat excusare peccatum; sed audiamus Dominum, et praecipientem et opitulantem, et jubentem quid facere debeamus, et adjuvantem ut implere possimus. Agendae sunt gratiae, quia data est potestas, orandum, ne succumbat infirmitas (3). Voluntas nova, quae mihi esse coeperat ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus, sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duae voluntates meae, una vetus, alia nova; illa carnalis, ista spiritualis confligebant inter se atque discordando dissipabant animam meam. Ego autem adhuc terra obligatus militare tibi recusabam, et impedimentis omnibus sic timebam impediri, quemadmodum impediri timendum est. Ita sarcina saeculi, velut somno assolet, dulciter premebar; et cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine, remerguntur. Et sicut nemo est qui dormire semper velit, omniumque sano judicio vigilare praestat; differt tamen plerumque homo somnum excutere, cum gravis torpor est, in membris, eumque jam displicentem carpit libentius, quamvis surgendi tempus advenerit. Ita certum habebam esse melius tuae charitati me dedere, quam meae cupiditati cedere. Sed illud placebat, et vincebat, hoc libebat et vinciebat. Non enim erat quod tibi responderem dicenti mihi: Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Et undique ostendenti vera te dicere non erat omnino quod responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta et somnolenta. Modo: ecce modo: sine paullulum. Sed modo, et modo

(1) S. Aug. de Corrept et gratia cap. XI et XII.
(2) S. Aug. ibid.
(3) S. Aug. Tract. in Joan. LIII.

non habebam modum. Et sine paullulum in longum ibat (1).

Gratia sufficiens tribuit potentiam proprie dictam, et veram ad opus supernaturale propter quod datur, ad credendum scilicet, ad conversionem peccatoris, ad observantiam praecepti, ad perseverantiam. Quae quidem potentia non est possibilitas sola naturae aut liberi arbitrii, qualem sufficere propugnabat Pelagius, sed supernaturalis virtus est, qua voluntas excitata, et adjuta bonum opus exercere potest. Confert illis quibus datur voluntatem bonam quamvis parvam et invalidam. Non confert vero possibilitatem illam, quae simul cum effectu in sanctis provenit cum sanata, et adjuta hominis voluntate (*quae gratia efficax est*) charitas Dei quantum plenissime natura nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis (2).

Ast gratia sufficiens est gratia Christi medicinalis. Christus enim « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (3).» Fac hominem primo nihil quaerentem, secundum vitam veterem seductoria securitate viventem, nihil putantem aliud esse post hanc vitam quandoque finiendam, negligentem quemdam, et socordem, obrutum cor habentem illecebris mundi mortiferis delectationibus consopitum: Ut excitetur iste ad quaerendam gratiam Dei, ut fiat sollicitus, et tamquam de somno evigilet, nonne manus Dei excitat eum (4)?

(1) S. Aug. Confess. lib. VIII, c. V.

CAPUT III.

GRATIAE INTERIORI NEMPE SUFFICIENTI IN STATU NATURAE LAPSAE SAEPE RESISTITUR.

Legitur in Isaia (5): « Nunc ergo habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam (dicit Dominus). Quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci? An quod expectavi quod faceret uvas, et fecit labruscas? » Jerusalem (ait Christus) Jerusalem quae occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti (6)? « Exhortamur (ait Apostolus) ne in vacuum gratiam Dei recipiatis (7).»

Neque enim liberum arbitrium asserentes, divinam excludimus propterea gratiam, quod illi falso toties imponere non verentur: sed juxta Scripturam Sanctam eo extendimus, ut voluntas humana misericordiae praevenientis auxilio suffulta, et interiori quodam, et occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, se se convertat in Deum, Deo appropinquet, et ad veram illam gratiam se praeparet, quae tandem accepta sit ad vitam aeternam. Neque tamen tanta gratiae necessitas libero praejudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem praetereat, in quo

(2) S. Aug. lib. de natura et gratia cap. 42 et lib. de gratia et lib. arbitr. cap. 17.
(3) Joan. cap. I.
(4) S. Aug. Enarr. in Ps. CVI.
(5) Cap. V.
(6) Matth. XXIII.
(7) 2 ad Corinth. VI.

Deus non stet ad ostium, et pulset: cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, et coenabit cum illo. Nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluerunt? Frustra certe Stephanus Judaeos durae cervicis, et incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui Sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, spiritum ne extinguerent, sì divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur (1). Peccatores hujus saeculi felicitate falsa seducuntur. « Cor eorum congelascit adversus Deum et fit durum adversus imbrem gratiae ipsius, ne fructum ferat (2). »

Homo vero gratiae sufficienti resistit libero suo arbitrio. Nam in statu naturae lapsae homo liberum suum possidet arbitrium. Homo vere rationabilis est, et secundum hoc similis Deo liber in arbitrio factus, et suae potestatis, ipse sibi causa est ut aliquando frumentum, aliquando palea fiat (3). Quoniam vero qui generati sunt, haec natura est, vitium et virtutem accipere possunt, neque enim quidquam eorum dignum laude esset nisi illi utramque in partem flectere, et quasi convertere se possent (4). Neque vituperationes, neque honores, neque supplicia justa sunt si anima non habet liberam potestatem (5).

(1) Concil. Senonense an. 1528.
(2) S. Aug. Enarrat. in Psalm. CXXIV.
(3) Irenaeus lib. IV, c. IX.
(4) Justinus apolog. I.
(5) Clem Alexandr. 2 lib. Stromatum.

CAPUT IV.

JUSTORUM NEMINI URGENTE DIVINORUM PRAECEPTORUM OBSERVANTIA DEEST GRATIA QUA POSSIBILIA FIANT.

« Justum adjutorium meum a Domino, » inquit Psalmista (6). Ut innotescat et suave fiat quod non delectabat, gratiae Dei est, qui hominum adjuvat voluntates. Qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est non in Deo (7). Opus est ut non recedas ab eo, qui nusquam recedit: opus est ut tu non deseras, et non desereris. Noli cadere, et non tibi occidet. Si tu feceris casum, ille tibi facit occasum; si autem tu stas, praesens est tibi (8). Duo sunt officia medicinae, unum quo sanatur infirmitas, alterum quo sanitas custoditur. Justa illud primum dictum est in (quodam) psalmo: « Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. » Justa hoc alterum in (alio) psalmo dicitur: « Si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ergo ab inimicis meis inanis. » Ibi enim infirmus ut liberetur, hic jam sanus ne corrumpatur, orat, juxta illud ibi dicitur: « Salvum me fac propter misericordiam tuam. » Juxta istud hic dicitur: « Judica me Domine, secundum justitiam meam. » Ibi enim ut a morbo evadat, remedium: hic autem ne in morbum incidat, tuitionem petit juxta illud dicitur: « Salvum me fac Domine, se-

(6) Ps. VII.
(7) S. Aug. de Peccat. meritis, cap. XVII.
(8) S. Aug. Tract. II in Joan.

cundum misericordiam tuam. » Juxta hoc dicitur: « Justum auxilium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.» Et illa enim, et ista salvos facit. Sed illa ex aegritudine ad salutem transfert, haec in ipsa salute conservat. Itaque ibi misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat, credens in eum qui justificat impium. Hic autem justum auxilium est, quia jam justo tribuitur. Dicat ergo ibi peccator, qui dixit, infirmus sum: « Salvum me fac Domine, propter misericordiam tuam.» Et dicat hic justus: « Justum auxilium meum a Domino.» Si enim medicinam exhibet, qua sanemur infirmi, quanto magis eam qua custodiamur sani? Quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, quanto magis nunc justificati, salvi erimus ab ira per ipsum (1)? Impius eras, et mortuus est pro te; justificatus es, et deseret te? Qui justificavit impium, deseret pium? Nemo timeat: « Custodit Dominus animas sanctorum suorum (2). »

Verum non tibi dicitur, labora quaerendo viam, ut pervenias ad veritatem et vitam, non hoc tibi dicitur: Piger, surge, via ipsa ad te venit, et te de somno dormientem excitavit, si tamen excitavit: surge, et ambula. Forte conaris ambulare, et non potes quia dolent pedes. Unde dolent pedes? An jubente avaritia per asperas cucurrerunt? Sed Dei Verbum sanavit, et claudos. Ecce (inquit) sanos habes pedes; sed ipsam viam non video. Illuminavit et caecos (3).

Sed « invenit ergo se ligatum difficultatibus cupiditatum, et non posse viam propter compedes ambulare: inclusum se sentit difficultate vitiorum; et tamquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, qua evadat, ut recte vivat non invenit. Conatur, non potest, ligatum se sentit, exclamat ad Dominum (4). » Ut autem gratiam imploret, gratia orationis ipsi praesto est.

Neque imperaret hoc Deus ut faceremus, si impossibile judicaret ut hoc ab homine fieret. Si considerans infirmitatem tuam, deficis sub praecepto, confortare in exemplo. Sed etiam ad te exemplum multum est, adest ille, qui praebuit exemplum, ut praebeat auxilium (5). Audiamus Dominum et praecipientem et opitulantem: et jubentem quid facere debeamus, et adjuvantem ut implere possimus (6).

In Petri casu habemus exemplum, quia ipsi non defuit gratia, sed ob praesumptionem, et negligentiam orationis cecidit in nocte, qua traditus fuit Christus a Juda; auxilio vero gratiae efficacis subtractus fuit de peccato. Petrus (enim) nimium sibi arrogans inquit: « Etsi omnes in te scandalizati fuerint, tamen ego non scandalizabor. » Ita haec res sensim eum ad tetrum insolentiae crimen devehebat, quod reprimere volens, quoniam nec prophetae, nec sibi obtemperavit, negationem fieri permisit... Duplex enim crimen erat, tum

(1) S. Aug. Enarrat. in Ps. VII.
(2) Idem in Ps. XCVI.
(3) Id. Tract. XXXIV in Joan.
(4) Id. in Ps. CVI.
(5) Id. Enarrat. in Ps. LVI.
(6) Tract. LIII in Joan.

quia repugnavit ac restitit, tum quia caeteris se ipsum praeposuit. Immo vero etiam tertium non parvum crimen eum commisisse dixerim, quia sibi totum tribuit. His igitur mederi omnibus volens, cadere illum permisit... Divina protectione valde fuit denudatus, quod factum est propter arrogantiam, et contradicendi pertinacem duritiam... Nimium sibi ipsi confisus haec dicebat et in alios insurgebat dicens: « Etsi omnes in te scandalizati fuerint, ego tamen non scandalizabor. » Puto autem ambitione quoque aliqua, et jactantia in ea verba Petrum lapsum fuisse. Nam et in ipsa coena, quisnam inter eos major esset, disceptabant... Christus autem ab his passionibus eum liberare volens, non impellebat ad negationem, sed favorem suum ab eo subtraxit, et humanam redarguit naturam (1). Quid dicis Petre, dicenti « Non potes: te posse dicis? » Experientia cognosces nihil esse dilectionem tuam sine gratia divina. Unde constat hunc casum Jesum pro ipsius utilitate permisisse. Nam cum assertioni suae fervore quodam non staret Petrus, non quidem impulit ad negandum, sed desertum reliquit, ut suam ipse intelligeret imbecillitatem... Cum in arrogantiam prolaberetur, et Christo contradiceret, suae admonetur fragilitatis (2). Ut scias, quod negatio tam erat secordiae ac negligentiae, quam ex eo quod Deus cum deseruerat, erudiens ut humanam sciret mensuram et non repugnaret iis quae dicebantur a magistro, neque ejus quam aliorum essent elatiores spiritus, sed sciret absque Deo nihil potest fieri, et quod: Nisi Dominus aedificaverit domum in vanum laboraverunt qui aedificant eam (3). Quid festinas Petre? Nondum te suo Spiritu solidavit petra. Noli extolli praesumendo « Non potes modo. » Non potes modo. Noli dejici desperando, « Sequeris postea. » Sed adhuc ille quid dicit? « Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.» Quid in animo ejus esset cupiditatis videbat, quid virium, non videbat. Voluntatem suam jactabat infirmus, sed inspiciebat valetudinem Medicus. Iste promittebat, ille praenoscebat. Qui nesciebat, audebat, qui praesciebat, docebat. Quantum sibi assumpserat Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid posset. Respondit ergo Jesus: « Animam tuam pro me pones? Praeire potes, qui sequi non potes? Quid tantum praesumis, quid de te sentis, quid te esse credis? Audi quid sis: « Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges. » Ecce quomodo tibi cito apparebis, qui magna loqueris, et te parvulum nescis (4). Neque nos primum Apostolorum accusare delectat: sed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quisquam de humanis viribus fidat... In anima itaque Petri contigit quod offerebat in corpore. Non tamen pro Domino, ut temere praesumebat, praecessit, sed aliter quam putabat, namque ante mortem, et resurrectionem Domini,

(1) S. Joan. Chrysost. Hom. LXXXIII in Matth.
(2) Id. Hom. LXXII in Joannem.
(3) Ps. CXXVI, id. Chrys. Hom. XXXI in Epist. ad Hebraeos.
(4) S. Aug. Tract. LXVII in Joan.

et mortuus est negando, et revixit plorando; sed mortuus est, quia superbe ipse praesumpsit; revixit autem, quia benigne ille respexit (1). Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit, quando praesumpsit (2). Amarissime flevit Petrus, recolens trepidationis culpam se nec admonitum potuisse vitare (3).

CAPUT V.

GRATIA SUFFICIENS CHRISTIANIS OMNIBUS DATUR VEL OFFERTUR IMO IPSIS INFIDELIBUS.

Homo gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur. Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis (4). Ne dicas: Non possum tenere et portare, et frenare carnem meam; adjuvaris ut possis (5). Juste (igitur) nobis instat praecepto, qui praecurrit auxilio (6). Stat ad ostium verbum Dei, et pulsat ostium animae nostrae, et dicit: Ecce stans ad ostium pulso: Si quis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum. Vult ergo semper introire, sed a nobis ne introeat excluditur. Claudimus enim per haec corporis vitia animae nostrae aditum. Qui si coeperit emundatis omnibus patere, illico introibit, modo solis, qui clausis fenestrae valvis, introire prohibetur, patentibus vero totus immittitur. Ipsi quidem semper ut illuminet, promptum est: sed lumen sibi domus ipsa obseratis aditibus excludit. Est enim Verbum Dei Sol justitiae, assistens unicuique ut introeat: Nec moratur lucem suam apertis aditibus infundere (7).

Peccatores nondum indurati gratia sufficiente frequentissime donantur. Si nolis curari vulnus tuum (peccator) admonet (te Deus) ut cureris: et aversum revocat, et refugientem quodammodo ad se redire compellit, et attrahit. In omnibus implet quod dictum est: Misericordia ejus praeveniet me (8). Quid tam longanimum, quid tam multum in misericordia? Peccatur et vivitur; accedunt peccata, augetur vita. Blasphematur quotidie, et facit solem suum oriri super bonos et malos. Vocat undique ad correptionem, vocat undique ad poenitentiam, vocat beneficiis creaturae, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis. Longanimis et multae misericordiae, sed observa ne longitudine misericordiae Dei male utendo, tu tibi thesaurizes, quod ait Apostolus: Iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei (9).

Sed et obturatis poenitus non desunt gratiae sufficientes. « Ea est (enim) caecitas mentis (de qua in psalmo sexto dicitur, dedit eos in reprobum sensum). In eam quisquis datus fuerit ab interiore Dei luce

(1) S. Aug. ex Tract. LXVI in Joan.
(2) Ib. lib. XIV de Civ. Dei cap. XIII.
(3) S. Hilarius canone XXXII in Matth.
(4) S. Aug. lib. de Gratia et libero arbitrio c. IV.
(5) Id. in Ps. XL.
(6) S. Leo Serm. XVI de Passione.
(7) S. Hilar. in Ps. CXVIII.
(8) S. Aug. Serm. II in Ps. LVIII.
(9) Id. in Enarrat. Ps. CII.

secluditur. Sed nondum penitus cum in hac vita est. Sunt enim tenebrae exteriores, quae magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. Penitus enim esse extra Deum, quid est, nisi esse in summa caecitate (1). Deus non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis: et ipsam enim penetravit verbi calor (2).

In Nabuccodonosor et Pharaone manifestatur. Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo Reges: quantum ad causam, ambo populum Dei captivum possidentes: quantum ad poenam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diversos, nisi quod unus manum Dei sentiens, in recordatione propriae iniquitatis ingemuit. Alter libero contra Dei misericordissimam voluntatem pugnavit arbitrio (3). Nec hi qui indurati atque damnati sunt, excusationem culpae ex hoc habere posse se credant, quod nullam, qua converterentur, sint misericordiam consecuti. Hanc ergo Pharao misericordiam non accepit, et ideo ei ad pereundum liberum suffecit arbitrium... An forte, si pie de Deo, sicut expedit, sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem, qua differens justum meritumque supplicium, miraculorum verbera crebra densabat. Numquid non potuit, sicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens, Deum tantae virtutis agnoscere (4)?

Sed et infidelibus datur gratia sufficiens. Deus (enim) illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (5). Mysticus Sol ille justitiae omnibus ortus est, omnibus passus est, et omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat. Ut si quis, clausis fenestris, radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, qui a calore ejus se ipse fraudavit. Sed quod solis est, praerogativam suam servat. Quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit. Super omnes pluvia est, et hoc divinae misericordiae deputatur; quia pluit super justos et injustos (6). Forte stulta corda adhuc capere istam lucem non possunt, quia peccatis suis aggravantur, ut eam videre non possint. Non ideo cogitent quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt. Ipsi enim propter peccata tenebrae sunt: « Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. » Ergo, fratres, quomodo homo positus in sole caecus, praesens est illi sol, sed ipse soli absens est. Sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius caecus est corde. Praesens est sapientia, sed cum caeco praesens est oculis ejus absens est (7).

(1) S. Aug in Enarr. Ps. VI.
(2) Id. Enarrat. I in Ps. XVIII.
(3) S. Fulgentius lib. de Praed. et gratia c. XIX.
(4) Idem cap. XIV.
(5) Joan cap. I.
(6) S. Ambrosius Serm. VIII in Ps. CXVIII.
(7) S. Aug. Tract. II in Joan.

CAPUT VI.

DE RESURRECTIONE CHRISTI EJUSQUE AD COELOS ASCENSIONE.

Christus ait: « Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam (1). » Nullus mortuus est sui ipsius suscitator. Ille se potuit suscitare, qui mortua carne mortuus non est. Etenim hoc suscitavit, quod mortuum fuerat. Ille se suscitavit, qui vivebat in se, in carne autem sua suscitanda mortuus erat. Non enim Pater solus Filium suscitavit, de quo dictum est ab Apostolo: « Propter quod et Deus exaltavit eum; sed etiam Dominus se ipsum, idest corpus suum; unde dicit: Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud (2).

Ne (verum) turbatos discipulorum animos longa maestitudo cruciaret, denunciatam tridui moram mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum diem pars primi novissima, et pars tertii prima concurrit, et aliquantum temporis spatio decideret, et nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur Salvatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morata est in sepulcro, et tam velox incorruptae carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo quam mortis. Quoniam deitas, quae ab utraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate divisit, potestate conjunxit (3).

(1) Joan. x.
(2) S. Aug. Serm. LXVII, alias VIII.

Filius Dei praedestinatus est quodam principatu resurrectionis, quia ex resurrectione omnium mortuorum ipse praedestinatus est, idest, ut prae caeteris et ante caeteros resurgeret designatus. Ut quod hic positum est, Filius Dei, cum dixisset, praedestinatus est, ad documentum valeat tantae sublimitatis. Non enim sic praedestinari oportuit, nisi Filium Dei, secundum quod est etiam caput Ecclesiae. Unde illum alio loco primogenitum ex mortuis appellat. Eum enim decebat venire ad judicium resurgentium, qui praecesserat ad exemplum. Neque ad exemplum omnium resurgentium, sed ad exemplum eorum, qui sic resurrecturi sunt, ut cum illo vivant et regerent in sempiternum; quorum etiam caput est tamquam corporis sui. Ex ipsorum enim resurrectione etiam praedestinatus est, ut ipsis princeps fieret: caeterorum autem in sua conditione resurgentium non princeps, sed judex est. Non itaque ex illorum mortuorum resurrectione praedestinatus est, quos est damnaturus. Praedestinatum enim esse ex resurrectione mortuorum, ut praecederet resurrectionem mortuorum, vult intelligi Apostolus. Hos autem praecessit, qui ad ipsum coeleste regnum, quo eos praecessit, secuturi sunt. Propter quod non ait: « Qui praedestinatus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum *Jesus Christus Dominus noster*, sed, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri. Tamquam si diceret, qui praedestinatus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum suorum,

(3) S. Leo Serm. I de Resurr. Domini.

hoc est ad se pertinentium in vitam aeternam. Ita necessaria fuit ad fidem nostram confirmandam Christi resurrectio, ut ex ejus persona dicatur: « Quae utilitas in sanguine meo, si dum descendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam (1)? » Idest, si sic fuerit corrupta caro mea, quomodo caeterorum hominum, ut in fine resurgat, ut quid fudi sanguinem? Si enim non modo resurgam, nemini annuntiabo neminem lucrabor. Ut autem annuntiem mirabilia tua, laudes tuas, vitam aeternam, exsurgat caro mea, non eat in corruptionem. Nam si ierit quomodo caeterorum hominum, quae utilitas in sanguine meo (2)?

Sed et ascendit Christus in coelum. Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia (3). Quod de campis accidit spicarum plenis, ubi quis ex paucis spicis collectis parvulum manipulum conficiens, eumque Deo offerens, paucitate illa toti arvo benedicit. Ita Christus fecit, qui per unam illam carnem atque primitias totum genus nostrum benedicendum curavit. Sed cur non totam naturam obtulit? Eo quod non sit hoc offerre primitias, si totum quis offerat. At si parvum aliquid quis offerat, per parvum totum benedicendum curat. Atqui si primitiae dicet quispiam, essent, primum ipsum hominem procreatum offerri oportuit: primitiae enim sunt, quae primum tolluntur, et primum germinant. Non sunt primitiae cen-

(1) Ps. XXIX.
(2) S. Aug. in Expositione Epist. ad Romanos.

sendae, charissime, si primum fructum obtulerimus exilem et evanescentem, sed si probum atque perfectum afferamus. Quoniam igitur fructus ille peccato obnoxius erat, ideo non est oblatus, etiamsi primus esset. At hic a peccato liber erat, ideoque oblatus est, licet posterius extiterit. Hae enim sunt primitiae. Obtulit ergo primitias naturae nostrae, atque ita donum admiratus est Pater; itaque propter dignitatem offerentis, puritatemque muneris oblati, quasi propriis manibus illud accepit, sibique proximum constituit dicens: Sede a dextris meis (4). Veniebat nobis victor redimitus exuviis, Dominus in templo sancto suo; praeibant Angeli et Archangeli, mirantes spolium ex morte quaesitum: et quamvis scirent nihil Deo accedere ex carne potuisse, quia infra Deum omnia sunt; tamen trophaea crucis, cujus principium super humeros ejus, et triumphatoris aeterni manubias intuentes, quasi eum quem emiserant coeli portae capere non possent; licet nunquam ejus capiant majestatem, majorem viam quaerebant aliquam revertenti adeo nihil exinanitus amiserat! Debuit tamen novo victori novum iter parari; semper enim victor tamquam major et praecelsior est: sed quia aeternae sunt justitiae portae, eaedemque novi et veteris Testamenti, quibus coelum aperitur, non mutantur utique, sed elevantur; quia non unus homo, sed totus in omnium Redemptore mundus intrabat (5).

(3) Ephes. IV.
(4) S. Joan. Chrysost. Hom. de Ascens.
(5) S. Ambros. lib. IV de Fide, cap. I.

LIBER SEXTUS

De glorificatione Sanctorum et de Sacramentis.

CAPUT I.

DE BEATA VIRGINE.

Non est facta in pondere et mensura Virgo (Maria). Omnibus dedit, omnia replevit. Et quemadmodum Sol justitiae Christus Deus noster oriri facit lumen suum super bonos et malos: sic lumen indeficiens Virgo sacratissima, radios evibrans misericordiae suae, omnibus indifferenter sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Omnibus omnia facta est; sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit; omnibus misericordiae sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus laetitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanae substantiam.

O lampas lucidissima, quantos laetificasti, quando divino splendore illustrata in utero matris immaculata apparuisti! Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo? Merito epithalamii praecentor ille a longe in ortu tuo te intuitus, quae, inquit, est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Sicut aurora valde rutilans in mundum prodiisti, o Maria, quando veri solis fulgore adumbrata in conceptione tua immaculata fuisti. Ipse enim Sol justitiae de te processurus, ortum tuum quadam matutina irradiatione praeveniens, in te suae lucis radios copiosissime transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat, in fugam convertisti.

Tu pulchra ut luna diceris, eique non immerito compararis; illa enim omnium astrorum sola, soli simillima, comparatione et candore venusta, inter millia astrorum Deo assistentium, omnigena puritate in coelo gloriosa praefulges. Tu ergo pulchra es ut luna, imo et pulchrior luna, quia tota pulchra es, et maculae neque originalis neque actualis umbra est in te. Tu electa es, ut sol. Ille, inquam, sol, solis conditor, ille electus est ex millibus virorum; tu electa ex millibus feminarum. Tu terribilis ut castrorum acies ordinata. An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt praeter morem immaculate conceptam, armatura omni fortiore instructam contra se proce-

dere feminam? Quin et in animatione tua acies validas spiritualium Virtutum, et innumerabilium beatorum spirituum militiam delegatam fuisse nullatenus ambigimus; utpote qui custodirent lectulum Salomonis purissimum, ne praeparatum aeterno Regi hospitium alienus hospes invaderet (1).

Cum homo per immensam Dei bonitatem in rerum naturam edendus esset, in primis coelum extenditur, substernitur terra, suis mare terminis clauditur, ceteraque omnia, quibus utraque complenda essent, in universi ornatu una producta sunt. Tum postremum homo, regio cultu in paradiso velut in virtutis schola ponitur, ac nisi violasset praeceptum, a vitali illo loco nunquam exulasset: cumque expers indumenti esset, nisi divinis consiliis obstitisset, haud quaquam in multis variisque affectionibus obnoxiam mutationem cecidisset, ut Dei monarchae loco plura numina coleret. Cunctis itaque, ut verbo expediam, interitioni deditis, miserante Deo, ne quem suis ipse manibus formasset, in nihilum cederet penitusque aboleretur, coelum aliud novum, terramque ac mare fabricat, in quibus propensiori consilio humanum genus reformaturus ipse caperetur, qui capi nusquam potest. Isthaec porro est beata multipliciterque celebranda Virgo.

O rem miram! Coelum quidem est, cum velut ex penitissimis virginitatis thesauris Solem justitiae proferet: terra vero, ceu quae ex intemeratis lumbis vitae spicam edat: mare tandem, utpote quae uteri sui sinu spiritalem margaritam prodit. Nunc itaque nova ejus, qui capi nequit, creatura eluxit: universorum Regis regalis aula parata est, ejus qui incomprehensibilis est, ratione utens diversorium instructum. Quam mundus iste magnificus est! Quam stupenda creatio, quae virtutum arboribus venustatem habet, castitatis odore fragrat, sensuum splendoribus claret, cunctisque bonis aliis nulla penuria fruitur: digna denique prorsus est in qua Deus ad homines veniens inhabitet! Quinimo, inquit, mundus anterior quam maxime est admirabilis. Tum enim, cum creata sunt sydera, laudaverunt me voce magna Angeli mei, et praedicaverunt: nihil vero sic Deo decens gratumque fuit, uti sancta omnibusque modis miranda Virgo.

O indulgentiae demissionem! Qui eximie bonus est, proprii figmenti proles audire non renuit, amore captus illius, quae creatis omnibus speciosior est, illam amplexus, quae coelestibus virtutibus dignitate praeit. De hac itaque summe admirabilis Zacharias ait: Gaude et laetare, filia Sion, quia ecce venio, et habitabo in medio tui, dicit Dominus. Sed et beatissimus Joel de eadem, ut quidem existimo, ita propemodum noscitur clamare: Confide terra, gaude et laetare, quia magnificavit Dominus ut faceret tibi. Terra namque est, in qua sacratissimus Moyses umbraticae legis calceamentum solvere ob gratiae commendationem jussus est. Terra est, in qua ille carne fundatus a

(1) Sermo S. Thomae Archiep. Tolentini in concep. B. V. Mariae.

spiritu canitur, qui fundat terram super stabilitatem suam. Terra est, in qua nulla peccata e nata spina; secus vero per cujus germen illud potius evulsum est. Terra est, non uti prior maledicta, ac cujus fructus spinis ac tribulis horrescant: sed super quam benedictio Domini fuit, et cujus fructus ventris benedictus, ut sacro dictum est oraculo (1).

Laetare, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater, exulta, qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores; et quod infelicius est, prius peremptores, quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia, et tali filia; sed illa amplius, de qua malum ortum est prius, cujus opprobrium in omnes pertransivit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur adversus feminam; qui utique, dum se imprudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens: Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi. Propterea curre, Eva, ad Mariam; curre mater ad filiam; filia pro matre respondeat: ipsa matris opprobrium auferat; ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam.

Quid dicebas, o Adam? Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi. Verba malitiae sunt haec quibus magis augeas quam deleas culpam. Verumtamen Sapientia vicit malitiam, cum occasionem veniae, quam a te Deus, interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suae pietatis invenit. Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba; quae pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitae, et pro venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus aeterni. Muta ergo iniquae excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitae, et comedi; et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Virginem. O feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem!

Quam tibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: inimicitias ponam inter te et mulierem? Et si adhuc dubitas, quod de Maria dixerit, audi quod sequitur: ipsa conteret caput tuum. Cui haec servata victoria est, nisi Mariae? Ipsa proculdubio caput contrivit venenatum, quae omnimodam suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. Quam vero aliam Salomon requirebat, cum dicebat: Mulierem fortem quis inveniet? Noverat quippe vir sapiens hujus sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem. Quia tamen et Deum legerat promisisse, et ita videbat congruere, ut qui vicerat per feminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans ajebat. Mulierem fortem quis inveniet? Quod est dicere: si ita de manu feminae pendet et nostra omnium salus, et innocentiae restitutio, et de hoste

(1) Serm. II, S. Joan. Damasc. in Nat. B. M. V.

victoria: fortis omnino necesse est ut provideatur, quae ad tantum opus possit esse idonea (1).

CAPUT II.

DE CULTU SANCTORUM ET BEATISSIMAE DEIPARAE VIRGINIS.

Sanctos Christi martyres veras fidei margaritas omni honore dignos arbitramur, et intercessiones eorum invocamus (2). Suscipimus (ergo) et sanctos Apostolos, prophetas et martyres, qui ad Deum deprecationem faciunt; quia per eorum interventionem propitiator nobis efficitur misericordissimus Dominus, et remissionem nobis facinorum donat (3). Solum rerum omnium creatorem et opificem adoremus et latriae cultu veneremur, ut Deum natura adorandum adoremus; et sanctam Dei Genitricem non tamquam deam, sed ut Dei matrem, quantum pertinet ad humanitatem. Adoremus etiam sanctos, et electos, et amicos Dei et libere loquendi cum Deo facultatem assecutos (4). Latria vero secundum qua locuti sunt, qui nobis divina eloquia tradiderunt aut semper aut tam frequenter, ut pene semper ea dicitur servitus, quae pertinet ad colendum Deum (5). Populus christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem et ut meritis eorum consocietur atque orationibus adjuvetur. At illo cultu qui graece Latria dicitur, latino verbo dici non potest, cum sit quaedam propriae divinitati debita servitus, nec colimus nec colendum docemus, nisi unum Deum (6). Sanctos porro martyres, neque deos esse dicimus neque divino cultu, scilicet illos adorare solemus, sed affectus et honoris. Quin potius summis honoribus illos ornamus, puta, quod pro veritate strenuo certaverint... et virtutis adeo mirabilis seipsos veluti quasdam imagines vitae hominum proposuerint. Quare nihil est absurdi, imo vero necesse erat, eos qui tam claris facinoribus excelluerunt ornari perpetuis honoribus (7).

Hinc est quod in triplici specie cultus in ecclesia catholica distinguitur; cultus latriae soli Deo tribuitur; cultus *duliae* quod longe inferior est cultu latriae datur sanctis; cultus iperduliae qui inferior est cultu latriae, sed duliae cultu superior tribuitur Deiparae Virgini Mariae. «Nec tamen nos martyribus sacerdotia, sacra, et sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus; honoramus sane memorias eorum, tamquam sanctorum hominum Dei... Quaecumque igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tamquam deorum (8).

Ast cultus qui tribuendus est Deiparae Virgini superior esse debet

(1) Serm. S. Bernard. Ab. Hom. II. super missus est.
(2) Epist. Germani Patriarchae Constantinop. ad Joannem Episc. Synadensem.
(3) S. Basilius in Epist. ad Julianum Apost.
(4) S. Joan. Damasc. Orat. III de Sacr. Imag.
(5) S. Aug. de Civ. Dei, cap. I.
(6) S. Aug. contra Faustum Manic. lib. XX.
(7) S. Cyrillus lib. VI contra Julian.
(8) S. Aug. de Civit. Dei, lib. VIII, cap. XXVII.

cultu qui praestatur cunctis sanctis, quamvis non sit vere et proprie dicta adoratio, quae potius latriae significat cultum. « Ipsa enim Mater Domini est, qui caput est Ecclesiae; sed plane mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur (1).» Per feminam mors, per feminam vita; per Evam interitus, per Mariam salus (2). Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit (3)? Tua sane laus, o sanctissima Virgo, omnem prorsus laudem excedit, ob eum scilicet, qui ex te, Deus, carnem induit, et homo natus est. Tibi omnium coelestium, terrestrium et infernorum natura convenienter *cultum ac venerationem* adhibet (4). Mariae debetur cultus excelsior illo quo sancti honorantur, quia regina est sanctorum omnium. « Novum fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum, nec alium quam Christum de quo dicitur: « Ecce vir, Oriens nomen ejus. » Novum quoque fecit in coelo, ut mulier sole appareret amicta. Denique et coronavit eum, et vicissim ab eo meruit coronari. « Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua. » Verum hoc alias. Interim sane ingredimini magis et videte Reginam in diademate quo coronavit eam Filius suus. « In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim. » Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans, ornet eas potius quam ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam sol vestit? «Sicut dies verni, ait, circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium. » Nimirum laeva sponsi sub capite ejus, et jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas extimat gemmas. Quis stellas nominet, quibus Mariae regium diadema compactum est (5)? Debetur iperduliae cultus Virgini Deiparae propter singularem atque eminentem suam sanctitatem. « Magnum revera miraculum fuit beata semper Virgo Maria. Quidnamque illa majus aut illustrius ullo unquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit? Haec sola coelum ac terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetae, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchae, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles aut invisibiles, majus aut excellentius inveniri potest. Eadem ancilla Dei est et mater: eadem virgo et genitrix. Haec ejus mater est, qui a Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli et homines agnoscunt Dominum rerum omnium. Visne cognoscere, quanto Virgo haec praestantior sit coelestibus potentiis? Illae cum timore et tremore assistunt faciem velantes suam: haec humanum genus illi offert quem genuit (6).»

(1) S. Aug. de Sancta Virginit., cap. VI.
(2) Id. lib. III de Symb. ad cathec. cap. IV.
(3) S. Ambros. lib. II de Virginibus.
(4) S. Gregor. Neocaesar. Hom. III.
(5) S. Bernardi Abbatis Serm. I in cap. XII Apocal.
(6) Sermo Joan. Chrysost. apud Metaphrasten.

—

CAPUT III.

DE CULTU IMAGINUM.

Absit autem a nobis ut ipsas imagines (sicut quidam garriunt) deificemus. Sed affectum et dilectionem nostram, quam in Dei amorem et sanctorum ejus habemus, omni modo praeferimus. Et sicut Scripturae divinae libros ipsas imagines ob memoriam venerationis habemus nostrae fidei puritatem servantes. Nam creator noster Dominus Deus, dum ad imaginem et similitudinem suam de limo terrae plasmasset hominem, sagacitatis industria illustrans proprio considerationis arbitrio eum constituit. Et ipse primus homo ex proprio arbitrio divina inspiratione cuncta animantia et universa volatilia coeli et omnes bestias terrae propriis nominibus appellavit, et in ipsa appellatione permisit animantia permanere. Etiam et Abel divino ignitus spiritu de primogenitis gregis sui munera ex proprio considerationis arbitrio Domino obtulit. Pro quo legimus, quod respexisset Deus ad Abel et ad munera ejus. Porro et Noe post diluvii inundationem et ipse superna inspiratione, suo arbitrio, propriae adinventionis considerationi altare Domino aedificavit, et de cunctis pecoribus et volucribus mundis holocausta super eodem altari Domino obtulit. Simili modo Abraham (sicut scriptum est) suo arbitrio altare aedificavit ad honorem et gloriam Dei qui apparuit ei. Sic Jacob fugiens Esau fratrem suum, dum in somnis Angelos Dei ascendentes in coelum et descendentes per scalam, atque innixum ipsi scalae loquentem sibi Dominum aspiceret, surgens protinus suo arbitrio tulit lapidem quem supposuerat capiti suo erexitque in titulum, fundens oleum desuper, appellavitque locum illum Bethel dicens: « Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.» Pro quo nequaquam omnipotens Deus iratus est quod lapidem illum erexit in titulo, suo arbitrio et consideratione. Unde post paululum in eadem historia Geneseos fertur dictum fuisse illi: « Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem et vovisti votum mihi.» Ecce omnia quae humana consideratione ad laudem Dei parantur non sunt prohibenda, potius autem omnino creatori nostro Domino constat esse placabilia. Nam idem ipse Jacob proprio demum arbitrio summitatem virgae filii suis Joseph deosculatus est, fidei dilectione hoc agens, sicut beatus Paulus in Epistola ad Hebraeos testatur: «Non virgae, sed tenenti eam honoris ac dilectionis exhibuit affectum.» Sic et nos pro amore et dilectione, quam apud Dominum et sanctos ejus habemus, honorabiles eorum effigies Imaginibus depingentes, non tabulis et coloribus honorem exhibemus, sed illis pro quorum honore consistunt. Rursumque legimus praeceptum fuisse Moysi a Domino Deo nostro, cum dicitur: « Facies propitiatorium de auro mundissimo duorum cubitorum, et dimidium erit longitudo ejus, semis et cubiti latitudo: duos quoque Cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi; (et post paululum) ad coo-

periendam arcam, in qua pones testimonium, quod tibi dabo; inde praecipiam et loquar ad te super propitiatorium scilicet ac medios Cherubim qui erunt super arcam testimonii. Sed et in cortinis, atque opertorio tabernaculi Cherubim textrino opere diversis coloribus fieri praeceptum est. Considerandum quippe est quod omnipotens Dominus noster inter eosdem Cherubim manu factos existentes ob salutem populi sui loqui dignatus est. Pro quo dubium non est quod omnia, quae in Ecclesia Dei ad laudem et decorem ipsius constituta sunt sancta ac veneranda esse noscantur. Deus famulo suo Moysi praecepit dicens: « Fac serpentem, et pone eum pro signo; qui percussus aspexerit eum vivet. » Fecit ergo Moyses serpentem aeneum, et posuit pro signo, quem cum percussi aspicerent sanabantur... Salomon rex in templo, quod aedificavit, Cherubim ad gloriam Dei fecisse legimus, et diversis coloribus idem adornavit templum. Ob hoc quippe nos et omnes orthodoxi ob confessionem fidei nostrae et pulchritudinem domus Dei varietatem colorum, atque ornamentis, picturam exhibemus; quemadmodum Isaias propheta vaticinatus ait: « In die illa erit altare Domini in medio terrae Aegypti, et titulus juxta terminum ejus Domini, eritque in signum et in testimonium Domino exercituum in terra Aegypti; clamabunt etenim ad Dominum a facie tribulantis: et mittet eis Salvatorem et propugnatorem qui liberet eos.» Sicut eximius prophetarum beatus David cecinit dicens: « Confessio et pulchritudo in conspectu ejus:» et idem ipse: « Domine dilexi decorem domus tuae, et locum tabernaculi gloriae tuae. » Et iterum adventum Redemptoris nostri atque incarnationem ipsius Filii Dei annuncians, magnopere vultum ejus secundum humanitatis ipsius dispensationem adorari praemonuit, inquiens: « Vultum tuum, Domine, requiram.» Et post: «vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.» Et rursus: « signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.» Hinc et beatus Augustinus praecipuus Pater et optimus Doctor in suis admonitionum sermonibus ait: « Quid est Imago Dei, nisi vultus Dei, in quo signatus est populus Dei? » Interea et beatus Gregorius Nissenus Episcopus inter plura quae in sermone, quem de Abraham instituit, ita dixit: « Vidi multoties conscriptionem imaginis passionis, et non sine lacrimis visionem praeterii opere artis ad faciem afferentis historiam.» Et in Epistola Beati Basilii ad Julianum transgressorem missa refertur: « Secundum id quod a Deo haereditate possidemus nostram immaculatam fidem Christianorum: Confiteor et sequor et credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum; unum Deum haec tria adoro et glorifico. Confiteor autem et Filii incarnatam dispensationem, et Dei genitricem, quae secundum carnem eum genuit sanctam Mariam. Suscipio vero et sanctos Apostolos, Prophetas et Martyres, qui ad Deum deprecationem faciunt quia per eorum interventionem propitiator mihi efficitur misericordissimus Dominus, et remissionem mihi faci-

norum donat, pro quo et figuras imaginum eorum honoro, et adoro, et veneror specialiter: hoc enim traditum est a sanctis Apostolis, nec est prohibendum, ac ideo in omnibus ecclesiis nostris eorum designamus historiam. » Beati Cyrilli ex interpretatione evangelii secundum Matthaeum sermonem proferimus: « Depingit enim fides, quod in forma Dei existit Verbum, sicut et nostrae vitae redemptio oblata est Deo, secundum nos carne indutus et factus homo... Imaginum nobis explent opus parabolae significantes virtutem, ac si oculorum adhibitione et palpatu manus suggerant etiam ea quae in exilibus cogitationibus invisibiliter habent contemplationem. »

Omnis enim imago in nomine Domini aut Angelorum, aut Prophetarum, aut Apostolorum, aut Martyrum, aut justorum facta, sancta est. Non enim lignum adoratur, sed id quod in ligno conspicitur et memoratur, honorificatur. Sed dicis quia ipse Deus interdixit adorare manufacta. Dic itaque, Judaee, quid est super terram quod non sit manufactum, cum a Deo sit factum? Numquid arca Dei quae ex lignis sethim fabricata atque constructa fuit, manufacta non est?... Numquid Cherubim et Senarum alarum animalia, quae in circuitu altaris erant, non fuerunt imagines Angelorum, opus manuum hominum? et quomodo non abjiciuntur? quia vero per praeceptum Dei imagines factae sunt Angelorum sanctae sunt, et haec animalia erant. Etenim idola gentium, quia imagines fuerunt daemonum, Deus deposuit et condemnavit ea. Nos autem ad memoriam sanctorum imagines facimus... qui propter Dominum interempti sunt, ut omnes qui vident eos in imagine memorentur eorum, et glorificent Dominum, qui glorificavit eos (1).

CAPUT IV.

DE SACRAMENTIS.

Sacramentum est symbolum rei sacrae et invisibilis forma. Nam « si sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent (2).

Sacramenta non sunt signa tantum externa acceptae per fidem gratiae vel justitiae, nec sunt notae quaedam tantum christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, sed veram gratiam quam significant conferunt ex opere operato, et semper et omnibus, quantum est a parte Dei rite suscipientibus nec obicem ponentibus.

Septem sunt sacramenta novae legis: Baptisma, juxta illud Matthaei (capite vigesimo octavo): « Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Sacramentum Confirmationis, quod meminit S. Lucas (in actibus Apostolorum capite octavo): « Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro

(1) S. Adriani Pontificis Epist. ad Constantia et Irenem augustiss.
(2) S Aug. Epist. XCVIII, olim. XXIII ad Bonif.

ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.» Institutio sacramenti Eucharistiae narratur a Matthaeo (capite vigesimo sexto): « Coenantibus autem eis accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit deditque discipulis suis, et ait, Accipite et comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.» Sacramentum Poenitentiae indicat Joannis (capite vigesimo) quando narrat Christum dxisse discipulis suis: « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt. » Extremae Unctionis sacramentum ab Apostolo S. Jacobo (in Epistolae catholicae capite quinto) commendatur ubi ait: « Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittetur ei.» Sacramentum Ordinis meminit S. Paulus (in Epistola prima ad Timotheum capite quarto): «Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii. » De Matrimonii sacramento locutus est Paulus (in Epistola ad Ephesios capite quinto) dicens: «Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae. Et erunt duo in carne una, sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. »

Omnia sacramenta haec tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit non perficitur sacramentum. Ex his tria sunt, nempe: Baptismus, Confirmatio et Ordo, quae caracterem, idest spirituale quoddam signum a caeteris distinctivum imprimunt in anima indelebile, unde in eadem persona non possunt reiterare. Materia Baptismi est aqua vera et naturalis, forma ejus sunt verba: « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Legitimus minister est sacerdos: effectus hujus sacramenti est remissio omnis culpae originalis et actualis, et poenae pro peccato debita. Datur Baptisma tam parvulis quam adultis.

Sacramenti Confirmationis materia est Chrisma confectum ex oleo et balsamo; forma vero sunt verba: « Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Ordinarius minister est Episcopus.

Eucharistiae sacramenti materia est panis triticeus et vinum de vite; forma sunt verba: « Hoc est corpus meum, » relate ad panis consecrationem: « Hic est enim calix sanguinis mei novi et aeterni Testamenti mysterium fidei qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Minister est sacerdos.

Poenitentiae sacramenti materia quasi remota et necessaria est omne peccatum mortale, post baptisma, commissum. Materia sufficiens et non necessaria est omne veniale, post baptisma commissum vel etiam mortale alias rite confessum. Materia proxima vero sunt actus poenitentis nempe contritio cordis cum proposito non peccandi de caetero; oris confessio; satisfactio pro peccatis. Forma est in his verbis: « Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Minister est sacerdos.

Extremae unctionis materia est oleum olivae ab Episcopo benedictum. Forma sunt verba quae proferuntur in unctione principalium membrorum, qui sunt visus, auditus, odoratus, gustus, manus, pedes et lumbos: « Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum etc. deliquisti. » Minister est sacerdos.

Ordinis sacri materia est impositio manuum et traditio rerum justa hierarchiam ordinis ad quam elevatur fidelis. Forma sunt verba, quae ad materiam accedunt justa collationem ordinis. Minister est Episcopus. Nam ordo sacramentum est quo potestas quaedam spiritalis traditur ordinato, sive ad sacrosanctum Christi corpus consecrandum, sive ad alias functiones et ministeria ecclesiastica obeunda.

Materia sacramenti matrimonii remota sunt personae conjungendae, proxima est mutuus actus consensus; forma sunt verba determinantia consensum cum verbis ministri hujus sacramenti: « Ego conjungo vos in matrimonium in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti » vel similia. Sacerdos curam animarum habens, est minister Ecclesiae benedicens, et eodem tempore sunt sponsi comministri.

LIBER SEPTIMUS

De Ecclesia Catholica.

CAPUT I.

DE ECCLESIAE CHRISTIANAE CATHOLICAE NATURA.

Verbum aeternum Deo Patri suo consubstantiale, quod suo consilio cuncta cum suo principio componens, ordinem universalem, priusquam evolveretur, altissima sua mente concipiebat, et ad illum omnia, ab eo creata in tempore, adducebat; ab ipsis mundi primordiis, cum primi hominis lapsu hunc ordinem viderit turbatum, omnia restaurare promittens, quae subversa propter hominis reatum constiterint, veritatis et justitiae populum sibi constituit, qui futuram regenerationis gentem repraesentaret. Adveniente die a decretis arcanae suae voluntatis signato, quo omnes homines justi, tam qui praecesserant, quam futuri usque ad consummationem saeculi, pretio redemptionis fruerentur (quia universo corpori, cujus caput est Christus, fide atque operibus cohaeserunt) caro factum et habitans in terris, principes imperii sui elegit atque instituit duodecim Apostolos, quos veluti fundamenta regni sui, quod sacrificatus in ara crucis suo sanguine consecravit, et a morte resurrectus, antequam ad coelos ascenderit, perenni sua benedictione confirmavit. Regnum hoc Christi regnum est omnium saeculorum in unitate fidei, et spei, et charitatis vinculo constitutum, sacramentorum bonis ditatum, in Apostolatus vertice firmatum rectoribus et subditis constans, ad beatitatis gloriam aeternae tendit consequendam. Hoc regnum est Christi corpus mysticum, et Ecclesia nuncupatur, atque recte definitur: « Coetus hominum ejusdem christianae fidei professione, et eorumdem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum et praecipue unius Christi vicarii in terris Romani Pontificis. » Quamvis Ecclesia una sit, ut paulo inde demonstrabimus, sitque sub uno invisibili capite Christo Jesu congregata, duplex tamen ejus status et conditio temporalis est: militans, scilicet in terris, atque aeterna et triumphans in coelis. « Ecclesia militans peregrinatur in tempore, a solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini, offerens continuo sacrificium acceptabile, Deo dignum atque adorabile, et post captivitatem vetustatis, canticum novum cantans in coelis perpetuo permansura. Ecclesia triumphans in coelis semper ex quo condita est, cohaesit Deo, nec

ullum malum sui casus experta est. Haec in sanctis Angelis beata persistit, et suae parti peregrinanti, sicut oportet, opitulatur. Quia utraque una erit consortio aeternitatis, et nunc una est vinculo charitatis, quae tota instituta est ad colendum unum Deum. Una est in fide Ecclesia militans, altera in specie, scilicet triumphans. Una in tempore peregrinationis, altera in aeternitate mansionis; una in labore, altera in requie; una in via, altera in patria; una declinat a malo, et facit bonum, altera nullum habet a quo declinet malum, et magnum habet quo fruatur bonum; una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat; una fortis est in adversis, altera nihil sensit adversa; una carnales libidines frenat, altera spiritualibus delectationibus vacat; una est vincendi cura sollicita, altera victoriae pace secura; una in tentationibus adjuvatur, altera sine ulla tentatione in ipso adjutore laetatur; una subvenit indigenti, altera ibi est, ubi nullum invenit indigentem; una flagellatur malis, ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiae caret omni malo, ut sine ulla tentatione superbiae cohaereat summo bono; una bona et mala discernit, altera quae sola bona sunt cernit; una bona est, sed adhuc misera, altera melior, sed beata (1).

« Fideles justi quorum animae e corpore sejunguntur, morte occumbente in Ecclesia universali sunt, a militante transeunt ad triumphantem. Hae piorum animae nequaquam separantur ab Ecclesia, quae etiam nunc est regnum Christi. Alioquin, nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi; nec aliquid prodesset ad ejus baptismum currere in periculis, ne sine illo finiatur haec vita; nec ad reconciliationem si forte per poenitentiam malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles, etiam defuncti membra ejus sunt? Quamvis ergo cum suis corporibus nondum, jam tamen eorum animae regnant cum Christo (2). Ecclesia Dei in imo posita tendit in coelum, ibi ejus terminus peregrinationis, ibi ejus perpetua beatitudinis patria, ibi requies, ibi corona Ecclesia dicitur mysticum corpus Christi. Sicut enim, ait apostolus Paulus, corpus unum est, et membra habet multa: omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus. » Et observandum esse censemus quod Apostolus non dixit ita et corpus Christi, vel membra Christi, sed ita et Christus, unum Christum appellans et corpus. Quod quidem incredibile videri non debet. Si enim divina substantia longe distantior atque incomparabili diversitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una persona fieret: quanto credibilius alii homines sancti, et fideles ejus fiunt cum homine Christo unus Christus?

Ecclesia hominibus iis, qui etsi sub umbra mortis adhuc sedeant, per arcana tamen miserentis Dei consilia,

(1) Augustinus in Enchiridio cap. LVI et in Tract. CXXIV in Joan.

(2) Aug. de Civ. Dei cap. x.

vocem veritatis audient, est quasi aurora consurgens. Fidelibus suis dies est numquam occidens; magistra et mater amicta sapientiae luce singulos homines, et familias et civiles societates regit in omnibus temporum et vitae discriminibus, atque potestatum relationes unico suae auctoritatis imperio irreformabiliter componit. Hostibus suis vi atque potentia veritatis ad propugnanda jura Dei terribilis emicat, et quasi castrorum acies ordinata bella Domini sustinet patientia et martyriis suis; et enervata persecutorum potentia palmis suo sanguine decoratis, multiplicata ejus progenie, Regina diademate novo coronata triumphat. Lex ejus immaculata sontes et vitiorum caeno foedatas animas convertit, rectas perficit atque decorat, rebellas comprimit; et societatibus civilibus justitiae et aequitatis typum praebens, eis verum faustumque in tempore dat prosperitatis omnimodae incrementum. Ecclesia grex Christi est in quo homines veritatis atque moralitatis pascua inveniunt. « Qui non intrat, ait Christus, per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro. Qui autem intrat per ostium, Pastor est ovium: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium, Ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae: Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus Pastor (1). »

(1) Joan. x.
(2) Aug. Tract. xlv in Joan. et Tract. lxi.

CAPUT II.

DE MEMBRIS ECCLESIAE CATHOLICAE.

Ecclesia vero non continet oves tantummodo sanas, sed etiam lethalibus morbis affectas, homines justos scilicet et peccatores, praedestinatos etiam et reprobos. « Secundum, ait Augustinus, praescientiam Dei et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus, et quam multae oves intus, quam multi lupi foris? Quid est quod dixi quam multae oves foris? Quam multi modo luxuriantur, casti futuri; quam multi blasphemant Christum, credituri in Christum; quam multi se inebriant futuri sobrii; quam multi rapiunt res alienas donaturi suas! Verumtamen modo vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quam multi intus, qui nunc laudant, postea blasphematuri; casti sunt, fornicaturi; sobrii sunt, se vino postea sepulturi; stant casuri! Non sunt oves? (de praedestinatione enim loquimur; de his loquimur quos novit Dominus, qui sunt ejus). Et tamen ipsi quamdiu recte sapiunt Christi vocem audiunt. Ecce audiunt isti, non audiunt illi. Et tamen secundum praedestinationem non oves isti, oves illi. Numero non merito, specie non virtute: commixtione corporali non vinculo spirituali, carnis adjunctione, non cordis unitate: secundum communionem sacramentorum sunt ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis (2). » Ad collegium Apostolorum Judas adhuc

Christo vivente pertinebat et Ecclesiae nascentis membrum erat, quomodo erat et Thomas dum resurrectionem Christi negabat; quamvis et ille lupus, et hic ovis brevi tempore rebellis subito fidelis. Sacramentum poenitentiae a Christo Domino fuit in Ecclesia non pro justis certe, sed pro peccatoribus institutum; nec nisi ad fidelium utilitatem, peccatorum. Etenim sic inquit Christus: « Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittentur eis. »

CAPUT III.

DE VISIBILITATE ECCLESIAE CATHOLICAE.

Quod ante praedixerant multifarie multisque modis prophetae de visibilitate Ecclesiae id facto fuit de Ecclesia Christi adimpletum. Symbolice enim Michaeas de visibilitate Ecclesiae et perfecta ejus notione inter gentes loquens ait: « Erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium, et sublimi super colles, et fluent ad eum populi. Et properabunt Gentes multae et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob: et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus: Quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum. » In monte sublimi, qui Christus est positam esse ac fundatam prophetavit Michaeas Ecclesiam. Si in tam sublimi collocanda fuerit Ecclesia, ut gentes eam videntes agnoscerent domum Dei, quomodo haec non esset visura? Si gentes ab ea discere oportuerit legem et judicium agnoscere, quomodo ipsa arcano poterat involvi? Imo et Gentes multas ambulaturas in lumine ejus vaticinatus est Isaias. In sole posuisse Deus hoc tabernaculum suum cecinit David propheta. Quomodo et qua ratione haec constare possunt nisi visibilis Ecclesia sit atque manifesta? In vaticiniis de Ecclesia clarius prophetatum est quia clarissime manifestari debebat. Hinc Augustinus ait: « Obscurius dixerunt prophetae de Christo quam de Ecclesia: Quia videbant in Spiritu contra Ecclesiam homines facturos esse particulas, et de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ideo illud unde majores lites futurae erant, planius praedictum, et apertius prophetatum est, ut ad judicium illius valeat qui viderunt et foras fugerunt. Pene utique Christus aliquo involucro sacramenti praedicatus est a prophetis, Ecclesia aperte: ut qui viderent illam et qui futuri erant contra illam ut impleretur in eis ista nequitia, quam praedixit Psalmus: Qui videbant me, foras fugerunt a me (1). » Sed adimpleta est prophetia: « Non potest civitas abscondi supra montem posita, ait Christus, » haec civitas mystica, scilicet Ecclesia posita supra montem, qui Christus est, non potest abscondi; quia ipse lux est, et lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Christus revelatur in manifestatione Ecclesiae

(1) Aug. Enarr. 3 in Ps. XXX.

suae, quam non in occulto, sed in luce suae claritatis instituit. Christus idem declaravit Ecclesiam docentem in apostolatu, et ejus successione consistentem, lucem esse mundi; quomodo lux non cognoscitur? quod ignoratur dicitur esse in tenebris vel esse tenebrosum; quod vero apparet atque distinguitur luce clarere dicendum. Si Ecclesia lux mundi est, quomodo potest esse nox in eodem tempore, quin absurdum et impossibile dicatur? Christus eam constituit in judicando irreformabilem, et ad eam recurrere, voluit, fideles contra insanientes errore, atque vitio effraenatos, « Dic Ecclesiae: et si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » Quomodo potest dici Ecclesiae, si ea non videtur? quomodo irreformatus atque inemendatus audierit Ecclesiam si haec ignoratur quaenam sit vel ubi existat? Si ergo Christus Deus nec falli, nec decipere potest, impossibile est designasse Ecclesiam uti notam omnibus et securam, quae reapse sit ignota atque obscura. Ecclesia ab ipso constituta universi orbis magistra, et ad judicium irreformabile exercendum determinata, visibilis, nota et auctoritate plena ejus manifestatio esse debet, atque authenticis manifestisque signis condecorata. Ecclesia utique non potest non esse visibilis, quia hominibus constat. Verum quid ejus splendorem potest obscurari? Persecutio? sed persecutionibus crevit, de persecutoribus triumphavit. Haereses? sed illae oriuntur, ut qui probati sunt, inquit apostolus Paulus, manifesti fiant. An malorum fidelium peccata, et scandala? sed illis non maculatur nec tenebrescit ejus lumen Christus, cum ipsa manens, eamque illuminans omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Non obtenebratum fuit apostolorum collegium peccato Judae. Non potest non esse visibilis Ecclesia propter ejus aedificationem et ministeria suorum doctorum, atque pastorum, quae omnia visibiliter exercentur, et erunt usque ad mundi finem ut Apostolus scripsit: « Et ipse dedit quosdam quidem prophetas, alios apostolos, et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi. » Non sunt novitates absurda illa quae confessio Elvetica nuper edidit circa obscuritatem Ecclesiae? Non sunt novatores digni ut proselytismi strepitus eos laudet velut inventores errorum. Etiam tempore divi Pauli, scilicet a primordiis Ecclesiae infelices etherodoxi et susurrones in dubium existentiam ipsam Ecclesiae posuerunt, et multis depravatae phantasiae suppositionibus propositis, conati sunt eam praesentare quasi caligine sit undique circumdatam et involutam. Etherodoxi insanientes vaniloqui, dubitantes utrum Ecclesia Christi adhuc existat et nescientes ubi sit, constituunt semetipsos judices, et sententiam dicentes Catholicam Ecclesiam amplius non esse, quia immutata fuit a sua constitutione a primis suae existentiae saeculis in ridiculosam incidunt contradictionem. Nam ut

possint demonstrare Ecclesiam esse deformatam eam cognoscunt, eamque cognitam ad examen revocant comparantes cum prima suae vitae conditione; quod effici non potest nisi cognoscatur tota Ecclesiae vita; sed ipsi profitentur contradictione etiam absurdiore invisibilitatem Ecclesiae a sua prima aetate usque adhuc; sunt ergo iidem qui certam manifestamque censent Ecclesiam, et simul incertam atque occultam invisibilemque esse opinantur. Ii vero qui dubitant an amplius existat Ecclesia propter transformationem, cui subjecta fuit, juxta eorum sententiam, etiam in absurdum cadunt: cognoscunt enim transformatam Ecclesiam, de qua dubitant an amplius Ecclesia dici possit, et simul eodem tempore dubitant utrum reapse, qualiscumque sit, Ecclesia existat. Verum ut rite recteque judicari possit utrum revera transformata sit Ecclesia, deberent auctoritati traditionis niti, quam ipsi audent reprobare. Quomodo ergo possunt judicare qui non habent criterium judicii?

CAPUT IV.

DE IMMUTABILITATE ET FECUNDITATE ECCLESIAE CATHOLICAE.

Immutabilitas Ecclesiae ejusque fecunditas, quam ipsa a ligno crucis habuit et vincendi facultas, nixa divinis Christi promissionibus tituli sunt suae visibilitatis. «Fides vestra, Apostolus Romanis scripsit, annuntiatur universo mundo» tam visibilis Ecclesia Romana et recognita videbatur, ut ab universo terrarum orbe tributum pro sua fide reciperet admirationis. Haec autem fides fecunda per gratiam permanet in Ecclesia et perseverabit usque ad consummationem saeculi per immanentiam veritatis per Christum Jesum, qui se in Ecclesia in omnibus diebus fore promisit. Veritas per se fecunda est, sed supernaturalis veritas fecundissima; fides quae veritati supremae innititur, vera est ac proinde fecunda. Fides ergo quae nunc viget eadem est quam illa, quae nuntiabatur universo mundo divi Pauli tempore, eamdem vim, eamdemque efficaciam habet atque habebit usque ad diem temporis postremum. Verum si nequit nuntiari fides, nec fecunditatis effectus recognosci, nisi et illa manifestetur, et nisi visibiles profitentes eam sint, et si fides confessa et praedicata Ecclesiam declarat, consequens est ut irreformabilis Ecclesia in fide et semper fecunda atque perseverans semper erit visibiliter mansura. Insuper fides habetur ex auditu, juxta Pauli doctrinam, quomodo audient, ait Apostolus, sine praedicante? sed si fides debet manere semper in Ecclesia, praedicatio Ecclesiae continuari oportet. Praedicatio germinat fidem et ex fide est; verum non potest praedicatio non habere sensibile medium; vox enim et scripta sensibilia sunt et necessario loquentem atque scribentem debent revelare. Si ergo praedicatio vox est Ecclesiae, cujus fidem gignit, certo Ecclesiam docentem manifestat, et ex hoc ipso visibilis Ecclesia est reco-

gnoscenda (1). Nulla comminatio a Christo Domino facta invenitur contra Ecclesiam suam, quasi extingui debeat si in ea evenire possit impossibilis hypothesis, ut refrigescat charitas. Ecclesia docere debet, juxta illud Christi praeceptum « euntes docete omnes gentes, » ut apprehendi queat quae sit vera doctrina Christi et Ecclesiae. Docentes debent cognosci, et sensibilis et publica esse debet praedicatio ut audiri possit, Ecclesia hinc docens impossibile est ut non sit visibilis. « Vos estis lux mundi, ait Christus, non potest civitas abscondi supra montem posita, neque qui lucernam accendunt ponunt eam sub modio. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui est in coelis. » Ecclesia universalis figuratur ut civitas, Ecclesia docens ut lux; neque docens neque addiscens igitur Ecclesia potest non esse noscibilis; quia addiscens debet se affirmare operibus bonis externis, et docens affirmare suam doctrinae praedicationem, et in charitate suam unitatem. « In hoc, Christus ait, cognoscent homines quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. » Ridiculum hinc est dubitare an Ecclesia amplius sit. Christus enim promisit numquam defecturam esse Ecclesiam suam, nec potentiae tenebrarum fore praevaleant adversus eam. Ipse igitur tam perfecte debebat opus suum constituere ut numquam fore acciderit periculum hujus Ecclesiae defectionis. Opinari enim defectum esse in opere Dei, vel posse hominem opus suum destruere absurdum est, et hoc affirmare blasphema detestandum.

(1) Lege quae fusius de hoc argumento inveniuntur in opere cujus titulus: *Il Concilio di Pio IX e la Riforma del secolo per Gaspare de Luise de' Pii Operarii*, Napoli 1869.

CAPUT V.

DE NOTIS ECCLESIAE CATHOLICAE. DEQUE EJUS UNITATE.

Verum quaenam sunt signa recognoscendi Ecclesiam vere divinam? Sunt ea quae a Conciliis tradita sunt, quaeque caracteres Ecclesiae unde vera Ecclesia dignoscatur: unitas scilicet sanctitas, catholicitas apostolicitas. Ecclesia Christi una est in fide, in lege, in sacramentorum participatione, et in essentiali ejus constitutione et regimine una resultat. Super cathedram unitatis constituit Deus doctrinam veritatis. Ut enim verum et unum identificantur sic et veritas et unitas. In quocumque aspectu veritas consideratur in conformitate sita est, et conformitas non potest esse nisi una. Posuit Deus Doctores, Pastores, Prophetas et Apostolos ad consummationem sanctorum, inquit Apostolus, in opus ministerii, in unitatem fidei; Unus Deus, una fides, unum baptisma. Vera est igitur Ecclesia, quae unitatem habet fidei, illa scilicet sit omnium fidelium fides, quam Ecclesia docens definit, quae a divinis Scripturis canonicis idest ut divinitus ispiratis ab Ecclesia in suo canone recensitis, nec non a traditione per Apostolos, et sanctos Patres, et Ecclesiae mores et ritus usque ad nos pervenit, et a Conciliis Oecumenicis atque Summorum

Pontificum dogmaticis consitutionibus definitur atque sancitur, juxta illud Christi Verbum: « Qui Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » Quod ad Pastores Ecclesiae confirmans ait: « Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit. » Ad unitatem fidei in conciliis Deus inspirat immediate definitiones, etenim Christus ait: « Ubi sunt congregati duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum.» Et in Actibus apostolorum legimus primum apostolorum Concilium in definiendo illis verbis usum esse *visum est Spiritui Sancto et nobis*, quae formula adhibita fuit, ab aliis Synodis successivis, et exprimit immediatam revelationem habitam a Spiritu Sancto. Sed utile est ad unitatem fidei considerare nunquam evenisse vel Concilia omnia, vel Pontifices Summos aliquid definisse quod priscis conciliorum vel Pontificum Romanorum dogmaticis canonibus contrarium fuisse. Una debet esse Ecclesia in regimine, et in sacramentorum administratione, ut reveletur opus unum divinitatis, quae simplicissima unitas cum sit, in omnibus suis operibus unitatis suae vestigia impressit; hinc non posset Ecclesia dici unitatis opus nisi esset una.

Ecclesia cum sit juxta divum Apostolum columna et firmamentum veritatis tam in sua fidei doctrina, quam in sua morali lege atque in suae essentiali ordine hierarchiae immutabilis sit oportet. Quia unitas perseverat in se atque per se ipsam; non mutatur unitas nisi destruatur et cesset. Veritas eadem ratione ac unitas concipi nequit, quin immutabilis intelligatur; cessat esse veritas, si in oppositum vel in aliud, quod ipsa non sit, transisse etiam hypothetice concipitur; erit enim quod prius non erat scilicet dissimile, aut contrarium veritati, aut ab ea diversum, quod idem est ac dicere non esse amplius veritatem. Si igitur Ecclesia est vera, debet esse immutabilis, et talis etiam sit oportet ut reapse una dicatur. Commendans Ecclesiam Christus Patri suo ait: « Serva eos quos dedisti mihi Pater, ut unum sint sicut et nos. » Impossibile est Christum a Patre non exaudiri; hinc impossibile est ut Ecclesia in unitate sua in fide, in sacramentorum administratione, in lege morum, et in essentiali sua hierarchica constitutione mutetur.

CAPUT VI.

DE SANCTITATE ECCLESIAE CATHOLICAE.

Ecclesia sancta esse debet, quia Deo consecrata. Petrus enim ajebat ad fideles: « Vos autem genus electum, gens sancta.» Deus enim sibi constituit Ecclesiam, elegit autem quos volebat ad suum opus. Inquit Christus, « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. » Electio populi dirigitur (velut ad finem) ad illum qui elegit, nec aliter quam sibi Christus populum vocavit redemptum ad Ecclesiam suam; in electione peracta et assensu electi confirmata habetur consecratio quam populus suimetipsius facit Christo. Insuper de gente sancta Ecclesiae corpus constituitur propter sui capitis sanctitatem

cum quo intime conjungitur, quod per fidem inhabitat in cordibus nostris, et propter sanguinem divum, quo juxta Apostolum mundata est Ecclesia et consecrata. Sancta est quia sancta pertractat; ministerium enim ejus sanctum est, justificatio scilicet hominis, praedicatio divini Verbi, sanctissimum ejus sacrificium, sacramentorum sancta administratio, sancta est, quia fides ejus sancta, et lex ejus sancta et immaculata convertens homines, testimonium Domini fidele. Sancta est quia membra plurima hujus mystici corporis sancta sunt, et denique quia sanctificat opera suorum fidelium; sancta est quia sanctus ejus finis, et ad sanctissimum terminum filios suos adducit. In Ecclesia nihil flagitiosum imitandum proponitur, ubi veri Dei aut praecepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur. Ecclesia opus est Christi qui, cum infinite et absolute sanctus sit, nequit nisi sancta facere, et sancta aedificare.

CAPUT VII.

DE UNIVERSALITATE CATHOLICAE ECCLESIAE.

Ecclesia esse debet catholica, scilicet universalis. Christus enim non uni, vel alteri populo, aut nationi opus sanctificationis donavit: sed omnibus hominibus. Apostolis ait: « Euntes in universum mundum, praedicate Evangelium omni creaturae; euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Ecclesiam ingrediuntur homines per fidem, quae habetur per auditum, scilicet per praedicationem dicente Apostolo fides ex auditu quomodo audient sine praedicante? et habetur per baptismum; unde hoc sacramentum janua dicitur Ecclesiae, et sine hoc sacramento regenerationis salvari omnino nemo potest: « Nisi quis, ait Christus, renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei. » Suum corpus Christus non pro aliquo populo ad sacrificium Crucis dedit, et sanguinem suum fudit, sed pro omnibus hominibus in remissionem peccatorum. « Redemisti nos, in Apocalypsi legitur, Deus, in sanguine tuo ex omni tribu et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum. » Idem Christus Dominus mox coelos ascensurus ita locutus est ad discipulos suos: « Haec sunt verba quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum: Quoniam necesse est adimpleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me. «Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis: « quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die: et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in *omnes gentes* incipientibus ab Jerosolyma...Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae. » Et revera Christi Ecclesia ubique locorum diffusa est; ejus doctrina et fides ratione temporum catholica est, quia fideles, qui ab Adam usque in hunc diem fuerunt, et jam in coelo regnant cum Christo,

et omnes qui nunc in terris vivunt fideles et qui victuri sunt usque ad temporis consummationem in vera fidei ejusdem professione, et Christiana unitate ad eamdem Ecclesiam pertinent quae super fundamento Apostolorum et Prophetarum superaedificata est ipso summo angulari lapide Christo Jesu; et denique universaliter eadem omnium fidelium fides est, ita ut quod unus credit, alter credit, et omnes fideles in universo mundo dispersi idem credant oportet.

CAPUT VIII.

DE APOSTOLICITATE ECCLESIAE CATHOLICAE.

Ecclesia apostolica est: « Non oportet adhuc quaere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenisse in eum contulerint omnia, quae sunt veritatis, ut omnis quicumque velit sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus: omnes autem reliqui fures sunt et latrones, propter quod oportet deviare quidem illos; quae autem sunt Ecclesiae, cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? Etsi quibus de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias (1)? Ecclesia apostolica esse debet; scilicet ut ab Apostolorum fundatione Sedes episcopales originem trahant. Hinc Tertullianus ajebat de Haereticis: « Edant origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem: Sicut Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum a Joanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique et caeterae exhibent quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant. » Ibi igitur Apostolica est Ecclesia, ubi est Apostolorum doctrina. Ibi doctrina Apostolorum est, ubi est legitima Episcoporum successio ab Apostolorum temporibus ad nos usque. Quae successio ubi non est, ibi non est Ecclesia Christi. Ad unitatem Ecclesiae conservandam Christus unum caput instituit infallibile, de quo in sequenti capite.

CAPUT IX.

DE INFALLIBILITATE CAPITIS ECCLESIAE CHRISTIANAE CATHOLICAE.

Ut unitas haberetur, et catholicitas, et sanctitas, et apostolicitas unus vir uti caput erat instituendus, qui Christi vox esset; hinc Romanus Pontifex infallibilis et Christi locum tenens recognoscatur oportet. Meminimus disceptationes, quae tempore Con-

(1) S. Aug. in Enchirid.

cilii Vaticani habitae fuerunt antequam definitionem Infallibilitatis Romani Pontificis. Hic licet repetere aliqua de hac veritate, quae scripsimus et typis mandavimus cum Romae moram faceremus.

Veritas, nos scripsimus, in quaestione de Infallibilitate Romani Pontificis in rebus fidei et morum facilius mihi videtur inveniri, si praejudiciis remotis, ea quae opportunitatem definitionis respiciunt, omittantur, nec non examina actuum particularium, quae uti corollaria tractanda sunt, primo ac principaliter in sua essentia quaestio inspiciatur, atque de ea disseratur. Inanis enim conquisitio fuit antequam in Concilio Vaticano definiretur Infallibilitas Romani Pontificis, an expediret haec definitio; quia semper expedit veritatem docere atque promulgare. Si Pontifex infallibilis est in rebus fidei et morum definiendis, officium indispensabile Episcoporum existimabatur hoc dogma sancire hanc sapientiae stellam indicare, ut possint populi semitas justitiae tuto percurrere, donec ad montem Dei perveniant, et ad aeternam gloriae Domini civitatem. Pernecessarium imo erat diebus nostris, ut de hac quaestione Sancta Synodus decerneret, dum Petri Cathedra impugnatur et robur auctoritatis in legibus, in familiis, in humanis societatibus videtur esse debilitatum.

Nec valebat timor inexplicabilis aliquorum boni nominis scriptorum, ut scilicet scandala in animis fidelium orirentur. Jam quaestio nimis pervulgata erat, proditores Ecclesiae jam potiti erant omnibus difficultatibus, quas imprudentes vulgo aliqui produxere; supererat ut quaecumque fuerit quaestio, dirimeretur, et judicium Dei in concilio inhabitantis omnibus innotesceret. Inimicus enim homo in agro Domini jam superseminavit zizania in medio tritici, et crevit frumentum cum zizaniis; ergo si vera est Infallibilitatis Romani Pontificis sententia, tunc tempus erat eradicandi zizania, damnandi scilicet opiniones quae infallibilitati Pontificis Romani adversantur; vel falsa est, et tunc quoque tempus erat gallicanismum absolvendi adhuc cum zizaniis confusum. Catholica Ecclesia simulationes anathematizat, non secus ac sapientia divina os bilingue detestatur. Ipsa non patitur filios suos quiescere in doloso erroris arcano, vel diutius a dubiis agitari in re tantae necessitatis.

Indignum erat scriptoribus catholicis insinuare metum, quod quidam non recte agentes ausi erant, praenuntiando temporales in Ecclesia calamitates consecuturas esse post definitionem quaestionis praefatae, dispersiones Episcoporum nunciando, Romani Pontificis exilium, potestatum humanarum iras et vexationes. Ecclesia sanguine filiorum suorum crevit, et inter amaritudines sub pressuris gentium et molimine tyrannorum est mirabiliter propagata. Perennis Ecclesiae juventus bellorum impetus tranquilla sustinet secura triumphi. Petri navis gloriosior findit mare, quando fluctus et tempestates vehementius in eam concitantur.

Puerile erat pertimescere schismatum pericula, et sperare haereticorum

conversionem transigendo, uti anonymus quidam in opusculo falsis rationibus insinuabat. Quando turbae enim recedebant a Christo dicente: *Caro mea vera est cibus, et Sanguis meus vere est potus*, Jesus Christus ad discipulos suos conversus, ait: *Vultis et vos abire?* Ecclesia non humana regitur, sed divina prudentia; Deus de lapidibus terrae facit suscitare filios Abrahae. Accusare tempora, uti faciebat praefatus anonymus, et asserere nostris diebus verificari vaticinium Christi: *Putasne inveniet filius hominis fidem in terra?* et deducere ex hoc inopportunitatem definitionis, quasi per ipsam adimpleantur verba Christi, valde ridiculosum fuit; coelum et terra transibunt, sed verba a Christo prolata non transibunt; aut definiebatur infallibilitas, aut non, oportet tamen adimpleri Scripturam. Quare formidulosi scriptores non levant oculos, et non adspiciunt regiones, quae albae sunt jam ad messem? Videant populorum frequentiam petentium Romam, quando aliqua magnalium Pontificatus memoria celebratur. Recognoscant pronam mentium catholicarum submissionem, quae nunquam pronius quam hodie oracula Pii IX successoris Petri excepere. Admirentur amorem, quem fideles omnium nationum ad quaevis exantlanda pro Petri Cathedra commonstrant. Exilia, vincula, acies gladiorum innumeri fideles experti sunt pro juribus supremae Sedis, et plurimi strenue decertantes, pro Petro, gloriosa morte occubuere fulgida eorum gloria laureati. Respiciant etherodoxorum reverentiam erga Petri Sedem, munera pedibus Pii oblata, laudes, quibus eum prosecuti sunt; quid ergo timendum ubi non adest timor?

Facta vero particularia aliquorum Pontificum adduci inutile erat, quae temporum vicissitudine, interpolata nobis pervenerunt: quaeque criterio sincero possunt evidenter dignosci: atque definiri, declarata prius veritate atque caracteribus ipsius veritatis pari criterio determinatis. Quot difficultates in Scripturis sanctis, in conciliis inveniuntur ab hominibus imperitis, quas facile solvit qui veritates et axiomata, ut ita dicam, theologica in promptu habet assuetus in lectione Scripturarum, et in studiis canonum Conciliorum? Examinetur ergo principaliter quaestio, et videbitur verum esse, quod sacrosancta Synodus in Spiritu Sancto definivit, quod toto cordis affectu fideles oportet amplectantur.

CAPUT X.

IN QUAESTIONE INFALLIBILITATIS ROMANI PONTIFICIS QUIDNE HABETUR IN QUO OMNES CONVENIRE DEBENT?

Quaestio de Romani Pontificis Infallibilitate habet hoc omnibus disserentibus commune, determinare scilicet quibus caracteribus divinum magisterium constitutum sit. Hoc, ut ita dicam, soluto, facile dignoscitur si paucissima facta, in quibus adversarii praesumunt videre fallibilem Romanum Pontificem sint actus exercitii magisterii ejus; deinde an Romana Sedes potiatur infallibili magisterio, aut an potius indigeat sem-

per concilio Episcoporum, ut infallibiliter doceat fideles. Veritas in conformitate consistit; illud igitur verum magisterium Ecclesiae dicendum, in quo notas Ecclesiae naturales invenimus congruentissime accommodatas. Si Ecclesia una est, catholica, sancta, apostolica, et auctoritatis plenitudine ditata coërcendi indociles atque inobedientes, magisterium authenticum Ecclesiae esse debet unum, irreformabile, universale, sanctum, apostolicum, scilicet per successionem Apostolorum in ipsa docente cathedra firmatum, et denique magisterium sit potestate obligandi fideles sanctione perfecta corroboratum. Hisce notis munitum oportet magisterii exercitium ita se affirmare in formulis ipsis, quibus apta doctrina ab eo traditur veritatis, ut exercitium cum magisterio conformetur. Et re quidem vera in concilio Apostolico usi sunt Apostoli docentes hac formula: « Visum est Spiritui Sancto et nobis, » ad ostendendam unitatem et sanctitatem divinitatem definitionis. Non visum est quibusdam Episcopis, non majori numero Episcoporum, non morali unanimitati, sed nobis in unum collectis, et docentibus unum, quod irreformabile est, quia sanctum atque divinum; nam non nobis solum, sed Spiritui Sancto quoque visum est. Et sic adimpleta sunt Christi verba ad Patrem, eum rogantis, ut Ecclesiae pastores simul unum essent non modo, sed essent unum in Deo. « Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est..... Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti (1). » Epistolam Synodalem Apostoli non quibusdam regionibus, sed universis, in quibus Christiani inveniebantur, suapte natura dirigebatur; eamque ad omnes particulares proinde Ecclesias miserunt. Quia compleri debebant tunc ipsi, postea et quoties magisterium suum Ecclesia exercet, illa Christi praecepta: « Docete omnes gentes... docentes eos servare quaecumque mandavi vobis. » Et tunc habetur in actu exercitium potestatis pascendi gregem in doctrina, ad aedificationem corporis Christi, ut unum manifestetur in ipso unico et universali et impartiali alimento omnibus Christi corporis membris communicando. In conciliis, quae apostolicam Synodum secuta sunt, formulas adhibuerunt Patres, quae apostolicam traditionem in definitionibus suis patefaciebant; quae traditio in successione servatur sedium, praecipue Romae supremae cathedrae: ut adimpleatur illud Spiritus Sancti praeceptum traditum per os Pauli ad Timotheum (ep. II): *Bonum depositum custodi.* Oecumenica concilia plectendo superbos veritatis hostes adhibuerunt formulam « anathema sit, » ad ostendendam plenam Ecclesiae coërcitivam auctoritatem et intentionem ejusdem Ecclesiae obligandi omnes fideles ad fide retinenda ea, quae per hoc magisterium tradita sunt, sic adimpletur quod ait Christus: « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut

(1) Joan. cap. XVII.

ethnicus et publicanus, » et Apostolus de ipsis loquens qui non audiunt Ecclesiam, ait: nec ave ei dixeritis.

In hypothesi ergo quod sit infallibilis Pontifex Romanus in definiendis rebus fidei et morum, quando reapse magisterium Ecclesiae exercet? « Quando immediate expresse et solemniter de fidei et de morum doctrina, verba ad cunctos fideles dirigit, et conscius de adsistentia Spiritus Sancti manifestatur, et ea, quae docet, in deposito revelationis sibi concredito contineri declarat, non tacita, sed extrinsecata intentione obligandi fideles omnes ad fide tenendum ea, quae definienda decernit.» Ast magisterium illas notas habens quas delibavimus, et magisterium hujusmodi docentis Ecclesiae, in quo constitutum est ex ordinaria Ecclesiae oeconomia, et a quo exercetur? En quaestionis essentialis nodus: de hoc breviter disserere audemus.

Pontifices Romani a Petro usque ad Pium IX, quem Deus sospitet, duplicis naturae constitutiones ediderunt. Aliquas notis jam praedictis obsignatas promulgarunt, alias vero scripserunt, quae non erant praeditae illis caracteribus authentici et universalis atque obligatorii magisterii. Primae dicuntur definitiones, aliae vero epistolae particulares. In illis Ecclesia docens tradit, definit per auctoritatis suae culmen, et in suo capite decernit. In his homo privatus non in auctoritatis authentico exercitio, verum privatim suas edit sententias, et sua consilia, quae respuere quisque potest quin sit haereticus, quamvis inobediens, et aliquando temerarius evadat, quia fallibilia possunt esse, atque circumstantiis non adaptata. Hinc Honorii epistolas, quibus praecipue nituntur omnes adversariorum objectiones, criticus quisque examinans potest ne recognoscere in ipsis quoad doctrinae expositionem, et quoad formulas quae indicant Ecclesiam docentem in capite, supremam Sedem, quae ad totum orbem terrarum conversa omnes fideles excitet, edoceat, obliget ad sancitam doctrinam amplectendam, quam in deposito revelationis contineri declaret? Omnino non potest. Quare ergo tot conatus, tot pugnae, tot scripta circa quaestionem, quae extimatur flocci, quia quaestionis vocabulum non meretur? Quamvis profecto acta Synodi VI satis demonstratum sit esse interpolata, Concilium sextum tamen damnavit Honorium ut privatum, quia reapse non edocuit, sed consilium dedit, tacere jussit. Ast Pontifex Leo II in confirmatione Concilii reformavit sententiam Episcoporum, qui in hoc errarunt, ut in quocumque humano facto errare potest Concilium. In ejus constitutione sic legitur: « Et Honorium (damnamus) qui hanc apostolicam Ecclesiam, non apostolicae traditionis doctrina illustravit, sed profana proditione maculari permisit. » Et in damnatione haereticorum ait idem Pontifex: « Mulctati sunt cum Honorio, qui flammam haeretici dogmatis non ut docuit apostolicam auctoritatem incipientem extinxit, sed negligando confovit. » Et in secunda Epistola de Ecclesiae catholicae adunatione projecti sunt.... et una cum eis Honorius

Romanus, qui immaculatam apostolicae traditionis regulam, quam a praedecessoribus suis accepit, maculari consensit. Honorius ergo ad summum ut privatus potuerit esse damnandus, quia non docuit, sed tacuit. Christus Ecclesiae docenti adsistentiam Spiritus Sancti promisit non humana operanti. Frustra terrem profecto tempus in disserendo circa Honorii epistolam ejusque damnationem, quia ex hoc nihil eruitur relate ad infallibilitatis Pontificiae quaestionem, sed unum quaero: Si Pontifices in authentico magisterio usi sunt notis de quibus supra locuti sumus, quae Ecclesiae divinum magisterium indicant, ego interrogabo unum ex scriptoribus adversariis: Pontifices injuste operati sunt, vel proprio jure potiti? Si injuste, quare Episcopi non protestabantur? quare de injustitia non arguebant Pontifices Romanos? Nos de facto cum in historiis ecclesiasticis, tum in actibus authenticis Conciliorum nullam invenimus sententiam, qua reprobati sint Romani Pontifices, eo quod magisterium authenticum Ecclesiae sibi usurparunt; e contrario legimus in Patrum scriptis, in Conciliorum oecumenicorum actibus sedes omnes episcopales huic magisterio se humiliter subjecisse.

In Concilio VI cum esset Honorii jam mortui causa per Romani Pontificis auctoritatem producta, ut judicaretur, eo quod ob mortem Honorius amplius Pontifex non erat, Episcopi occasionem facilius arripere poterant definiendi, ex facto Honorii Romanam Sedem nullum habere jus decernendi de fide sine Concilii approbatione, vel consensu. Ast e contrario Honorium non formaliter haereticum damnantes, postquam simpliciter legissent epistolam ejus, quin hanc examinassent quae missa fuit ad Sergium simulatorem fidei orthodoxae, quae littera nullum praebet legentibus, liberis quocumque praejudicio, errorem, non objurgaverunt Leonem II, qui Concilii sententiam reformavit, non damnans Honorium uti haereticum, sed eum arguens negligentem; sed venerati sunt auctoritatem magisterii Leonis, ejusque definitioni adhaeserunt tam quae respiciebat factum Honorii, quam quae respiciebat fidem. Insuper quatuor Concilia quae ad anathematizandam haeresim monothelitarum coacta fuere in honore habentes Leonis sententiam, plectentes et mortuos maledictione haereticos, et anathemate viventes, non meminere Honorii, nec ejus epistolas examini subjecere, nec eum inter haereticos recensuerunt, quamvis Sergium ipsum et alios monothelitas anathematizarent. Quod etiam factum esse legimus in Africanis Synodis eadem causa celebratis. Haec Episcoporum acquiescentia dum Honorius a labe haereticae pravitatis defenditur, magis magisque demonstrat etiam in circumstantia, in qua videbatur pusillis Cathedra Romana in fide defecisse, ejus magisterium velut divinum retinendum esse, etsi appareat dubium aliquod in eo male intelligentibus hoc rectius esse interpretandum. Imo adhaesisse omnes sedes S. Agathonis sententiae, omnibus est manifestum. Sed hic Pontifex pri-

vilegium authentici magisterii infallibilis Romanae Sedi tribuebat. En ejus verba: « Qui (Petrus) spirituales oves Ecclesiae ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit; cujus (Petri) annitente praesidio haec apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexit: cujus (Petri) auctoritatem, utpote Apostolorum omnium principis semper omnis catholica Christi Ecclesia, et universales Synodi feliciter amplectentes, in cunctis secutae sunt. Sed ut ab exordio fidei christianae Romana Ecclesia percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris evangeliis fassus est: « Petre, Petre, *inquiens*, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. » Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui FIDEM PETRI NON DEFECTURAM PROMISIT, CONFIRMARE eos fratres suos admonuit, quod *Apostolicos Pontifices* MEAE EXIGUITATIS DECESSORES confidenter fecisse semper cunctis est cognitum. Unde et apostolicae memoriae meae parvitatis praedecessores, Domini doctrinis instructi, ex quo novitatem haereticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanae Ecclesiae praesules introducere conabantur, numquam neglexerunt eos hortari atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis haeretico errore, saltem tacendo, desisterent. » Hic S. Agatho, dum infallibilitatem Romanae cathedrae docentis declarat, Honorium ipsum qui tacere insinuavit in suis epistolis, quasi commonitorem recordatur. Episcopi nullam oppositionem facientes contra hanc S. Agathonis sententiam, quid in facto professi sunt? Auctoritatem magisterii Romani Pontificis infallibilis amplectendo, et Honorii memoriam rectius judicando laudare, et definitionem Pontificis Romani relate ad facta, ut veram retinere. Quod latius est illo quod exigitur in definitione quam a Vaticana Synodo veri fideles petierunt.

Sed quare huc usque dictum est de consensu tacito Episcoporum? Expresse infallibilitatem Romani Pontificis docuere omnia concilia ab ipso Apostolorum Jerosolymitano. Si ergo Concilia omnia hoc irreformabile Petri magisterium admiserunt non solum *in facto*, sed *in jure* etiam Petri successores in infallibili cathedra docuere. Quid per cathedram? Nisi in concretis et visibilibus abstracta et invisibilia inani illusione adhibere volumus, per cathedram Romanam persona Pontificis est intelligenda. Romana Cathedra docens non est congregatio cleri vel populi addiscentis, sed ipse Romanus Pontifex; ut sedes episcopales sunt Episcopi, quin in contradictionem labi desideramus. Non est Cathedra, abstracta omnium Pontificum aggregatio quasi moralis personalitas, quia omnium Pontificum existentiam, eorum etiam qui ad ultimum mundi diem victuri sunt praesentem supponere debere-

mus, mente laborantes. Supremus magister in Ecclesia, quae firmamentum et columna est veritatis, infallibilis esse debet. Magister in Ecclesia et doctor omnium ecclesiarum non aliud sonat, nisi magister veritatis: illa sedes quae habet magisterii privilegium, est veritatem docens; sed veritas debet esse immutabilis, et irreformabile esse debet magisterium, quod continuo, et idem in Ecclesia perseverabit. Hoc importat ut doctrina sit hujus magisterii irreformabilis, nec judicio cujuscumque subjecta, et magisterium consequenter infallibile. Magisterium dubium in ejus doctrina non est magisterium, sed dictans opiniones: non est Pontifex docens tunc, sed homo quidam sua consilia manifestans: magisterium quod in aliquo temporum momento, vel fallere vel falli potest, non est cathedra veritatis, ac proinde nec meretur reverentiam adhaesionis, nec subjectionem obedientiae.

Quid in jure dicendum? Illa verba Christi: « Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, » non fuerunt prolata aliis Apostolis. Praeminentia Petri est in hoc, scilicet quod habuit immediatam a Patre luminum divino revelationem et poterat jure dicere, sicut Christus de se loquens, ait: « Ego quae a Patre accepi, tradidi vobis. » Hinc relate ad modum revelationis Petrus non secus ac Christus in illa circumstantia manifestationis illius doctrinae, quae fundamentum fidei est, accepit a Deo Patre, et quia singulariter Petrus erat illico illustratus, et futurus erat lumine veritatis ditatus, ab eodem Christo nomine Petrae fuit distinctus, ut a Spiritu Sancto ipse Christus symbolo petrae fuit denotatus. Nec confessio Simonis erat Petra, sed ipse Simon; quia Christus antecedenter ei dixit: « Vocaberis Petra: » non dixit: Tua confessio erit petra, sed: Tu vocaberis. Nomina quae creaturis dat Creator, exprimunt earum vel naturam vel destinationem; Petrus erat a Deo electus ad confirmandum fratres in fide « confirma fratres tuos » et ad pascendum agnos et oves, scilicet Episcopos et fideles. Nec proferenda sunt alia testimonia Scripturarum; quia scriptores quidam, ea interpretati sunt propria auctoritate, et tamen autumarunt esse declaranda juxta Patrum et Conciliorum decreta. Quin potius testimonia Scripturarum tam a Conciliis, quam a Patribus sanctis prolata referemus, Conciliorum oecumenicorum prius, et postea sanctorum Patrum traditionem, et sic et Scripturis et traditione infallibilitas Romani Pontificis demonstratur exordiendo, ut in primis propositum est, ab illa veritate, in qua omnes oportet convenire dissidentes.

CAPUT XI.

DE TESTIMONIIS CONCILIORUM GENERALIUM CIRCA INFALLIBILITATEM ROMANI PONTIFICIS.

In Actibus apostolorum (cap. xv) legitur quod accidit in concilio Jerosolymitano. Petrus surgens, postquam magna conquisitio facta esset, ait: « Viri fratres, vos scitis, quoniam ab

antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum evangelii, et credere..... Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum....? Tacuit omnis multitudo. » In hac definitione Petrus suam infallibilem auctoritatem declarat per verba illa *per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere.* Os Petri est ergo Evangelium docentis, os infallibile veritatis, os Christi, cujus verbis oportet credere, quia infallibilis est; et omnis multitudo tacuit, quia credebat infallibilitati Petri.

De Nicaena Synodo a Silvestro Pontifice convocata non loquendum, ut effugiamus inutiles disceptationes quia quidam ajunt hujus Synodi nullam haberi authenticam et completam narrationem, quamvis in omnibus versionibus habetur praesidem Concilii fuisse legatum Romanae Sedis, et Concilium petiisse confirmationem a Romano Pontifice, ipsi tantum scribens non ad alium Episcopum Occidentalis regionis; hinc exordium a Sardicensi concilio faciendum. In hoc Concilio habetur venerationem fuisse tributam Sedi Romanae. In Epistola enim Synodali haec verba leguntur: « Hoc enim optimum et congruentissimum esse videbitur, si ad caput, idest, ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes... Petri memoriam honoremus, ut ab his, qui judicaverunt, *scribatur Julio Romanorum Episcopo*, et per propinquos provinciae Episcopos, si opus sit, judicium renovetur, et cognitores ipse praebeat. Si quis autem postulet suum negotium rursum audiri, et ad suam supplicationem Romanorum Episcopum judicare visum fuerit, ut a proprio latere presbyteros mittat, et sit in potestate ipsius quodcumque recte habere probaverit; et si decreverit oportere eos mitti, qui cum Episcopis sint judicaturi habentes auctoritatem ejus a quo missi sunt; et hoc ponendum est. » In illis temporibus causae erant spectantes potius ad fidem; nam erat illud tempus, quo Ecclesia a Satana cribrata videbatur, praecipue haereticis certaminibus, in quibus triumphavit, et opus divinum in victoriis Ecclesiae manifestum fuit. Erroris contra fidem causa Episcopus deponebatur, crimine haereseos anathematizabantur, cujus depositionis et anathematis sententia a judicio Episcoporum pronunciabatur. Hinc appellatio ad Sedem Romanam respiciebat causam fidei, ideoque ultimum judicium inappellabile existimabatur, quia infallibilis tenebatur judex qui sententiam supremam dictasset: « Si quis Episcopus fuerit depositus, decrevit eadem Sardicensis Synodus: Judicio Episcoporum, qui sunt in vicinia, et dicat rursus sibi defensionis negotium competere, non prius in cathedram alius substituatur, quam Romanus Pontifex, causa cognita, sententiam tulerit. » Si ergo Concilium existimabat esse penes Romanum Pontificem jus dicendi supremam sententiam in reum Episcopum accusatum errasse in fide, consequens est credidisse Romanum Pontificem infallibilitate gaudere etiam in factis dogmaticis, a fortiore

in fidei doctrina. In Synodo Ephesina S. Cyrillus Alexandrinus ait: « Deprehendentes... (Nestorium) illum impie sentire, et praedicare: *coacti* per sacros canones, *et epistolam Sanctissimi Patris nostri* et comministri Coelestini Romanae Ecclesiae Episcopi, lacrymis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra reum sententiam necessario veniemus. » Hinc Cyrillus una cum Ephesina Synodo existimabat epistolas Papae valere tanti, quanti oecumenicum ipsum Concilium adeoque Pontificem infallibilem esse. Et in eodem Concilio (act. 3, p. 623) Philippus presbyter et Episcopi Arcadius et Projectus legati pontificis ita locuti sunt: « Ut sequentes formulam Sanctissimi Papae Coelestini, qui hanc curam nobis commisit, scilicet relegere acta, et vestrae etiam Sanctitatis judicia confirmare possimus. »

Et postquam Philippus revidisset acta Synodi, ita locutus est: « Nulli dubium imo saeculis omnibus notum est quod Sanctus Beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique catholicae columna et fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo Salvatore generis humani ac Redemptore claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem successor, et locum tenens Sanctus Beatissimusque Papa noster Coelestinus Episcopus, nos ipsius praesentiam supplentes ad hanc sanctam Synodum misit. » Et legitur pag. 630: « Sancta Synodus dixit: cum Arcadius et Projectus Reverendissmi, Religiosissimique Episcopi et legati, et Philippus presbyter Apostolicae Sedis legatus consentanea sunt locuti, consequens est ut promissis satisfacientes, etiam subscribendo acta confirment, proinde actorum commentarii iis adhibeantur. »

Et notandum esse videtur, quod Patres hujus Concilii in epistola, quam Coelestino Papae scripserunt, certiorem faciunt Pontificem de omnibus iis rebus, quae actae fuere in eorum conventione; et in lectione decretorum Romanae Sedis antistitum contra Pelagianos, omnes permansisse in acceptatione definitionum, quae a Pontificibus fuere pronunciatae: « Perlectis in sancta Synodo commentariis actorum in depositione Pelagianorum et Coelestianorum, Coelestis, Pelagii, Juliani, Persidi, Flori, Marcellini, Orentii, et eadem cum illis sentientium, quae a tua pietate de ipsis, decreta et constituta sunt, judicavimus nos ea solidaque permanere debere. » Et quidem Coelestinus Papa suis legatis imposuit nullum acceptare certamen, et damnare omnes qui ipsorum sententiae restiterint. « Ad disceptationem si fuerit deventum, vos de eorum sententiis dijudicare debetis non subire certamen. »

In Synodo Chalcedonensi clarius auctoritas uti infallibilis, et decisiva Romani Pontificis recipitur. Leo Pontifex ita loquitur in Epistola ad Chalcedonense concilium: « Nunc in vicariis meis adsum, qui dudum in Fidei praedicatione non desum: ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possitis

dubitare quid cupiamus. Unde, fratres carissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam vana errantium infidelitas conquiescat. Non liceat defendi, quod non licet credi; cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, apostolicamque doctrinam plenissime et lucidissime per litteras, quas ad Beatae Memoriae Flavianum Episcopum misimus, *fuerit declaratum* quae sit de sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia et sincera confessio. » Hic Leo Papa docet Concilium quid credere, quid definire debeat, ut magister ejusdem Concilii. Ast hic licet observare ea, quae acta sunt in prima hujus sessione Concilii. Paschasinus unus ex legatis Romani Pontificis ita locutus est: « Beatissimi atque Apostolici viri Papae, Urbis Romae, *quae est caput omnium ecclesiarum,* praecepta habemus prae manibus, quibus praecipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc non observare necesse est, si ergo praecipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus... Gloriosissimi judices dixerunt... Causa quae objicitur, specialiter manifestetur, Lucentius... (alter legatus) dixit judicii sui necesse est dare rationem, quia cum personam judicandi non haberet, praesumpsit, et Synodum ausus est facere « sine auctoritate Sedis apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est. » In sessione secunda cum magistratus instarent, ut Episcopi tractarent de fide, quin a definitionibus Synodorum Nicaeae et Constantinopolis recederent, omnes Concilii patres responderunt nolle contra illas sententiam ullam prodere. « Cecropius Reverendissimus Episcopus Sebastenopolitanus dixit: Emerserunt quae ad Eutychen pertinebant, et super iis « forma data est a sanctissimo Archiepiscopo Romanae Urbis et sequimur eum, » et epistolae omnes subscripsimus. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Ista omnes dicimus, sufficiunt quae exposita sunt; *alteram expositionem non licet fieri.* » Concilium ergo Chalcedonense epistolae Leonis potius declarat adhaerere quam ipsi concilio Constantinopolitano, ubi Eutyches damnatus fuit sub Flaviano. Et in sessione IV: « Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt. Subscribant (tredecim Episcopi Aegyptiani) epistolae Leonis. Qui non ei subscribit, haereticus est. » Non dixere subscribant declarationibus Concilii, sed epistolae Leonis. Et post pauca legitur: « Reverendissimi Episcopi clamaverunt: ut Leo, sic credimus. Qui contradicunt, Eutychianistae sunt. Leo recte exposuit. Magnificentissimi judices dixerunt: Ergo addite judicio, secundum judicium Sanctissimi Patris nostri Leonis, duas esse naturas, unitas in Christo, inconvertibiliter, et inseparabiliter, et inconfuse. » Patres ejusdem Concilii adoptarunt epistolas Cyrilli ad Nestorium, sed iis adjunctam voluere epistolam Leonis ad Flavianum: « Quibus etiam et epistola, legitur, magnae et senioris Urbis Romae Praesulis Beatissimi et Sanctissimi Archiepiscopi Leonis, quae scripta est ad san-

ctae memoriae Archiepiscopum Flavianum ad perimendam Eutychetis malam intelligentiam, utpote, et magni illius Petri confessioni congruentem, et communem quamdam *columnam* existentem adversus perverse sentientes, ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter aptavit.» Adnotandum, quod Leo tantum ea decreta approbavit, quae fidem respiciebant, et reprobavit canones disciplinares contra Nicaenam Synodum promulgatos. « Fraterna unitas, sunt verba Pontificis, et omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed per approbationem gestorum Synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam, in sola fidei causa... propter quam generale Concilium, et ex praecepto christianorum principum, et ex consensu apostolicae Sedis, placuit congregari... quidquid a praedictorum Patrum canonibus discrepavit. » Nec dicatur Concilium examinasse epistolam Leonis, sed, ea lecta, omnes fere subscripserunt, dissidentes explicarunt rationem dubii, quod eveniebat ex eo, quod intelligentiam epistolae primo non habuere; ast postquam epistola Leoni fuit illis explicata, subito subscripserunt: « Factum est autem nobis (sunt eorum verba) certum de epistola missa ab ipsius beatitudine a sanctissimis episcopis Pascasino et Lucentio, qui locum tenent Sedis Apostolicae, qui nobis dilucidaverunt, quae linguae obscuritas subnotabat. »

Concilium Constantinopolitanum sub Menna, in sessione prima, loquens de spretu, quo habebat Anthimus epistolas Leonis, sic de hoc Pontifice dictum est: « Qui fuit illuminator et columna Ecclesiae, *quique firmavit fideles ut ambularent in recta semita.* » Hoc idem Concilium veneratur Agapitum Pontificem Romanum, qui cum peregre moratus fuerit Constantinopoli, deposuit Anthimum, et expulit eum a civitate, ubi scelestus remanserat promittens facturum quaecumque Summus Pontifex decerneret. « Apud ejus serenitatem fraudolentibus rationibus usus, promisit, se omnia facturum, quaecumque Summus Pontifex magnae Sedis Apostolicae decerneret. Et ad Sanctissimos Patriarchas scripsit se sequi per omnia Apostolicam Sedem. » Tanta erat circa Sanctam Romanam Sedem in Oriente veneratio! Menna Patriarcha confirmans quod Concilium decreverat, ait, hoc fecisse habito respectu ad Agapitum. « Respicientes, inquit, ad ea, quae placuerunt nuper sanctae memoriae Agapeti Papae antiquae Romae... Nos enim sicut vestra charitas novit, *Apostolicam* Sedem sequimur, eique obedimus, et ipsius communicatores, communicatores habemus, *et condemnatos ab ipsa et nos condemnamus.* » De Concilio quinto non loquimur, quia non propter causam fidei convocatum fuit.

Relate ad sextum Concilium hostes infallibilitatis Romanae Sedis adducunt damnationem in hac Synodo illatam Monothelitis implicare epistolam Honorii Pontificis Romani. Sed praeter quam Honorius non fuit revera haereticus, nec haeresim Monothelitarum secutus, ut demonstravit Sanctus Maximus martyr, contempora-

neus Synodo, et alii permulti et veteres et recentiores scriptores, et cleri gallici anno 1723 declaratio in eorum conventu habita, aliud notandum esse censeo. Epistola Honorii non erat decretalis, ideo nec authentica, per eum non definiebat Honorius, nec fidelibus praecipiebat illam sequi, sed privata epistola ad quemdam Episcopum Constantinopolitanum, in qua ex insidiis hujus Patriarchae suppresserat verba *unius*, vel duarum operationum in Christo. Ast hoc idem sextum Concilium infallibilitati cathedrae Romanae assentitur. Nam lecta Epistola Agathonis, in qua supremae Romanae Sedis auctoritas definiendi vindicatur, omnes assentiri demonstrarunt, et Agathonis sententiae subscripserunt. En Epistola: « Porrigere dignemini clementissimam dexteram, imperator, Apostolicae doctrinae, quam cooperator piorum laborum nostrorum B. Apostolus Petrus tradidit; non ut sub modio condatur, sed tuba clarius in toto orbe praedicetur: quia ejus vera confessio a Patre de coelis est revelata, pro qua a Domino omnium Beatus esse pronunciatus est Petrus, qui et spirituales oves Ecclesiae ab ipso Redemptore omnium, terna commendatione pascendas suscepit; cujus omnipotente praesidio haec Apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexit, cujus auctoritatem, utpote Apostolorum principis semper omnis catholica Ecclesia, et universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutae sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam et probatissima Ecclesiae Christi luminaria claruerunt, et sancti quidem doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt. Haeretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odiis insecuti.» Paucis subinde versibus omissis, referam alia ejusdem Pontificis verba: « Haec est enim verae fidei regula; quam et in prosperis et in adversis vivaciter tenuit ac defendit haec spiritualis mater vestri tranquillissimi imperii Apostolica Christi Ecclesia, quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis numquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei christianae percipit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus illibata a fide tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris evangeliis fecit: Petre, Petre, ecce Satanas expetivit vos, sicut qui cribrant triticum: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret ergo vestra clementia quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.» Ab Epistola Agathonis non solum infallibilitas Pontificis Romani ab ipso Petro vindicatur, sed etiam eruitur esse falso Honorium damnatione affectum; alioquin contradictoria et falso locutus esset; et Concilium ap-

probans ea quae dixerat, errasset. Sed attendendum oportet instructionibus quas Agatho dedit suis legatis. « Licentiam proinde eis, sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum imperium, dum jusserit ejus clementia simpliciter satisfaciendi, in quantum eis dumtaxat injunctum est, ut nihil profecto praesumant augere, minuere, vel mutare: sed traditionem hujus Aposolicae Sedis, ut a praedecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sincere enarrare. » Et post aliquos versus subjungit Pontifex Agatho: « Nos autem licet humillimi summis viribus enitimur, ut Christiani vestri Imperii Respublica, in qua B. Petri Apostolorum Principis sedes fundata est, cujus auctoritatem omnes Christianae nobiscum nationes venerantur, et colunt, per ipsius B. Petri reverentiam omnium gentium sublimior esse monstretur. Personas autem de nostrae humilitatis ordine providimus dirigere ad vestra Deo protegente fortitudinis vestigia, quae omnium nostrum idest omnium per septentrionales vel occiduas regiones suggestionem, in qua et Apostolicae nostrae fidei confessionem praelibavimus afferre debeant, non tamen tamquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre. » In octava sessione hujus sanctae Synodi quisque Episcopus in subscriptione adhibet illa verba, quae adhaesionem exprimunt definitioni ab Agathone prolatae. Inter alios Domitius sic sententiam suam protulit: « Domitius Episcopus Prusiados dixit: suggestiones directas a Patre nostro Agathone Sanctissimo Archiepiscopo Apostolicae et principalis Sedis Romanae ad coronatum a Deo nostrum dominum Imperatorem, tamquam ex Spiritu Sancto dictatas, per os Sancti ac Beatissimi Principis Apostolorum Petri et digito ter beatissimi Agathonis scriptas suscipio et amplector, et ita credo, ita sentio. » In fine Synodi Patres clamaverunt: « Summus autem nobis concertabat Apostolorum princeps: illius enim imitatorem sed Sedis successorem habuimus fautorem, et divini Sacramenti mysterium illustrantem per litteras. Confessionem tibi a Deo scriptam illa Romana antiqua civitas obtulit, et dogmatum diem ab occiduis partibus retulit, charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur. »

In septimo generali Concilio Adrianus Pontifex Romanus legem ipsi Synodo dedit his verbis: « In primis illud quod pseudosyllogum, quod sine Apostolica Sede enormiter et irrationabiliter nequiterque contra sanctorum venerabilium Patrum traditionem de sacris imaginibus actum est anathematizetur praesentibus missis nostris. » In eadem Epistola scribit: « Petri Sedes in toto orbe terrarum primatu fungens, caput omnium Dei Ecclesiarum constituta est. Et quemadmodum B. Petrus Apostolus per Domini praeceptum regens Ecclesiam, nihilominus subsequenter et tenuit semper et retinet principatum.» Quod praeceptum universalis Ecclesiae nullam magis oportet exequi, quam primam sedem, quae unamquamque Synodum et sua auctoritate

confirmat et continua moderatione custodit. Et scribens ad Tarasium Patriarcham, jubet hunc « recognoscere primatum Romanae Sedis, et fidem quae ab hac Apostolica Sede traditur, et petere ab imperatore ut imagines restituat. Cui si adhaerere vestra sanctitas cupit, et nostrae Apostolicae Sedis, quae est caput omnium Ecclesiarum Dei, sacram et orthodoxam formam incorrupte atque incontaminate ex profundo cordis et sinceritate mentis custodire studet, utpote quae revera orthodoxa, et Dei cultrix est. Si autem (imperatores) sacras et universales imagines illis in partibus non restituerint, consecrationem vestram recipere non audemus. » Lectis his epistolis Romani Pontificis legati in Concilio Tarasium interrogaverunt an adhaereret his litteris? Respondit, divum Paulum scripsisse fidem Romanae Ecclesiae laudatam esse ab universo mundo, hinc hoc testimonium sequi necessarium esse, et inconsulte agere illum, qui huic conatur resistere. Omnes Patres Concilii, interrogantibus similiter legatis, responderunt: « Sancta Synodus dixit: sequimur et suscipimus et admittimus. »

In octava Synodo Patres subscripsere huic formulae: « Quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: haec quae dicta sunt rerum probantur eventibus: quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata Religio, et sancta celebrata doctrina. Ab ejus ergo fide atque doctrina separari minime cupientes, et Patrum et praecipue sanctorum Sedis Apostolicae praesulum, sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses simul cum Iconomachis. » Et post aliquos versus legitur: «Quoniam sicut praediximus sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et observantes ejus omnia constituta, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra, et vera Christianae Religionis soliditas; promittentes etiam sequestratos a communione Ecclesiae Catholicae, idest non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Hanc autem professionem meam manu mea scripsi, et tibi Sanctissimo ac ter Beato, ac evangelico nostro Summo Pontifici et universali Papae Adriano per legatos tuos obtuli. » In secunda sessione relata fuit definitio facta a legatis Patriarcharum Antiochiae et Jerusalem priusquam, pervenissent legati Romani Pontificis; in hac relatione legebatur quod habentes in manibus scriptas definitiones Concilii Romani sub Nicolao Pontifice et litteras Adriani non existimabant differre sententiam, et potius dare pacem Ecclesiis orientalibus. « Est igitur a nobis editum (dixere) et sancitum de negotiis, quae nunc mota sunt, ut omnimodis obsequantur et obediant definitionibus et decretis Beatissimi Papae Nicolai omnes homines. » Episcopi annuere. « Sancta Synodus exclamavit: Placet omnibus. »

In tertia sessione lecta fuit et approbata epistola Ignatii ad Pontificem

Romanum in qua habentur quae sequuntur: Eorum vero, quae in membris sunt Christi, et Dei Salvatoris omnium nostrum capitis sponsae catholicae et apostolicae Ecclesiae unum et singulare in praecellentem et catholicissimum medicum, ipse princeps summus et fortissimus sermo, et ordinator, et curator, et solus ex toto magister Deus omnium produxit videlicet tuam fraternam sanctitatem et paternam almitatem: propter quae dixit Petro, magno et summo Apostolorum: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. » Tales enim beatas voces, non secundum quamdam utique sortem Apostolorum Principi circumscripsit et definivit; sed per eum ad omnes, qui post illum secundum ipsum efficiendi erant summi pastores et divinissimi sacrique Pontifices senioris Romae, transmisit.

CAPUT XII.

A TRADITIONE INFALLIBILITAS ROMANI PONTIFICIS CONFIRMATUR.

Patres Ecclesiae tam Graeci quam Latini infallibilitatem Romani Pontificis recognoverunt. Irenaeus contra Valentinianos ajebat: « Quoniam longum est... omnium Ecclesiarum numerare successores maximae et antiquissimae et omnibus cognitae a duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem per successionem Episcoporum pervenientem usque ad nos indicentes confundimus omnes aeque quoque modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel caecitatem, et malam sententiam: praeter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem (et melius juxta editiones recentiores *potiorem*) principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab iis, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio. » Tria ex his verbis eruuntur: 1. Catholici arguebant, et confundebant haereticos traditione Ecclesiae Romanae; 2. Haec Ecclesia continet veram genuinam traditionem Apostolicam; 3. Omnes fideles tenentur fidem Romanam amplecti. Si Pontifices qui successores sunt Petri potuissent errare, Ecclesia Romana non esset titulus confutationis haereticorum, nec potuissent fideles in hac traditione Romanae Ecclesiae quiescere; nec tenerentur huic Sedi traditionis scilicet revelationis depositum retinenti obedire. Animadvertendum quoque est quod Irenaeus distinguit traditionem et fidem. Illa (inquit) est in Ecclesia Romana ab Apostolis, haec est per Episcoporum successionem. Successio Episcoporum Romanorum est successio Pontificum a Beato Petro; fides ergo, ut ita dicam, typica est in Pontificibus; sed necesse est, inquit Irenaeus, omnem Ecclesiam convenire et concordare in rebus fidei cum Romana Ecclesia. Ergo fides Romanorum Pontificum docens est, et exemplaris et typica, quod idem est ac dicere Cathedram fidei Romanam infallibilem magistram esse omnium Ecclesiarum.

Origenes in Homil. 56 in Matth. vocat Petrum os Christi, sed os Christi infallibile est; os Petri infallibile similiter. Sed Petrus vivit in suo successore; horum ergo os infallibile nemo negabit. S. Ignatius martyr, in quae epistolae subscriptione ad Romanos, vocat Romanam Sedem fontem apostolicam. Est ergo cathedra Romana fons doctrinae fidei; quomodo vere dici potuisset talis fons si esset fallibilis?

Gregorius Nazianzenus vocat Petrum Ecclesiae columnam, et in oratione vigesima sexta: « Vides, ait, quemadmodum ex Christi discipulis magnis utique omnibus, et excelsis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam accipiat. » Sed forsan de sola Petri fide loquitur tamquam sit privilegium solius Petri? Absit. « Fides, ait, vetustae Romae recta erat, jam antiquitus, et certa perstat nunc, item nexu pio quodcumque labens sol devinciens, ut universi praesidem mundi decet, totam colit, qui numinis concordiam. »

S. Joannes Chrysostomus ubique immobilitatem fidei datam Petro praedicavit. In Homil. 95 in Matth. scribit: « Quid igitur Petrus omnium Apostolorum os, vertex consortii totius?... Quid igitur Christus? Tu es Simon filius Jonae, tu vocaberis Cephas. Nam quia Patrem meum praedicasti, Ego etiam illum nomino, qui te genuit. Quasi diceret: Quemadmodum tu Jonae filius es, sic ego Patris mei filius sum..... Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... SIC APERTE PRAEDIXIT, magnam eorum, qui credituri erant et SUNT, multitudinem fore, et SUBLIMIORA SAPERE IN IPSUM fecit et Ecclesiae pastorem constituit. » Ergo juxta verba S. Joannis cum dignitatis primatu sublimior sapientia transfusa est in successores divi Petri. Idem S. Pater loquens de Christo scribit, « Animadvertis quo pacto etiam ipse ad altiorem de se opinionem Petrum adducit, et his duabus pollicitationibus Filium Dei revelat et ostendit. Nam Deus concedere solus potest peccatorum remissionem, et ut Ecclesia tot, tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus Pastor et Caput piscator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet. » Idem Sanctus comparans Petrum cum Jeremia animadvertere facit Jeremiam habuisse auctoritatem super unum populum, Petrum vero obtinuisse auctoritatem super omnes populos. En sua verba: « Ipsum quidem genti uni Pater, hunc autem universo terrarum orbi Christus praeposuit... Pater ei quidem revelationem filii sui dedit; filius autem partim, ut tam Patris, quam filii sui revelationem ubique terrarum posset seminare, partim, et quamvis homo esset mortalis, coelesti tamen potestate polleret, et claves haberet regni coelorum. Ita Petrus Ecclesiam per universum orbem amplificatam, coelo etiam ipso validiorem monstravit: Transibunt enim, inquit, coelum et terra, verba autem mea non transibunt. » Hinc clare eruitur quod in totis saeculorum evolutionibus illa verba Christi « tu es

Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, » et illa alia: « Confirma fratres tuos » non sunt transitura.

Cyrillus Alexandrinus in dialogo de Trin. 1, 4, scribit: « Scienter (Petrus) clamabat dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi. Cum vero ab illo sententiae remunerationem non multo post reportavit, Christo dicente: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Per an notationem aliud nihil, quam *inconcussam* et *firmissimam* discipuli fidem vocavit, *in qua Ecclesia Christi ita fundata et firmata esset*, ut non laberetur et esset inexpugnabilis inferorum portis in *perpetuum manens.*» Perpetuitas Ecclesiae, ex divi Cyrilli verbis, conjungitur cum perpetuitate et confessione fidei Petri; sed perpetuitas Petri habetur per successionem Pontificum Romanorum. Ergo per eosdem confessio fidei erit perpetua; et haec non potuisset conjungi cum perpetuitate Ecclesiae ut fundamentum ipsius, si aliquando fallibilis esset. Ergo confessio fidei, quod idem est ac doctrina et cathedra fidei Romanae, infallibilis est et perpetuo irrefragabilis; talis esse non posset, si ille qui confessionem debet pronuntiare doctrinam fidei, non esset infallibilis.

Theodoretus in suis commetariis de verbis Christi ad Petrum (Epist. 116 ad Renat.) scribit haec quae sequuntur: « Oro sanctitatem tuam » (erat Presbyter Ecclesiae Romanae) « Sanctissimo Archiepiscopo persuadeat, ut Apostolica auctoritate utatur, et ad Concilium vestrum advolare praecipiat. Habet enim illa Sedes Ecclesiarum, quae in toto sunt orbe, principatum multis nominibus: usque hoc ante omnia, quod ab haeretica tabe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit: sed apostolicam gratiam integram servavit. »

Flavianus Episcopus Constantinopolitanus scribens ad Leonem Pontificem Romanum, haec sequentia verba adoptavit: « Libellos vobis direxit (Eutyches) plenos fallacia, atque calliditate, dicens judicii tempore, libellos se dedisse appellationis, et nobis et hic convenienti Sancto Concilio, et appellasse vestram Sanctitatem. Quod nequaquam ab eo factum est, sed etiam in hac parte mentitus est; tamquam per fallaciam mendacii subrepere se sanctis auribus vestris putans. » Agebatur de fide et Cyrillus tenebat Concilium suspendere debere suas definitiones, quando appellabatur ad Romanum Pontificem, qui poterat et habebat jus definiendi ex se quaestionem. Quod fuisset absurdum, si non crederet Flavianus infallibilem Pontificem Romanum esse. Sequitur Flavianus: « Propriam faciens causam et ecclesiasticam disciplinam, simul decernere damnationem, adversus eum regulariter factam, et per propria scripta dignare. Confortata autem et piissimi imperatoris fides. *Causa enim eget solo vestro solatio et defensione*, qua debeatis *consensu*

proprio ad tranquillitatem et pacem perducere. Sic enim haeresis, quae surrexit, et turbae, quae per eum factae sunt facillime destruentur Deo cooperante per vestras sanctissimas litteras. Renovabitur autem et Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ibi sanctissimae turbentur Ecclesiae. » Narrat Sozomenus in sua Historia (Lib. 6, c. 22) quod in Oriente cum magna fieret contentio circa divinitatem Spiritus Sancti, Romanus Pontifex scripsit Episcopis orientalibus ut una cum Episcopis occidentis confiterentur tres esse personas Sanctissimae Trinitatis unam tamen divinitatis substantiam et aequales esse in dignitate. Scribit Sozomenus quaestionem illico cessasse, et propter Romani Pontificis sententiam omnes tacuisse. En verba scriptoris: « Episcopus Romanus de ea contentione certior factus, scripsit ad Ecclesias orientis litteras, ut una cum Sacerdotibus occidentis Trinitatem et consubstantialem esse, et gloria aequalem existimarent. Quo facto singulis rebus ab Ecclesia Romana semel judicatis acquieverunt, et controversia finem habere visa est. »

Sanctus Basilius Magnus (Epist. 51) ad Sanctum Athanasium demonstrat quanta sit Episcopi Romani auctoritas in definiendis fidei quaestionibus: « Visum est, scribit, mihi consentaneum, ut scribatur *Episcopo Romano*, ut quae hic geruntur, consideret, et sententiam suam expromat. Et quoniam difficile est, ut communi ac Synodico decreto aliquid illinc mittantur, ipse *sua auctoritate* in ista causa usus viros eligat... omniaque secum habentes, quae in Ariminio facta sunt, ad ea rescindenda, quae illic per vim et violentiam gesta sunt..... Quaeritur autem, et hoc a nonnullis illic, ut et nobis ipsis videtur, necessario ut Marcelli haeresim illi, cum venerint, tamquam malam, ac noxiam, et a sancta fide alienam exterminent. » Sanctus Gregorius Nazianzenus his sequentibus versibus constantiam in fide habitam a Romana Ecclesia tribuit dignitati capitis:

Fides vetustae Romae erat jam antiquitus,
Et certa perstat nunc item nexu pio
Quodcumque labens sol videt, devinciens:
Ut universi Praesidem mundi decet,
Totam colit, quae numinis concordiam,
Nova vero quondam (de mea jam non mea,
Nunc sermo nobis) *Recti-Pes Erat in fide*
At non item post mersa sub letho gravi.

Cyprianus licet aliqua scripsisset quae Romani Pontificis auctoritatem in rebus disciplinaribus laedat, ipse tamen clarissime confessus est auctoritatem Romani Pontificis in rebus fidei primam esse ac infallibilem. Illa quae scripsit in disputationis fervore, quaeque a Patribus reprobata fuere, suo martyrio retractavit. De infallibilitate enim Pontificis sic scripsit in libro unitatis Ecclesiae: « Loquitur Dominus ad Petrum: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves. Et quamvis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: Sicut me misit Pater, et ego mitto vos... tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit et unitatis ejusdem originem ab uno

incipientem sua auctoritate disposuit... Exordium ab unitate proficiscitur, ut *una Christi Ecclesia* et CATHEDRA UNA monstretur... Qui Ecclesiae renititur, et resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia esse confidit?... Deus unus est, et Christus unus, et Ecclesia una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, praeter unum altare, et unum sacerdotium, non potest. »

Loquens idem Sanctus de Felicissimo diacono, et de suis sectariis, qui schisma promoverunt, et curabant ad Romanam Ecclesiam accedere, scribit (Ep. 45): « Navigare audent, et ad Petri cathedram, atque ad Eeclesiam principalem, unde dignitas sacerdotalis exhorta est, a schismaticis, et prophanis literas ferre: nec cogitare eos esse Romanos quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. » Cathedra Romana juxta divum Cyprianum cathedra Petri est; sed cathedra Petri infallibilis; ergo et cathedra Romana. Sanctus hic tam certus erat, omnes recognoscere sententiam Pontificis Romani infallibilem, ut scribens Stephano Pontifici, et apud hunc Papam accusans Marcianum Episcopum Arelatensem incidisse in errorem Novatiani, ac proinde rogans Pontificem hunc Episcopum deponere atque anathematizare, sic loquitur: « Dirigantur in Provinciam, et ad plebem Arelatae consistentem a te literae, quibus, depulso Marciano, alius in locum ejus substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur. »

Optatus Milevitanus sic affatur de cathedra Romana (Codex Parmensis, lib. 2): « Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput, Petrus, unde et Cephas appellatus est; in qua cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne singuli Apostoli singulas sibi quippe defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra unica, quae prima est de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus etc. Liberio Damasus, hodie, qui noster est socius, cumque nobis totus orbis commercio in una communionis societate concordat. »

Divus Ambrosius scribens imperatoribus Gratiano, Valentiniano, Theodosio contra Ursicinum vel Ursinium (Epist. CII): « Totius, inquit, orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sanctam Apostolorum fidem, ne turbari sineret, observanda fuit Clementia Vestra. Inde enim in omnes venerandae communionis jura dimanant. » Et in libris de fide (lib. 4, c. 5) imperatori Gratiano scribit: « Ut scias, quia secundum hominem rogat, divinitate imperat, habes in Evangelio, quia Petro dixit: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Eidem autem supra dicenti: Tu es Christus Filius Dei vivi, respondit: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni coelorum. Ergo quia propria auctoritate Regnum

dabat, hujus fidem firmare non poterat, quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit? » Et in suis commentariis super Lucam declarans illud, quod evangelista narrat de Christo docente in navicula Petri, figura Ecclesiae a S. Petro gubernandae, docet, soli Petro esse jus definiendi in rebus fidei. En verba doctoris: « Ergo quia S. Matthaeus illa praelibaverat, S. Lucas eam sibi navem, in qua Petrus piscaretur, elegit. Non turbatur ista quae Petrum habet, turbatur illa quae Judam habet. Et si multa illi discipulorum merita navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis... Ergo non turbatur haec navis, in qua prudentia navigat, abest perfidia, fides adspirat. Quemadmodum enim turbari poterat, cui praeerat is, in quo Ecclesiae firmamentum est? Illic ergo turbatio, ubi modica fides; illic securitas, ubi perfecta dilectio. Denique et si aliis imperatur, ut laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur: Duc in altum, hoc est in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum videre, scire Dei filium, et professionem divinae generationis assumere?... In hoc altum disputationis Ecclesia a Petro ducitur... Quae sunt autem Apostolorum, quae jubentur laxari retia, nisi verborum complexiones, et quasi quidam orationis sinus, et disputationum recessus, qui hos, quos ceperint, non amittant? »

Denique scribens in Psalmum 40, haec habet: « Ipse est Petrus, cui dixit: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. *Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia;* ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna. Et ideo addidit: et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves Regni coelorum. Beatus Petrus, cui non inferorum porta praevaluit, non coeli porta se claudit: sed e contrario destruxit inferni vestibula, patere fecit coelestia. In terris itaque positus coelum aperuit, inferos clausit. »

Scripsit ad Theophilum Alexandrinum haec verba: « Sane referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanae sacerdotem Ecclesiae; quoniam praesumimus ea te judicaturum, quae etiam illi displicere nequeant. Ita enim erat consultum sententiae: ita pacis, et quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostrae dissensionem non afferat; ut nos quoque accepta vestrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubie probaverit, laeti fructum hujusmodi ex animis adipiscamur. »

Divus Hieronymus qui opiniones Ecclesiae tam orientalis, quam occidentalis cognoverat, Damaso Pontifici haec scripsit: « Quoniam vetusto oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam desuper textam minutatim per frustra discerpit et Christi vineam exterminant vulpes...; ideo mihi cathedram Petri, et fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meae animae postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. Ne-

que vero tanta vastitas elementi liquentis, et interjacens longitudo terrarum me a pretiosae margaritae potuit inquisitione prohibere. Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilae. Apud vos solos incorrupta servatur Patrum haereditas... vos estis lux mundi, vos sal terrae... « Ego nullum primum nisi Christum sequens Beatitudini tuae idest Cathedrae Petri communione consocior» super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est. Si quis in Noë arca non fuerit, peribit regnante diluvio..... *Decernite*, si placet, et non timeo, tres hypostases dicere. »

Idem Sanctus scribit contra Jovinianum, Christum constituisse Petrum Ecclesiae fundamentum: « Ut capite constituto schismatis tollatur occasio. » Et ad Theophilum Alexandrinum scribens haec habet: « Scito nihil nobis antiquius, quam Christi jura servare, semperque meminisse Romanam fidem apostolico ore laudatam, cujus se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur. » Et Pammachio scribit: « Quisquis es assertor novorum dogmatum, quaeso te, ut parcas Romanis auribus, et parcas fidei, quae Apostoli voce laudata est. Cur profers in medium, quod Petrus et Paulus edere noluerunt? »

Divus Augustinus in sermone 2 (De verb. Apost.) inquit, loquens de Pelagianis: « Redarguite contradicentes, et resistentes ad nos perducite. Jam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad *Sedem Apostolicam*. Inde etiam rescripta venerunt, *causa finita est;* utinam aliquando error finiatur. »

In epistola 157: « Haeresis novae auctores, vel certe acerrimi, notissimique suasores cum Pelagius et Coelestius extitissent, conciliorum Episcopalium vigilantia, in adjutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam a duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicae Sedis Papa Innocentio et Papa Zosimo, nisi correcti etiam egerint poenitentiam, toto orbe christiano damnati sunt. » Ex verbis Augustini sententia Pontificum Romanorum, sententia est Ecclesiae, ideoque infallibilis. In libro I contra Julianum capite secundo scribit: «Puto eam partem orbis tibi sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiae praesidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille Sanctus africanis respondere Conciliis, quam quod antiquitus *Apostolica* Sedes, et Romana cum caeteris, tenet perseveranter Ecclesia? » Et in libro II contra Julianum ait: « Quid adhuc quaeris examen, quod apud Apostolicam Sedem jam factum est? Quod denique jam factum est in Episcopali judicio Palaestino. Ergo haeresis ab Episcopis jam non est examinanda, sed coërcenda est potestatibus christianis. »

In Epistola II de Caeciliano loquens, dicit voluisse eum non curare inimicos, cum se videat in communione Romanae Ecclesiae. En sua verba: « Poterat non curare conspirantem

multitudinem inimicorum, cum se videret, et Romanae Ecclesiae, in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus, et caeteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum. »

Sanctus Prosper S. Augustini discipulus ita canit de infallibilitate Sedis Romanae:

" Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quae principalis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Relligione tenet. "

Et post paucos versus subjungit:

" In causam fidei flagrantius Africa nostra
Exequeris, tecumque suum, jungente vigorem
Juris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, et lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima coetu,
Decernis quod Roma probet, quod Regna sequantur. "

Idem Sanctus contra Cassianum scribit: « Non ergo cum istis (Pelagianis) nova acie dimicandum est, nec quasi contra novos hostes specialia sunt ineunda certamina. Tunc istorum machinae fractae sunt, tunc in superbiae suae sociis, ac principibus corruerunt, *quando B. Memoriae Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit;* quando Pelagium ad proferendam in se sententiam Palaestinorum Synodus coarctavit; quando Africanorum Conciliorum decretis Beatae Recordationis Papa Zosimus sententiae suae robur adnexuit et ad impiorum detruncationem *gladio Petri dexteras omnium armavit antistitum;* quando sanctae memoriae Papa Bonifacius piissimorum imperatorum catholica devotione gaudebat; et contra inimicos gratiae Dei non solum apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis... unde et venerabilis memoriae Pontifex Coelestinus... Sciens damnatis non examen judicii, sed solum poenitententiae remedium esse praestandum: Coelestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem totius Italiae finibus jussit extrudi; adeo et praedecessorum suorum statuta et decreta synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. »

Et Cassianus in Tractatu de Incarnatione (Lib. 3, c. 12): « Interrogemus, ait, summum illum et inter *magistros magistrum* qui *Romanae* Ecclesiae gubernaculum regens, sicut Fidei habuit, ita et Sacerdotii principatum. »

Petrus Chrysologus in epistola ad Eutychen sic ait: « In omnibus hortamur te, ut his quae a Beato Papa Romanae Urbis scripta sunt, obedienter attendas. Quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, et praesidet, praestat quaerentibus veritatem. Nos enim pro studio pacis, et fidei extra consensum Romanae Civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus. » Si Pontifex in causis fidei definiendis non esset infallibilis, quomodo ita posset judicare ut suo judicio omnes debeant subjici?

A nono saeculo eadem testimonia recepimus, quae traditionem confirmant circa infallibilitatem Romani Pontificis ex cathedra de fide et moribus definientis. Auctor annalium Metarum ita scribit: Tiedgandus, et Guntarius Romam proficiscuntur, ut coepiscopos suos ostenderent Eccle-

siastica, atque Apostolica exercuisse decreta. Stultitiae nomine denotandi qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt; *quae nec fefellit, nec ab aliqua unquam haeresi falli potuit.*

In Opuscolis Petri Damiani (tom. 3, opusc. 5, pag. 32) legitur: « Quo pacto (haec cathedra) honore indiget parvuli hominis, quae laudes, atque praeconia ex ipsius ore hausit Salvatoris? Quae autem provincia per omnia regna orbis terrarum, ab ejus ditione extranea reperitur, cujus arbitrio ipsum quoque coelum ligatur et solvitur? omnes autem sive cujuslibet Patriarchatus apicem, sive Metropoleon primatum, aut Episcopatum cathedras vel Ecclesiarum cujuscumque ordinis dignitatem, sive rex, sive imperator, sive cujuslibet conditionis, homo purus instituit, et prout voluntas, aut facultas erat, specialium sibi praerogativarum jura praefixit: Romanam autem Ecclesiam solus ille fundavit, et super petram fidei mox nascentis erexit, qui Beato Petro vitae aeternae Clavigero, terreni, et coelestis imperii jura commisit... fidem quippe violat qui adversus illam (Romanam Ecclesiam) agit, quae *mater est fidei.* » Ecclesia Romana a quo constituitur nisi a Romano Pontifice, sicut Ecclesiae particulares a suis Episcopis? Ecclesiae docentis membra sunt sedes, scilicet, non materiales, sed ratione compotes, idest Episcopi. Ecclesia igitur Romana docens est ille doctor, qui eam repraesentat, scilicet Romanus Pontifex. Hinc idem S. Petrus Damianus ait (opusc. 38, pag. 286): « Non decebat tantae dignitatis, et sapientiae virum, ab alio mysterii coelestis arcana requirere, nisi ab illo potissimum, quem non caro potuit vel sanguis instruere, sed cui Deus ipse per se sua decreta dignatus est aperire. Beatus es, inquit, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Hunc enim prae caeteris mortalibus de toto terrarum orbe Conditor orbis elegit, cui cathedram magisterii principaliter in Ecclesia tenere perpetuo privilegii jure concessit, ut quisquis divinum aliquid, ac profundum noscere desiderat, ad hujus praeceptoris oraculum doctrinamque recurrat. »

S. Anselmus Lucensis contra Kibertum Antipapam haec scribit: « Firmamentum enim fidei Christianae in eorum Sedibus per Beatum Petrum sessorem earumdem ita Deus locavit, ut si unus ex tribus principalibus Patriarchis ceciderit, duo stent: quod si duo ceciderint, cum pro fide Petri ne deficiat a Christo oratum sit, unius scilicet Romani Patriarchae fides, qua fratres suos confirmet, nunquam deficiat. Quod utique Christus Deus noster jam nobis ostendere dignatus est in universalibus Synodis jam octies universaliter celebratis. Nam uno vel duobus a fide corruentibus Romanus in ejusdem fidei fundamento licet pulsatus, licet concussus, tamen stetit immobilis; coelum enim et terra transibunt, verba autem ejus non transibunt. Qui dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam (1). »

(1) Biblioth. Pat. Tom. 18, p. 609.

Anselmus Cantuariensis Episcopus: «Quoniam divina providentia vestram et legit sanctitatem, cui vitam et fidem christianam custodiendam et Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum rectius alium refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Ecclesia ut ejus auctoritate corrigatur, nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur (1). »

S. Bernardus: « Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, et praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non potest fides sentire defectum. Haec quippe praerogativa Sedis: cui enim alteri aliquando dictum est: Ego rogavi pro te Patrem ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur a successore Petri exigitur: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Id quidem modo necessarium. Tempus est ut vestrum agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis et sedem; si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores... Cum non aliud esset quod agerem pro injuria fidei, quam dolebam: operae mihi pretium arbitror, si illum monui cujus arma potentia Deo ad destructionem in contrarium asserentium, ad destruendam omnem celsitudinem se extollentem adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigendum omnem intellectum in obsequium Christi (2). » Has Patrum doctrinas amplectens divus Thomas scribit: « Ad illius (Romani Pontificis) auctoritatem pertinet editio novi symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur... Unde et Dominus Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit: Ergo pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae. Quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiae praeest: et sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur(3).» Quapropter Pontifex in definiendo ea, quae ad fidem pertinent, non indiget approbatione Episcoporum. Ipse enim Petrus a Christo Domino constitutos est Pastor non solum ovium, sed et Pastorum: discipuli, ut ait Christus, non sunt supra Magistrum: oves non debent nec possunt regere pastorem. Absurdum est inferiorem, et egentem directione, regere superiorem, et dirigere dirigentem.

(1) 1 de Incarn. Verbi, c. I.

(2) Ep. XC.

(3) Cap. 28, q. 1, art. 10.

DEFINITIONES DOGMATICAE

LIBER PRIMUS

De Deo Creatore ejusque Revelatione.

CAPUT I.

DE DEO RERUM OMNIUM CREATORE.

§ 1. Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus (1).

§ 2. Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam (2).

§ 3. Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur, atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt (3).

CAPUT II.

DE REVELATIONE.

§ 4. Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: attamen placuisse ejus sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis

(1) Conc. Vatic. Const. I, cap. I.

(2) Ibid. et Conc. Later. IV, cap. I Firmiter.

(3) Conc. Vatic. Const. I, cap. I.

suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: « Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in filio (1).

§ 5. Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum (2).

§ 6. Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, a Sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt. Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata editione latina habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt (3).

§ 7. Sunt vero sacri et canonici libri: Testamenti veteris, quinque Moysis, idest Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth; quatuor Regum; duo Paralipomenon; Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; duodecim prophetae minores, idest Osea, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus et secundus. Testamenti novi quatuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Joannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri Apostoli duae; Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; Judae Apostoli una; et Apocalypsis Joannis Apostoli (4).

§ 8. Quoniam vero quae Sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coërcenda petulantia ingenia salubriter decrevit a

(1) Conc. Vatic. cap. II. (2) Ibid. (3) Ibid. (4) Conc. Trid. Sess. IV, Decr. de can. Script.

quibusdam hominibus prave exponuntur. Nos idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari (1).

I.

CANONES

§ 9. De Deo rerum omnium Creatore.

I. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.

II. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

III. Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales a divina substantia emanasse;

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod se se determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.

V. Si quis non confitetur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;

aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

II.

CANONES

De Revelatione.

I. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.

II. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.

III. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

IV. Si quis Sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos Sancta Tridentina Synodus recensuit pro sacris et canonicis non susceperit; aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

(1) Conc. Trid. Sess. IV, Decr. de can. Script.

—

CAPUT III.

DE FIDE.

Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia Catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.

Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque in primis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima, et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt, et de Apostolis legimus: « Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis. » Et rursum scriptum est: « Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco. »

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati. Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito, continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire: ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci.

Ad solam enim Catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibili-

tatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

CAPUT IV.

DE FIDE ET RATIONE.

Hoc quoque perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus: objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Jesum Christum facta est pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit: — nobis autem revelavit Deus per Spiritum Sanctum: Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis.

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea

perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta, et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem.

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus. Porro Ecclesiae, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit, fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam. Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino. Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet, ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo scientiarum domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo: sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulo-

rum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.

I.

CANONES

De Fide.

I. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

II. Si quis dixerit fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

III. Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

IV. Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certe cognosci numquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.

V. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

VI. Si quis dixerit parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.

II.

CANONES

De Fide et Ratione.

I. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

II. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

III. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit, et intelligit Ecclesia; anathema sit.

LIBER SECUNDUS

De Romano Pontifice.

« Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter priusquam clarificaretur rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi se mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre; ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium, ac visibile fundamentum super cujus fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret...

« Docemus, itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia Primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui jam pridem dixerat: « Tu vocaberis Cephas, » postquam ille suam edidit confessionem, inquiens: « Tu es Christus, filius Dei vivi, » solemnibus his verbis allocutus est Dominus: « Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis. »

« Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi Pastoris et Rectoris jurisdictionem in totum suum ovile dicens: « Pasce agnos meos: Pasce oves meas.» Huic tam manifestae SS. Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris Apostolis,

sive seorsum singulis, sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eumdem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatam fuisse.

«Quod autem in beato Petro Apostolo Princeps pastorum et Pastor Magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae Catholicae fundamentum a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis ac Redemptore claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus Episcopis Sanctae Romanae Sedis ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine vivit et praesidet et judicium exercet. Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis et beatus Petrus in accepta fortitudine Petrae, perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis jura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent.

Credendum ab omnibus Christi fidelibus est, Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem infallibilem existere: et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur (1).

«Docemus proinde et declaramus Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse; erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent: ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno

(1) Pius IX Constit. *Pastor Aeternus* in Conc. Vaticano Sacro approbante Concilio.

summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest (1).

«Tantum autem abest, ut haec summi Pontificis potestas afficiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, roboretur ac vindicetur, secundum illud Gregorii Magni: Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur (2).

« Porro ex Suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnata et reprobata est sententia illorum, qui supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestate obnoxiam ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere scis potestatis saecularis placito confirmentur (3).

« Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex Universae Ecclesiae praeest, definitum est etiam et declaratum, eum esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri. Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite oberant qui affirmant licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad Oecumenicum Concilium tamquam ab auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare (4) ».

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque Aecumenica Concilia, ea in primis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, majorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: « Prima salus est rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes

(1) Pius IX Constit. *Pastor Aeternus* in Conc. Vaticano Sacro approbante Concilio.

(2) Ibid. (3) Ibid. (4) Ibid.

Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas. » Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: « Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum Principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; » et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent (Pontifices Romani), indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam Ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ubi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis Oecumenicis Conciliis, aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae Sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea Deo adjutore cognoverunt. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem Apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt: plenissime scientes, hanc Sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum Principi factam. « Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » Hoc igitur veritatis ex fidei nunquam deficientis charisma Petro ejusque in hac cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur atque suo fundamento innixa adversus inferi portas consisteret.

« Docemus et divinitus revelatum

dogma esse definimus Romanum Pontificem cum ex cathedra loquitur, idest, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel de moribus instructam esse voluit, ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex se se, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse (1).

CANONES

De Ecclesiae auctoritate.

Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem omnia, quae tradita sunt et praedicata Sanctae Catholicae et apostolicae Dei Ecclesiae, perindeque a Sanctis Patribus et venerandis universalibus Conciliis usque ad unum apicem verbo et mente, condemnatus sit.

Si quis secundum Sanctos Patres consonanter nobis pariterque fide non respuit et anathematizat anima et ore omnes, quos respuit et anathematizat nefandissimos haereticos cum omnibus impiis eorum conscriptis usque ad unum apicem Sancta Dei Ecclesia Catholica et Apostolica, hoc est Sanctae et universales quinque Synodi, et consonanter omnes probabiles Ecclesiae Patres, idest, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Polemonem, Eutychen, Dioscorum, Timotheum, Aelurum, Severum, Theodosium, Collutum, Themistium, Paulum Samosatenum, Dioscorum, Theodorum, Nestorium, Theodulum, Persam, Origenem, Dydimum, Evagrium;

et compendiose omnes reliquos haereticos, qui a catholica Ecclesia reprobati, atque abjecti sunt, quorum dogmata diabolicae operationis sunt genimina, et eos qui similia cum his usque ad finem obstinate sapuerunt, aut sapiunt, vel sapere sperantur, cum quibus merito utpote similes eis parique errore praeditos: ex quibus dogmatizare noscuntur, proprioque errori vitam suam determinantes, hoc est, Theodorum quondam Episcopum Faranitanum, Cirum Alexandrinum, Sergium Constantinopolitanum vel ejus successores Pirrum et Paulum in sua perfidia permanentes, et omnia impia illorum conscripta, et eos qui similia cum illis usque in finem obstinate sapuerunt, aut sapiunt vel sapere sperantur,

hoc est, unam voluntatem et unam operationem deitatis et humanitatis Christi, et super haec impiissimam Ecthesim, quae persuasione ejusdem Sergii facta est ab Heraclio quondam imperatore adversus orthodoxam fidem, unam Christi Dei voluntatem et unam ex concinnatione definientem operationem venerari, sed et omnia quae pro ea impie ab eis scripta vel acta sunt, vel illos qui ea suscipiunt, vel aliquod de his quae pro ea scripta vel acta sunt, et cum illis denuo scele-

(1) Pius IX Constit. *Pastor Aeternus* in Conc. Vaticano Sacro approbante Concilio.

rosum typum, qui ex suasione praedicti Pauli nuper factus est a serenissimo principe Constantino imperatore contra Catholicam Ecclesiam, utpote duas naturales voluntates et operationes, divinam et humanam, quae a Sanctis Patribus in ipso Christo Deo vero et Salvatore nostro pie praedicantur, cum una voluntate et operatione, quae ab haereticis impie in eo veneratur, pariter venerare et taciturnitate constringi promulgantem et propterea cum Sanctis Patribus et scelerosos haereticos ab omni reprehensione et condemnatione injuste liberari definientem, in amputationem Catholicae Ecclesiae definitionum seu regulae. Si quis igitur juxta quod dictum est consonanter nobis omnia haec impiissima haereseos illorum dogmata, et ea quae pro illis aut in definitione eorum a quolibet impie conscripta sunt, et denominatos haereticos Theodorum dicimus, Cyrum et Sergium, Pyrrhum et Paulum respuit, et anathematizat, utpote Catholicae Ecclesiae rebelles existentes:

'aut si quis aliquem de his qui ab illis vel similibus eorum scripto vel sine scripto quocumque modo vel loco aut tempore temere depositi sunt aut condemnati, utpote similia eis minime credentem, sed Sanctorum Patrum nobiscum confitentem doctrinam uti condemnatum habet aut omnino depositum, sed non arbitratur hujusmodi quicumque fuerit, hoc est, sive Episcopus aut Presbyter, vel Diaconus, sive alterius cujuscumque ordinis, aut monachus vel laicus pium et orthodoxum et Catholicae Ecclesiae propugnatorem, atque in ipso firmius consolidatum, in quo vocatus est a Domino ordine illos autem impios atque detestabilia eorum pro hoc judicio, vel sententias vacuas et invalidas, atque infirmas, magis autem prophanas, et execrabiles vel reprobabiles arbitratur, hujusmodi condemnatus sit (1).

Si quis ea, quae scelerosi haeretici sapiunt, indubitanter professus, atque intelligens, per inanem praeterviam dicit haec pietatis esse dogmata, quae tradiderunt ab initio speculatores et ministri verbi, hoc est dicere Sanctae et universales quinque Synodi, calumnians utique ipsos Patres et memoratas quinque Synodos, in deceptione simplicium, vel susceptione suae profanae perfidiae, hujusmodi condemnatus sit (2).

Si quis secundum scelerosos haereticos, quocumque modo, aut verbo, aut tempore, aut loco terminos removens illicite, quos posuerunt firmius Sanctae Catholicae Ecclesiae Patres, idest, Sanctae universales quinque Synodi, novitates temere exquirere et Fidei alterius expositiones, aut libellos, aut epistolas, aut conscripta, aut subscriptiones, aut testimonia falsa, aut Synodos, aut gesta monumentorum, aut ordinationes vacuas et ecclesiasticae regulae incognitas, aut servaturas incongruas et irrationabiles, et compendiose, si quid aliquid impiissimis haereticis consuetum est agere, per diabolicam

(1) Concilii Lateran. an. 649 sub Martino V. Hi canones susceptu sunt ab Agathone in epistola ad Imperator. occasione Synodi VI oecum. dat.

(2) Ibid.

operationem tortuose et callide agit contra pias Orthodoxorum Catholicae Ecclesiae, hoc est dicere, paternas ejus et Synodales praedicationes, adversionem sincerissimae in Dominum Deum nostrum confessionis. usque in finem permanet, haec impie agens, hujusmodi in saecula saeculorum condemnatus sit (1).

CANONES

De Auctoritate et Infallibilitate Romani Pontificis.

Si quis igitur dixerit beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput, vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema est (2).

Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit (3).

Si quis itaque dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent, aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis, aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes ac singulos pastores et fideles; anathema sit.

DAMNATAE PROPOSITIONES

De Ecclesia.

Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas (4).

Paulus numquam fuit membrum diaboli licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiae malignantium consimiles (5).

Duae sunt Ecclesiae, una carnalis, divitiis pressa effluens deliciis, sceleribus maculata, cui Romanus praesul, aliique inferiores praelati dominantur; alia spiritualis, frugalitate munda, virtute decora, paupertate succincta, in qua soli fraticelli, eorumque complices continentur, cui etiam ipsi spiritualis vitae merito principantur (6).

Omnia temporalia Ecclesiae subsunt imperanti, et ea potest accipere velut sua. Illud enim quod de Christo legitur in Evangelio B. Matthaei, quod ipse solvit tributum Caesari, quando staterem, sumptum ex ore piscis, illis, qui petebant didrachma jussit dari,

(1) Concilii Lateran. an. 649 sub Martino V. Hi canones suscepti sunt ab Agathone in epistola ad Imperator. occasione Synodi VI oecum. dat.

(2) Pius IX Constit. *Pastor Aeternus* in Conc. Vaticano Sacro approbante Concilio.

(3) Pius IX Constit. *Pastor Aeternus* in Conc. Vaticano Sacro approbante Concilio.

(4) Error Huss a Martino V in Constant.

(5) Ibid.

(6) Propositio fraticellorum damnata a Joanne XXII constitut. edita an. 1318.

hoc fecit non condiscendive e liberalitate suae pietatis sed necessitate coactus (1).

Tota Ecclesia simul juncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat imperator (2).

Potestas ligandi atque solvendi Apostolis tantum data est non successoribus (3).

Ecclesia Romana est synagoga Satanae, nec Papa est proximus et immediatus Vicarius Christi et Apostolorum (4).

Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias (5).

Decretales Epistolae sunt apocryphae, et seducunt a fide Christi; et clerici sunt stulti qui student eis (6).

Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta, tantum prosunt Ecclesiae sicut diabolus (7).

Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, consecratio locorum reservatur Papae et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris (8).

Excommunicatio Papae vel cujuscumque Praelati non est timenda; quia censura est Antichristi (9).

Contra Sacram Scripturam est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones (10).

Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto (11).

Si quis ingreditur religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum quam mendicantium redditur ineptior et inhabilior ad observationem mandatorum Dei (12).

Sancti instituentes religiones privatas sic instituendo peccaverunt (13).

Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione Christiana (14).

Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem (15).

Ditare clerum est contra regulam Christi (16).

Silvester Papa et Constantinus imperator errarunt dotando Ecclesiam (17).

Omnes ordines mendicantium sunt haeretici, et dantes eis eleemosynas sunt excommunicati (18).

Ingredientes religionem aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina praecepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum coelorum, nisi apostataverint ab eisdem (19).

Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares, et caeteri laici (20).

Imperator et domini saeculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus (21).

Augustinus, Benedictus et Bernar-

(1) Error. Marsilii Patav. et Joan. de Sandano a Joan. XXII damn.
(2) Joan. XXII Const. qua damnantur errores Marsilii Patavini et Joan. de Sandano 1327.
(3) Capit. Abaelardi damn. ab Inn. II.
(4) Item. (5) Item. (6) Item.
(7) Item. (8) Item.
(9) Error Wikleff, etc.
(10) Error. Wikleff damn. in Conc. Constant. a Martino V.
(11) Item. (12) Item. (13) Item.
(14) Item. (15) Item. (16) Item.
(17) Item. (18) Item. (19) Item.
(20) Error. Wicleff damn. in Conc. Constant. a Martino V.
(21) Item.

dus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc quod habuerunt possessiones, et instituerunt, et intraverunt religiones: et sic a Papa usque ad ultimum religiosum, omnes sunt haeretici (1).

Fundantes claustra peccant, et ingredientes sunt viri diabolici (2).

Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars ejus finaliter excidat ab ea, eo quod praedestinationis charitas quae ipsam ligat, non excidet (3).

Praescitus etsi aliquando est in gratia secundum praesentem justitiam, tamen numquam est pars sanctae Ecclesiae; et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis (4).

PROPOSITIONES DAMNATAE

De Romano Pontifice.

Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiae Sanctae Catholicae (5).

Beatus Petrus Apostolus non plus auctoritatis habuit, quam alii Apostoli habuerunt, nec aliorum Apostolorum fuit caput. Item quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiae, nec aliquem vicarium suum fecit (6).

Ad imperatorem spectat, Papam instituere et destituere ac punire (7).

Omnes sacerdotes, sive sit Papa, sive Archiepiscopus, sive sacerdos simplex, sunt ex institutione Christi auctoritatis et jurisdictionis aequalis (8).

Si Papa sit praescitus et malus et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare (9).

Post Urbanum VI non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis (10).

Romanus Pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri, quem dicit esse parochialem curatum. Imo nec Deus posset hoc facere: quia implicat contradictionem (11).

Quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem; imo nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio sacerdoti, quem dicit esse proprium curatum (12).

Qui sunt in gradu perfectionis et spiritu libertatis non sunt humanae subjecti obedientiae nec ad aliqua praecepta Ecclesiae obligantur (13).

Omnes articuli fidei et Ecclesiae Sacramenta ac potestas Papae possunt probari et probantur per rationes necessarias demonstrativas evidentes (14).

Fatuum est credere indulgentiis Papae et Episcoporum (15).

Electio Papae a Cardinalibus a diabolo est introducta (16).

(1) Error. Wikleff damn. in Conc. Constant. a Martino V.
(2) Err. Huss a Martino V damn.
(3) Item. (4) Item.
(5) Error Huss a Mart. V in Conc. Const. damn.
(6) Joan. XXII constitutio, qua damnantur errores Marsilii Patavini et Joannis de Sauduno 4 Kal. Nov. 1327. (7) Ibid. (8) Ibid.
(9) Error. Wikleff in Conc. Constant. a Martino V damn.
(10) Ibid.
(11) Errores Joannis de Polliaco damnati a Joanne XXII an. 1320. (12) Ibid.
(13) Error. Beguardorum et Beguin. damn. a Clem. V in Conc. Viennen.
(14) Err. Raymundi Lulli a Greg. XI et a Paulo IV damn.
(15) Err. Wikleff a Mart. V damn. (16) Item.

Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio et institutio a Caesaris potentia emanavit (1).

Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se ab alio, quod esset caput Ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanae Ecclesiae particularis (2).

Non oportet credere quod iste quicumque est Romanus Pontifex sit caput cujuscumque particularis Ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit (3).

Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem; quia ad illud officium vicariatus requiritur morum conformitas et instituentis auctoritas (4).

Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro: et si quaerit avaritiam tunc est Vicarius Judae Iscarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri et manifesti successores collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum servantes mandata, et consilia Domini nostri Jesu Christi (5).

Doctores ponentes, quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, scribas et pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus dicentes: Nobis non licet interficere quemquam, ipsum saeculari judicio tradiderunt; et tales sunt homicidae graviores, quam Pilatus (6).

Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum Ecclesiae praeter expressam auctoritatem Scripturae (7).

Si Papa est malus et praesertim si est praescitus, tunc ut Judas apostolus est diaboli, fur, et filius perditionis, non est caput sanctae militantis Ecclesiae, cum nec sit membrum ejus (8).

Papa vel Praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor, et vere fur, et latro (9).

Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam illam absolute potest tenere et docere non respiciendo ad ullam Pontificiam Bullam (10).

Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundum officium: quia alias rex deberet etiam dici Sanctissimus secundum officium, et tortores et praecones dicerentur sancti; imo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei (11).

Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per vitam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum; dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam: nam Judas Iscariothes rite et legitime est electus a Deo Christo Jesu ad Episcopatum, et tamen ascendit aliunde ad ovile ovium (12).

Condemnatio 45 art. Joannis Wi-

(1) Err. Huss damn. a Martino V.
(2) Item. (3) Item.
(4) Item. (5) Item.
(6) Item. (7) Item.
(8) Item. (9) Item.
(10) Prop. damn. ab Alex. VIII. (11) Item.
(12) Item.

cleff, per doctores facta, est irrationabilis et iniqua et malefacta: ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus (1).

Non eo ipso quod electores, vel major pars eorum, consenserint viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus et manifestus successor vel vicarius Petri Apostoli vel alterius Apostoli in officio ecclesiastico: unde, sive electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere; nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiae, habet a Deo ad hoc copiosius facultatem (2).

Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur et conservetur (3).

Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet (4).

Apostoli et fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papae officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem judicii (5).

Nullus dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali (6).

Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, et interdicti, ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam praeparat Antichristo. Signum autem evidens est quod ab Antichristo tales procedunt censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos qui denudant nequitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit (7).

(1) Prop damn. ab Alex. VIII. (2) Ib.
(3) Ib. (4) Ib. (5) Ib.
(6) Err. Huss damn. a Martino V in Conc. Constant. (7) Ib.

LIBER TERTIUS

De Deo uno et trino.

CAPUT I.

DE DEO UNO.

In Deo una est essentia, substantia, seu natura simplex omnino (1).

Christianorum omnium per totum orbem sub uno jugo Evangelii videlicet (ut propheta dicit) servientium Deo, forma praeclarissima est fides et confessio credens eas in unum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum Trinitatem increatam, invisibilem, sempiternam, incomprehensibilem unius substantiae ac sessionis (2).

Haec est victoria quae vicit mundum, fides nostra; addatur autem et a nobis dicatur: « Haec est petra supra quam Christus aedificavit suam Ecclesiam, portis inferi, idest aggressionibus contrariarum virtutum inconcussam et inevertibilem. Hinc novum nomen sortiti sumus quod ut Isaias dicit, « benedicetur. » Dixit enim ita: Benedicent Deum verum, et superignotam atque investigabilem ineffabilis ejus naturae annunciantes incomprehensibilitatem; invisibilem etiam illam et incircumscriptam et omnino incommutabilem indubitabili certitudine praedicantes, atque sempiternam ejus virtutem et divinitatem a creatura mundi, secundum sacratissimum Paulum, per ea quae facta sunt intellectum conspicientes. Sicque servire Deo vivo et vero meruimus; et libertate qua Christus nos liberavit, honorificati sumus, et glorificati, ab omni erepti idolico errore et impietate; cujus praecipua cognitio dicere lapidi, tu me genuisti: et ligno, tu me fecisti, secundum prophetae vocem et non aspicere in coelum, ut Isaias clamat, ut existimetur quis est, qui ostendit haec omnia: qui educit per numerum mundum suum, omnia per nomen vocabit prae multa gloria, et in multitudine virtutis; cujus manus solae moverunt universam militiam coeli, quemadmodum alius quidem prophetarum ait: caeterum creaturae universae ordinem intuentes, per eam intellectu animae similiter generationis rationem considerare et per eam veraciter existentem Deum adorare quemadmodum Beatus Athanasius, sermonem contra idola componens liquidius edocet. Sicut ergo nulla communicatio lucis ad tenebras vel conventio Christi ad Belial nihil est commune Christianis, qui unum

(1) Ex Concilio Lateran. IV, cap. *Firmiter*.

(2) Act. IV, septimae Synodi Epist. Germani ad Romam Episcop. Claudiopoleos approbata a Synodo et a Gregorio Pont. Rom. Edit. Labbé.

Deum in inaccessibili claritate et virtute adorandum colunt ad eos, qui fingunt Deum, et hujusmodi a Prophetis miseri vocantur (1).

Genus ergo cum simus Dei non debemus aestimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturae artis et cognitionis hominis divinum esse simile eidemque sensui continens, et ne accipias nomen Domini Dei invanum, idest ne voces et aestimes Deum quod non veraciter hoc est, sed frustra opinionem et cognomen tale promeruit. Sed nobis, ait magnus Paulus apostolus, Unus Deus Pater ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia et unus Spiritus Sanctus in quo omnia: non naturali alternitate pro praepositionum commutatione inducta. Absit, tria enim unus Deus cum alterutris intelligitur (2).

Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quia divinitas sit Deus, et Deus divinitas. Sicubi vero dicitur Domini Sapientia sapientem, magnitudine magnum divinitate Deum esse et alia hujusmodi: credimus nonnisi ea Sapientia quae est ipse Deus sapientem esse: nonnisi ea magnitudine quae est ipse Deus magnum esse: nonnisi ea aeternitate quae est ipse Deus aeternum esse; nonnisi ea unitate quae est ipse unum esse: nonnisi ea divinitate quae est ipse esse Deum. Si est in seipso Sapientem, magnum, aeternum, unum Deum (3).

Sunt vero alii qui eo impietatis et impudentiae deveniunt, ut coelum petere, ac Deum ipsum de medio tollere conentur. Insigni enim improbitate ac pari stultitia haud timent asserere, nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existere ab hac rerum universitate distinctum ac Deum idem esse ac rerum naturam et idcirco immutationibus obnoxium, Deumque reapse fieri in homine et mundo, atque omnia Deum esse, et ipsissimam Dei habere substantiam, ac unam eamdemque rem esse Deum cum mundo, ac proinde spiritum cum materia, necessitatem cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi aut et excogitari unquam potest (4).

CAPUT II.

DE TRINITATE.

Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini et Salvatoris nostri voce fundata firmiter credit, profitetur, et praedicat unum verum Deum omnipotentem, incommutabilem et aeternum Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum in essentia, trinum in personis. Patrem ingenitum, Filium ex Patre genitum, Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedentem. Patrem non esse Filium aut

(1) Act. IV, septimae Synodi Epist. Germani ad Romam Episcop. Claudiopoleos approbata a Synodo et a Gregorio Pont. Rom. Edit. Labbé.

(2) Ibid.

(3) Conc. Rhemense an. 1148 ab Eugenio III celebr. contra Gilbertum Porretanum.

(4) Pius IX in allocut. *Maxima quidem* 1862.

Spiritum Sanctum: Filium non esse Patrem aut Spiritum Sanctum: Spiritum Sanctum non esse Patrem aut Filium. Sed Pater tantum Pater est, Filius tantum Filius est, Spiritus Sanctus tantum Spiritus Sanctus est. Solus Pater de substantia sua genuit Filium, solus Filius de solo Patre est genitus, solus Spiritus Sanctus de Patre procedit et Filio. Hae tres Personae sunt unus Deus, et non tres Dii, quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una aeternitas, omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Propter hanc unitatem Pater totus est in Filio, totus in Spiritu Sancto, Filius totus est in Patre, totus in Spiritu Sancto. Spiritus Sanctus totus est in Patre totus in Filio. Nullus alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine aut superat potestate. Aeternum quippe et sine initio est quod Filius de Patre extitit; et aeternum et sine initio est quod Spiritus Sanctus de Patre Filioque procedit. Pater quidquid est aut habet non habet ab alio, sed ex se et est principium sine principio. Filius quidquid est aut habet, habet a Patre, et est principium de principio. Spiritus Sanctus quidquid est aut habet, habet a Patre simul et Filio. Sed Pater et Filius non duo principia Spiritus Sancti, sed unum principium, sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus non tria principia creaturae, sed unum principium (1).

Firmiter credimus (ergo), et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus aeternus et immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, et ineffabilis, Pater et Filius, et Spriritus Sanctus: tres quidem Personae, sed una essentia substantia, seu natura simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque pariter, absque initio semper et fine, Pater generans, Filius nascens et Spiritus Sanctus procedens: consubstantiales et coaequales, coomnipotentes, et coaeterni, unum universorum principium, creator omnium invisibilium et visibilium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet, et mundanam: ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam, diabolus enim et daemones alii a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestione peccavit.

Haec sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales discreta, per Moysen et sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum doctrinam humano generi tribuit salutarem. Damnamus ergo et reprobamus libellum seu tractatum, quem Abbas Joachim edidit contra magistrum Petrum Lombardum de unitate, seu essentia Trinitatis, appellans ipsum haereticum et insanum pro eo quod in suis dixit sententiis, quoniam quaedam summa res est Pater et Filius et Spiritus

(1) Decretum pro Jacobitis sive Bulla Eugenii IV *Cantate Domino*.

Sanctus, et illa non est generans, neque genita, nec procedens. Unde asserit quod ille non tam Trinitatem, quam quaternitatem astruebat in Deo, videlicet tres Personas, et illam communem essentiam quasi quartam, manifeste protestans, quod nulla res est, quae sit Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, nec est essentia, nec substantia, nec natura: quamvis concedat, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt una essentia, una substantia, unaque natura. Verum unitatem hujusmodi non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam esse fatetur; quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia, juxta illud: « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una (1); » et, « qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum illo (2); » item, « Qui plantat et qui rigat unum sunt (3); » et, « Omnes unum corpus sumus in Christo (4). » Rursus in libro Regum: « Populus meus et populus tuus unum sunt (5). » Ad hanc autem sententiam adstruendam, illud potissimum verbum inducit, quod Christus de fidelibus inquit in Evangelio: « Volo Pater, ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus, ut sint consummati in unum (6). » Non enim, ut ait, fideles Christi sunt unum, idest, una quaedam res, quae communis sit omnibus. Sed hoc modo sunt unum, id est, una Ecclesia propter catholicae fidei unitatem, et tandem unum regnum propter indissolubilis charitatis. Quemadmodum in canonica Joannis Epistola legitur: « Quia tres sunt qui testimonium dant in coelo Pater et Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt (7). » Statimque subjungitur: « Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus aqua et sanguis: et tres unum sunt, sicut in codicibus quibusdam invenitur (8). »

Nos autem sacro, et universali Concilio (Lateranensi) approbante, credimus et confitemur cum Petro, quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, tres simul Personae, ac sigillatim quaelibet earumdem: et ideo in Deo Trinitas est solummodo non quaternitas; quia quaelibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest: et illa res non est generans, neque genita, nec procedens. Sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus non tamen aliud: sed id quod est Pater est Filius et Spiritus Sanctus, idem omnino, secundum orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab aeterno Filium generando suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur: « Pater, quod dedit mihi majus est omnibus: » ac dici non potest quod partem suae sub-

(1) Actuum IV
(2) 1 Cor. VI.
(3) Ibid. III.
(4) Ibid. XVIII.
(5) 3 Reg. XXII.
(6) Joan. XVII.
(7) 1 Joan. V.
(8) Ibid.

stantiae illi dederit, et partem retinuerit ipse sibi, cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, et ita Pater et Filius habent eamdem substantiam, et sic eadem res est Pater et Filius nec non et Spiritus Sanctus ab utroque procedens.

Cum ergo veritas pro fidelibus suis ad Patrem orat: « Volo, inquiens, ut ipsi sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus: » hoc nomen unum, pro fidelibus quidem accipitur ut intelligatur unio charitatis in gratia pro Personis vero divinis, ut attendatur identitatis in natura unitas, quemadmodum veritas alibi ait: « Estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est, » ac si diceret manifestius, « Estote perfecti perfectione gratiae, sicut Pater vester coelestis perfectus est perfectione naturae, » utraque videlicet suo modo: quia inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda.

Si quis igitur sententiam, sive doctrinam praefati Joachim in hac parte defendere vel approbare praesumpserit tamquam haereticus ab omnibus evitetur. Excommunicamus et anathematizamus omnem haeresim, extollentem se, adversus hanc sanctam orthodoxam, catholicam fidem, quam superius exposuimus, condemnantes universos haereticos quibuscumque nominibus censeantur, faciem quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de varietate conveniunt in idipsum (1).

Cum de tribus Personis loquimur, Patre et Filio et Spiritu Sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur. Et e converso cum de uno Deo, una divina substantia loquimur: ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas confitemur (2).

Credimus et confitemur solum Deum, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum aeternum esse: nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates vel unitates dicantur, vel aliud hujusmodi, adesse Deo, quae sint ab aeterno et non sint Deus (3).

CAPUT III.

DE VERBO DEI.

Primum impia et perversa dogmata Arii, eorumque qui ejus sectam sequuntur perquisita sunt: unde placuit Concilio (Nicaeno) communibus suffragiis anathemate denunciare ejus nefariae opinioni et verbis sententiisque execrabilibus, quibus usus est ad Filium Dei blasphemiis afficiendum: nimirum, cum ex nihilo ortum esse, nec fuisse antequam natus es-

(1) Concilium Lateranense sub Innocentio III cap. I et II de Fide Catholica.

(2) Concilio Rhemense a 1148 ab Eugenio III celebr. professio fidei contra Gilbertum Porretanum.

(3) Ibid.

set: fuisse tempus aliquando cum non esset, Filium Dei libera voluntate et arbitrio vitii et virtutis capacem esse, creaturam esse, factum esse. Quibus omnibus sanctum Concilium indicit anathema: immo vero ne pati quidem potest ut vel impia ejus opinio, vel insolens ipsius amentia, vel verba plena blasphemiae ad aures perveniant. Ista fides ab omnibus qui verbum verae fidei non pervertunt (1). Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium creatorem. Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum ex Patre natum, idest ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt quae in coelo et quae in terra (2).

Iis autem qui dicunt fuisse aliquando tempus cum non esset, et ex iis quae non sunt ortum, vel ex alia subsistentia aut substantia esse, vel creatum esse, vel converti aut mutari posse Filium Dei, istis Catholica et Apostolica Ecclesia anathema denuntiat (3). Nam qui Filium a Patris substantia et divinitate separant, qui Verbum a Patre alienum arbitrantur, hi merito et excludendi sunt Ecclesia Catholica, et Christianorum nomine penitus privandi. Itaque omnibus anathema sunto. Nam idem ipsum praecipit Apostolus: Si quis vobis evangelizaverit, praeterquam quod accepistis, anathema sit. Non est enim commercium ullum luci cum tenebris. Hos omnes a vobis quam longissime ablegate. Neque enim est ulla consensio Christi cum Belial. Illos autem tum excludimus communione, tum Ecclesiae Catholicae finibus expellimur qui asserunt Christum Deum quidem esse, sed non verum Deum: filium esse, sed non verum filium: genitum esse simul, et ingenitum. Ita se genitum intelligere fatentur (his enim verbis utuntur) quod genitum est, existit. Quod si percontetur a nobis quae sit Filii substantia: respondemus eam unam eamdemque esse cum ea quae est vere Patris substantia, neque Patrem unquam sine Filio fuisse, neque Filium sine Patre, neque posse esse Verbum quod spiritu caret. Est enim absurdissimum affirmare Patrem aliquando fuisse sine Filio, imo vero nec Patrem nominandum, nec posse esse absque Filio; ipse Filius locuples testis est cum dicat: « Ego in Patre, et Pater in me est: » et rursus: « Ego et Pater unum sumus. » Neque quisquam nostrum negat, eum genitum esse: sed genitum ante omnia dicimus, quae visibilia invisibiliaque vocant: opificem Archangelorum, Angelorum, mundi et humani generis. Nam ait Scriptura: « Sapientia omnium artifex me docuit (4), » et alio loco, « omnia per ipsum facta sunt (5). » Quod si initium habuerit, semper esse non poterat, quandoquidem Verbum Dei cum semper extiterit principium non habebat, neque Deus finem habiturus

(1) Epist. Concilii Nicaeni (ex Theodor. lib. I cap IX).

(2) Symb. Nicaen. ex divo Athanasio in Epist. ad Jovian.

(3) Symb. Nicaen. ex Gelasii Cyziceni hist. et act. Nic.

(4) Sap. VII.

(5) Joan. I.

est. Porro non dicimus Patrem Filium esse, neque rursus Filium Patrem esse. Sed Pater pater est; et Filius Patris Filius est. Confitemur item Filium sapientiam potentiam Patris esse: confitemur Verbum Patris esse, praeter quod non est aliud. Verbum, verum Deum esse, sapientiam, potentiam et verum Filium esse affirmamus. Sed non sicut caeteri Filii appellantur Filium dicimus: siquidem illi aut propter hunc divi sunt per regenerationem: aut propterea quod digni habiti sunt, Filii, non autem propter unam cum Deo substantiam, quae est Patris et Filii. Confitemur etiam eum et unigenitum esse et primogenitum: Sed unigenitum Verbum, Verbum quod semper erat et est in Patre, primogenitum autem propter naturam (quam assumpsit) cum homine communem. Differt tamen a creatura communi propterea quod est primogenitus ex mortuis. Propterea depravata et execrabilis est Arianorum interpretatio, qui contendunt Servatorem ideo dixisse. Ego et Pater unum sumus, quod sit inter eos consensus et concordia. Porro autem omnes ad unum qui sumus catholici stultam atque adeo deplorandam eorum sententiam condemnamus, qui dicunt quod quemadmodum mortales homines, ubi discidere coeperint, mutuis jurgiis odium contrahunt et tamen postea redeunt in gratiam: eodem modo Deus omnipotens Pater et Filius inter se dissentire et discordare possunt: quod quidem nedum ad cogitandum, verum etiam ad existimandum est omnium scelestissimum. Nos vero et credimus et affirmamus et intelligimus sacram illam Servatoris sententiam, quae ita se habet: « Ego et Pater unum sumus: de unitate essentiae, quae est una eademque in Patre et in Filio, capiendum esse. Itemque illud perpetuo credimus, hunc sine principio et sine fine cum Patre regnare: et ejus regnum nec tempus habere quo terminetur, nec qua consummatur defectionem. Nam quod semper est, nunquam coepit esse, nec aliquando deficere potest (1).

At vero tanta est Arianorum inscitia, et tam crassa caligine caecata est eorum mens, ut lucem veritatis videre nequeant, neque intelligant sensum hujus sententiae: « Ut illi in nobis unum sint (2). » Planum certe est, cur unum dixerit: quod scilicet Apostoli, tametsi Spiritum Sanctum Dei acciperent, tamen non idcirco Spiritus erant, neque quisquam eorum vel Verbum vel sapientia, vel potentia Dei, vel unigenitus erat. Sic autem loquitur Scriptura: Quemadmodum ego et tu unum sumus, sic et isti in nobis unum sint. Sed haec Domini sententia has res accurate distinxit. Non enim in eo sensu dixit. In nobis unum sint quo dixit sicut nos unum sumus ego et Pater: sed ut discipuli inter se conjuncti copulatique unum essent fide et confessione, et per gratiam ac verum cultum Dei Patris quin etiam per Domini Servatoris nostri benignitatem et amorem unum esse possent (3).

(1) Epist. Synodica Concilii Sardicensis ex Theodoreti hist.

(2) Joan. XVII.

(3) Ex ead. Epist. Synod. Conc. Sardic.

In primordia capitulorum exortum est Dei impia ac nefanda haeresi Elipandi, Toledanae sedis Episcopi, et Felicis Orgelitanae eorumque sequacibus, qui male sentientes in Dei Filio asserebant adoptionem, quam omnes sanctissimi Patres et respuentes una voce contradixerunt atque hanc haeresim funditus a sancta Ecclesia eradicandam statuerunt (1).

CAPUT IV.

DE SPIRITU SANCTO.

Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio, non tamquam ax duobus principiis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit: hoc professa est hactenus praedicavit et docuit, hoc firmiter tenet et praedicat, profitetur et docet sacrosancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium et magistra, hoc habet orthodoxorum Patrum, atque doctorum Latinorum, pariter et Graecorum incommutabilis et vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis praemissae veritatis ignorantiam in errores varios sunt prolapsi. Nos hujusmodi erroribus viam praecludere cupientes, sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus omnes qui negare praesumpserint, aeternaliter Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere: sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio, tamquam ex duobus principiis et non tamquam ex uno, procedat (2).

In nomine igitur sanctae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti sacro universali approbante Florentino Concilio definimus; ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit; declarantes quod id quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti sicut et Patrem. Et quoniam omnia quae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est. Definimus insuper explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam (3).

Pater est totus in Filio, totus in Spiritu Sancto: Filius totus est in Patre totus in Spiritu Sancto: Spi-

(1) Can. 1 Concilii plenarii Francofordiensis an. 794 et a Leone III in Synodo Romana an. 799 recognovit quae Felicem et Elipandum anathematizavit.

(2) Concilium Lugdunense II an. 1274.

(3) Concilii Florentini decretum in Bulla Eugenii IV *Laetentur coeli.*

ritus Sanctus totus est in Patre totus in Filio. Nullus alium aut praecedit aeternitas, aut excedit magnitudine aut superat potestate. Aeternum quippe et sine initio est quod Filius de Patre exsistit: et aeternum ac sine initio est, quod Spiritus Sanctus de Patre Filioque procedit. Pater quidquid est aut habet, non habet ab alio, sed ex se: et est principium sine principio, Filius quidquid est aut habet, habet a Patre et est principium de principio. Spiritus Sanctus quidquid est aut habet, habet a Patre simul et Filio. Sed Pater et Filius non sunt duo principia Spiritus Sancti, sed unum principium. Sicut Pater, Filius et Spiritus Sanctus non tria principia creaturae, sed unum principium (1).

Sacrosancta Romana Ecclesia firmissime credit profitetur et praedicat unum atque eumdem Deum veteris et novi Testamenti hoc est legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem: quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt: quorum libros suscipit et veneratur (2).

CANONES

De Deo uno.

Si quis dixerit vel crediderit ab altero Deo mundum factum fuisse, et non ab eo, de quo scriptum est: In principio fecit Deus coelum et terram; anathema sit.

Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum esse priscae legis, alterum Evangeliorum; anathema sit.

Si quis dixerit vel crediderit deitatem nascibilem; anathema sit.

Si quis dixerit vel crediderit a Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse, atque omnia ejus instrumenta; anathema sit (3).

CANONES

De Trinitate.

Si quis non dixerit Patris et Filii et Spiritus Sancti unam divinitatem, potestatem, majestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem et veritatem; anathema sit (4).

Si quis tres Personas non dixerit veras Patris et Filii, et Spiritus Sancti aequales semper viventes, omnia continentes visibilia et invisibilia, omnia potentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia quae sunt salvanda salvantes; anathema sit (5).

Quod si quis patiatur, Deum Patrem dicens et Deum Filium ejus et Deum Spiritum Sanctum Deos dici et non Deum propter unam divinitatem et potentiam, quam credimus esse et scimus, Patris et Filii et Spiritus Sancti: Deum, subtrahens autem Filium aut Spiritum Sanctum, ita so-

(1) Decretum pro Jacobitis, scilicet Bulla Eugenii IV *Cantate Domino*.

(2) Ibid.

(3) Anathematismi contra Priscillianistas emissi in Conc. Tolet. an. 447 ad normam epist. dogm. Leonis I Pp.

(4) Anathematismi a Damaso Pp. in Synodo Romana IV an. 378 vel 379, emissi adversus Macedonianos Apollinaristas aliosque haereticos, sanciti a Concilio Constantinop. I, laudata a PP. Coelestino et Vigilio.

(5) Ibid.

lum existimet esse Deum Patrem, dici aut credi unum Deum; anathema sit (1).

Nomen namque Deorum et Angelis et Sanctis omnibus a Deo est impositum et donatum. De Patre autem et Filio et Spiritu Sancto propter unam aequalem divinitatem, non nomen Deorum, sed Dei nobis ostenditur atque indicatur: ut credamus, quia in Patre et Filio et Spiritu Sancto solum baptizamur et non in Archangelorum nominibus aut Angelorum, quomodo haeretici, aut Judaei, aut etiam gentiles dementes faciunt. Haec ergo est salus Christianorum ut credentes Trinitati, idest Patri et Filio et Spiritu Sancto in ea veram solamque unam divinitatem et potentiam ac majestatem et substantiam eamdem sine dubio credamus, ut aeternam attingere mereamur ad vitam (2).

Si quis dixerit atque crediderit Deum Patrem, eumdem esse Filium vel Paraclitum; anathema sit (3).

Si quis dixerit vel crediderit Filium eumdem esse Patrem vel Paracletum; anathema sit (4).

Si quis dixerit vel crediderit Paracletum esse vel Patrem vel Filium; anathema sit (5).

Si quis dixerit vel crediderit, esse aliquid quod se extra Trinitatem possit ostendere; anathema sit (6).

Si quis non confitetur Patris et Filii et Spiritus Sancti unam naturam sive essentiam, unam virtutem et potestatem Trinitatem consubstantialem, unam deitatem in tribus subsistentiis sive personis adorandam, talis anathema sit. Unus enim Deus et Pater ex quo omnia, et unus Dominus Jesus per quem omnia, et unus Spiritus Sanctus, in quo omnia (7).

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et veraciter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, trinitatem in unitate, et unitatem in trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus, et aequalis gloriae, unam eamdemque trium deitatem, naturam, substantiam, virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem, inconditam, sine initio, incomprehensibilem, immutabilem creatricem omnium et protectricem, condemnatus sit (8).

(1) Ut supra (2) Ibid.
(3) Ibid. (4) Ibid.
(5) Ibid. (6) Ibid.
(7) Synod. V Oecumenic. de tribus capitulis.
(8) Ex canon. Concilii Lateran. a 649 sub Martino I susceptis ab Agathone Pp. in Epist. ad Imperat. occasione Synodi VI Oecum. data.

CANONES

De Verbo Dei.

Eos qui dicunt ex nihilo ortum esse Filium Dei, nec fuisse antequam natus esset; fuisse tempus aliquando cum non esset; libera voluntate et arbitrio vitii et virtutis capacem esse creaturam esse, factum esse (9) eosque qui dicunt quod ex iis, quae non sunt, factus est, vel ex alia substantia vel essentia; vel creatum esse vel mutabilem vel convertibilem, anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia (10).

(9) Epist. Synodal. Concilii Nicaeni ex Theod. lib I, cap. IX.
(10) Symb. Nicaenum in fine ex Athanas. in Epist. ad Jovian.

Anathematizamus eos qui non tota libertate proclamant, cum Patre et Filio unius potestatis esse atque substantiae (1).

Anathematizamus quoque eos qui Sabelli sequuntur errorem, eumdem dicentes Patrem esse quem Filium (2).

Anathematizamus Arium atque Eunomium qui pari impietate, licet sermone dissimili, Filium et Spiritum Sanctum asserunt esse creaturas (3).

Anathematizamus eos qui Verbum Filium Dei extensione aut collectione et a Patre separatum insubstantivum et finem habiturum esse contendunt (4).

Si quis non dixerit semper Filium et semper Spiritum Sanctum esse; anathema sit (5).

Si quis non dixerit Filium natum de Patre, idest de divina substantia ipsius; anathema sit (6).

Si quis non dixerit Verbum Domini Filium Dei Deum sicut Deum Patrem ejus, et omnia posse et omnia nosse, et Patri aequalem; anathema sit (7).

Si quis non dixerit omnia per Filium et Spiritum Sanctum Patrem fecisse, idest visibilia, invisibilia; anathema sit (8).

(1) Anathematismi a Damaso Pp. in Synodo Romana IV an. 378 vel 379, emissi adversus Macedonianos Apollinaristas, aliosque haereticos suscepti a Concilio Constantinop. I et laudati a Pp. Coelestino et Vigilio.

(2) Ibid. (3) Ibid.
(4) Ibid. (5) Ibid.
(6) Ibid. (7) Ibid.
(8) Ibid.

(9) Anathematismi a Damaso Pp. in Synodo Romana IV an. 378 vel 379, emissi, et a Conc. Constantinop. I et laudati a Pp. Coelestino et Vigilio.

(10) Ibid. (11) Ibid.
(12) Ibid (13) Ibid.
(14) Ibid.

CANONES

De Spiritu Sancto.

Si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse vere ac proprie sicut Filius de divina substantia et Deum verum; anathema sit (9).

Si quis non dixerit omnia posse Spiritum Sanctum, omnia nosse, et ubique esse sicut Filium et Patrem; anathema sit (10).

Si quis dixerit Spiritum Sanctum facturam aut per Filium factum; anathema sit (11).

Si quis non dixerit omnia per Filium et Spiritum Sanctum Patrem fecisse, idest visibilia, invisibilia; anathema sit (12).

Si quis non dixerit adorandum Spiritum Sanctum ab omni creatura sicut Filium et Patrem; anathema sit (13).

Si quis de Patre et Filio bene senserit, de Spiritu autem Sancto non recte habuerit, haereticus est, quod omnes haeretici de Filio Dei et Spiritu Sancto male sentientes in perfidia Judaeorum et gentilium inveniuntur (14).

PROPOSITIONES DAMNATAE.

Deus non est bonus, neque melior neque optimus. Ita male dico cum voco Deum bonum ne si album vocarem nigrum (15).

Ea solummodo potest Deus facere vel dimittere vel eo tempore quo facit et non alio (16).

(15) Prop. Ekkardi a Joan. XXII damn.
(16) Prop. Abaelardi ab Inn. II damn.

Deus nec debet, nec potest mala impedire (1).

Omnia de necessitate absoluta eveniunt (2).

Deus debet obedire diabolo (3).

Deum blasphemia laudari (4).

Deus non potuit primo producere mundum quia res non potest agere antequam sit; unde quam cito Deus fuit tam cito mundum creavit (5).

Concedi potest quod mundus ab aeterno fuerit (6).

Vituperans quemquam ipso peccato vituperii laudat Deum, et quo plus vituperat et gravius peccat amplius Deum laudat (7).

Qui orando singulare aliquid ac determinatum petit, malum petit et male, quia negationem boni et negationem Dei petit, et orat Deum sibi negari (8).

In illis hominibus honoratur Deus qui non intendunt res nec honores, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec sanctitatem, nec praemium, nec regnum coelorum, sed iis omnibus renuntiaverunt (9).

Qui nuper cogitaverit utrum vellet aliquid recipere a Deo vel desiderare: hic vult de hoc deliberare: quia ubi esset accipiens a Deo, esset sub eo vel infra eum sicut famulus vel servus, et ipse sicut Dominus in dando: sic vero in aeterna vita non erit (10).

Homines transformantur totaliter in Deum et convertuntur in eum sicut in sacramento Eucharistiae panis convertitur in corpus Christi, sic homines convertuntur in eum, quod ipso operatur homines suos esse: unum non simile (11).

Quidquid divinae naturae proprium est, id totum hominis justi proprium esse. Quamobrem illum operari quidquid Deus operatur: una cum ipso coelum et terram creasse, Verbum aeternum generare, denique Deum sine ipso nihil facere posse (12).

Virum probum sic debere conformare voluntatem suam voluntati divinae, ut ipse velit, quidquid vult Deus, dicatque: Quia Deus vult aliquo modo me peccasse, nollem non commisisse peccata. Haec vera poenitentia est (13).

Si homo mille peccata mortalia commisisset, si esset recte dispositus velle non deberet se ea non commisisse (14).

Deus non praecipit actum exteriorem (15).

Actus exterior non est proprie bonus, nec Deus proprie ipsum operatur (16).

Afferamus fructum actuum, non exteriorum, qui nos bonos non faciunt; sed actuum interiorum, quos Pater in nobis manens facit et operatur (17).

Deus animas amat, non opus externum (18).

Dum dicitur: Simon diligis me plus his sensus est, idest plus quam istos: et bene quidem, sed non per-

(1) Prop. Abaelardi ab Inn. II damn.
(2) Ex prop. Wikleff a Martino V in Conc. Constant. damn.
(3) Ibid.
(4) Prop. Ekkardi, *ut supra*.
(5) Ibid.
(6) Ibid.
(7) Ibid.
(8) Ibid.
(9) Ibid.
(10) Ibid.
(11) Ibid.
(12) Ibid.
(13) Ibid.
(14) Ibid.
(15) Ibid.
(16) Ibid.
(17) Ibid.
(18) Ibid.

fecte, in primo enim et secundo, primus et minus et gradus est et ordo; in uno autem nec gradus est nec ordo. Qui igitur diligit Deum plus quam proximum, bene quidem, sed nondum perfecte (1).

Homo in vita praesenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere quod reddetur penitus impeccabilis et amplius in gratia proficere non valebit; nam ut dicunt, si quis semper posset proficere posset aliquis Christo perfectior inveniri (2).

Homo potest in finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in praesenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata (3).

Quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata quodque anima non indiget lumine gloriae, ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum (4).

Se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, et perfecta anima licentiat a se virtutes (5).

Benedicta imo supra benedicta lex amoris omnem aufert proprietatem et dominium (6).

Actualis abdicatio cordialis voluntatis et temporalis potestatis dominii seu auctoritatis statum perfectissimum ostendit et efficit (7).

Oratio praesciti nulli valet (8).

Omnes sunt simoniaci qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus (9).

Juramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia (10).

Praeliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos (11).

Distinctio illa duplici amoris naturalis videlicet quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata (12).

Omne quod agit peccator vel servus peccati peccatum est.

Omnis amor naturalis creaturae, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.

Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

(1) Err. Ekkardi. *ut supra.* (2) Ibid.
(3) Ibid. (4) Ibid.
(5) Error Beguardor. et Beguin. a Clem. V damn. in Conc. Vienn. (6) Ibid.
(7) Err. fraticelli ab Urbano V damn.
(8) Ibid.
(9) Errores Wicleff a Martino V damn.
(10) Item.
(11) Prop. Luteri damn. a Leone X per Bullam 16 Maj. 1520 *Consurge Domine*.
(12) Error Bai. ad Greg. XIII damn.

LIBER QUARTUS

De opificio Dei.

CAPUT I.

DE ANGELIS ET HOMINIBUS.

Firmiter credimus et simpliciter confitemur quod unus solus est verus Deus aeternus unum universorum principium: creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam; diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali, homo vero diaboli suggestione peccavit (1).

Angeli quidem sunt purae mentes et incorruptibiles, homo autem mortalis; sed cum sit mentis ac disciplinae capax angelicam participat naturam. Rursus natura hominis naturae caeterorum animalium est particeps, quod et ipse, et ipsa caro et comedunt, et dormiunt, terramque communem habent, ex qua sumus sumpti, et in quam resolvimur usque ad transmutationem nostram ex corruptione in incorruptionem (2).

Creator enim noster Dominus Deus dum ad imaginem et similitudinem suam de limo terrae plasmasset hominem sagacitatis industria illustrans in proprio considerationis arbitrio divina inspiratione cuncta animalia et universa volatilia coeli et omnes bestias terrae propriis nominibus appellavit, et in ipsa appellatione permisit animantia permanere. Etiam et Abel divino ignitus spiritu de primogenitis gregis sui munera ex proprio considerationis arbitrio Domino obtulit. Pro quo legimus, quod respexit Deus ad Abel et ad munera ejus (3).

Centum Sexaginta Sanctorum Patrum in Constantinopolitana civitate congregatorum pias voces ut a Spiritu Sancto editas cognoscimus, et posteros nostros docemus, qui Theodorum Mopsuestiae Nestorii magistrum, et Origenem et Dydimum et Evagrium, qui gentiles fabulas rursus fictas retulerunt, et corporum quorumdam et animarum circuitiones et immutationes seu transmigrationes de integro ruminaverunt, suis quibusdam deliriis ac somniis, et in mor-

(1) Conc. Lateranen. IV an. 1215.

(2) Ex Sept. Synod. *Quomodo intelligendum sit Dei nomen*, etc. Ep. ad Imper., pag. 707, Collectionis Concilior. Edit. Romae ex Typogr. Rev. Camerae Apost. an. 1628.

(3) Adrianus Pp. in Epist. dogm. ad Imperat. missa in Synodo VII defin. Conc. VI, Can. 1.

tuorum resurrectionem impie ac contumeliose insultarunt, Synodice anathematizarunt et execrati sunt.

Sacro approbante Concilio (Lateranense) damnamus et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, et haec in dubium vertentes, cum illa non solum vere per se et essentialiter humani corporis forma existat, verum et immortalis et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata et multiplicanda sit. Quod manifeste constat ex Evangelio cum Dominus ait: « Animam non possunt occidere (1); » et alibi: « Qui odit animam suam in hoc mundo; in vitam aeternam custodit eam. » Et cum aeterna praemia et aeterna supplicia promerita vitae judicantis repromittit; alias incarnatio et alia Christi mysteria nobis minime profuissent, nec resurrectio expectanda foret, ac Sancti et justi miserabiliores essent juxta Apostolum cunctis hominibus (2). Cumque vero minime contradicat omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam definimus, et ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus: omnesque hujusmodi errores assertionibus inhaerentes veluti damnatissimas haereses seminantes, per omnia, ut detestabiles et abominabiles haereticos et infideles, Catholicam fidem labefactantes, vitandos et puniendos fore decernimus (3).

(1) Matth. x, Joan. II.
(2) II Cor. xv.
(3) Conc. Lateran., Leo X, Sess. 8.
(4) Conc. Trid.

CAPUT II.

DE ORIGINALI PECCATO EJUSQUE PROPAGATIONE.

Ut fides nostra Catholica sine qua impossibile est placere Deo purgatis erroribus in sua sinceritate integra et illibata permaneat et ne populus Christianus omni vento doctrinae circumferatur; cum serpens ille antiquus humani generis perpetuus hostis inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali ejusque remedio non solum nova etiam vetera dissidia excitaverit sacrosancta oecumenica Synodus (Tridentina) statuit fatetur ac declarat primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam, per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse. Nec sibi soli nocuisse et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam quam perdidit, non sibi soli, sed et nobis etiam perdidisse (4).

Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini et Salvatoris nostri voce fundata firmiter credit, profitetur et docet, neminem unquam ex viro feminaque conceptum, a diaboli domi-

natione fuisse liberatum, nisi per meritum mediatoris Dei et hominum Jesu Christi Domini nostri: qui sine peccato conceptus, natus et mortuus, humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit; et regni coelestis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni successione perdiderat, reseravit: quem aliquando venturum omnia veteris Testamenti sacra, sacrificia, sacramenta caerimoniae praesignarunt (1).

CAPUT III.

DE ALTERA VITA.

Credimus illorum animas qui post Baptisma susceptum nullam omnino maculam incurrunt, eas etiam animas, quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel iisdem corporibus sunt purgatae in coelum mox recipi... Et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est (2).

Immortales omnes animae sunt et impiorum quibus melius foret non in incorruptibilibus esse. Nam poena inextinguibile igne punite neque morientes, magno suo malo obtinere possunt (3).

Cum Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta et Sacris litteris, et antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis et novissime in hac Oecumenica Synodo docuerit purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. Praecipit Sancta Synodus Episcopis ut sanam de Purgatorio doctrinam a sanctis Patribus et sacris Conciliis traditam a Christifidelibus credi teneri doceri, et ubique praedicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores aut subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt et ex quibus plerumque nulla sit pietatis accessio a popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quae specie falsi laborant evulgari atque tractari non permittant. Ea vero quae ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant vel turpe lucrum sapiunt tamquam scandala, et fidelium offendicula prohibeant (4).

Sacrosancta Romana Ecclesia Domini et Salvatoris nostri voce fundata firmiter credit profitetur et praedicat nullus intra Catholicam Ecclesiam non existentes, non solum paganos, sed nec Judaeos aut haereticos atque schismaticos, aeternae vitae fieri posse participes; sed in ignem aeternum ituros qui paratus est diabolo et angelis ejus, nisi ante finem vitae eidem fuerint aggregati; tantumque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut solum in ea manentibus ad salutem ecclesiastica sacramenta proficiant; et jejunia, eleemosynae ac caetera pietatis officia et exercitia militiae christianae praemia aeterna parturiant. Neminemque, quantascumque eleemosynas fecerit, et si pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse salvari, nisi in Ca

(1) C. Decr. pro Jacobitis; sive Bulla Eug. IV *Cantate Domino*.

(2) Conc. Flor. in decr. union.

(3) Clemens Rom. cit. a Damasceno.

(4) Conc. Trid.

tholicae Ecclesiae gremio et unitate permanserit (1).

Firmiter credimus et tenemus quod omnes (tam reprobi, quam electi) cum suis propriis corporibus resurgent, quae nunc gestant (2).

CAPUT IV.

DE BEATAE VIRGINIS MARIAE CONCEPTIONE.

« Ineffabilis Deus cujus viae misericordia et veritas, cujus voluntas, omnipotentia, et cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, cum omni aeternitate praeviderit luctuosissimam humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis decreverit per Verbi incarnationem Sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum positum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat in secundo felicius erigeretur ab initio et ante saecula Unigenito suo matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit tantoque prae creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit.

« Quapropter illam a longe ante omnes angelicos spiritus, cunctosque Sanctos coelestium omnium chrismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta in eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem praeseferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cujus Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius. Quam virginalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili ejusdem sanctitate praecelsaque Dei matris dignitate omnino cohaerentem Catholica Ecclesia, quae a Sancto semper edocta Spiritu « columna est ac firmamentum veritatis » tamquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et coelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare proponere, ac favere nunquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et sacrorum antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam, ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum ejusdem Virginis conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem

(1) Bulla Eug. IV *Cantate Domino*.

(2) Conc. Later. IV. cap. *Firmiter*.

facto ipsius Virginis conceptionem veluti singularem, miram et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam, et omnino sanctam colendam exhibuit, cum Ecclesia nonnisi de Sanctis dies festos concelebret. Ipsissima verba quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, ejusque sempiternas origines repraesentant, consuevit (Ecclesia) tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta.

« Quamvis autem haec omnia penes ejusmodi decreto cum divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta. Quamvis autem haec omnia penes fideles ubique prope recepta ostendant, quo studio ejusmodi de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam ipsa Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater et magistra fuerit prosequuta, tamen illustria hujus Ecclesiae facta digna plane sunt, quae nominatim recensentur cum tanta sit ejusdem Ecclesiae dignitas atque auctoritas quanta illi omnino debetur, quae est catholicae veritatis, et unitatis centrum, in qua sola inviolabiliter fuit custodita Religio, et ex qua traducem fidei reliquae omnes Ecclesiae mutuentur oportet. Itaque eadem Romana Ecclesia nihil potius habuit quam eloquentissimis quibusque modis Immaculatam Virginis Conceptionem, ejusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare. Enimvero Praedecessores nostri vehementer gloriati sunt Apostolica sua auctoritate festum Conceptionis in Romana Ecclesia instituere, ac proprio officio, propriaque Missa, quibus praerogativa immunitatis ab haereditaria labe manifestissime asserebatur, augere, honestare, et cultum jam institutum omni ope promovere, amplificare, sive erogatis indulgentiis, sive facultate tributa civitatibus, provinciis regnisque ut Deiparam sub titulo Immaculatae Conceptionis patronam sibi deligerent, sive comprobatis Sodalitatibus, Congregationibus, Religiosisque familiis ad Immaculatae Conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria, xenodochia, altaria, templa sub Immaculati conceptus titulo erexerint, aut Sacramenti religione interposita Immaculatam Deiparae Conceptionem strenue propugnare spoponderit. Insuper summopere laetati sunt decernere Conceptionis festum ab omni Ecclesia esse habendum eodem censu ac numero quo festum Nativitatis, idemque Conceptionis festum cum octava ab universa Ecclesia celebrandum, et ab omnibus inter ea quae praecepta sunt, sancte colendum, ac Pontificiam Cappellam in Patriarchali nostra Liberiana Basilica die Virginis Conceptioni sacro quotannis esse peragendum. Atque exoptantes in fidelium animis quotidie magis favere hanc de Immaculata Deiparae Conceptionis doctrinam, eorumque pietatem excitare ad ipsam Virginem sine labe originali conceptam, colendam et venerandam, gavisi sunt quam libentissime facultatem tribuere ut in Lau-

retanis Litaniis, et in ipsa Missae Praefatione Immaculatas ejus Virginis proclamaretur conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur. Quoniam quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum ejusdem objecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit et in ambiguo versetur, idcirco decessores nostri Romani Pontifices omni cura Conceptionis cultum amplificantes, illius etiam objectum ac doctrinam declarare et inculcare impensissime studuerunt. Etenim clare aperteque docuere, festum agi de Virginis Conceptione, atque uti falsam et ab Ecclesiae mente alienissimam proscripserunt illorum opinionem qui non conceptionem ipsam, sed sanctificationem. Neque mitius cum iis agendum esse existimarunt, qui ad labefactandam de immaculata Virginis conceptione doctrinam, excogitato inter primum atque alterum conceptionis instans et momentum discrimine, asserebant, celebrari quidem conceptionem, sed non pro primo instanti atque momento. Ipsi namque (Romani Pontifices) suarum partium esse duxerunt, ex beatissimae Virginis Conceptionis festum, et conceptionem pro primo instanti tamquam verum cultus objectum omni studio tueri ac propugnare. Hinc decretoria plane verba, quibus Alexander VII sinceram Ecclesiae mentem declaravit inquiens: Sane vetus est Christifidelium erga ejus beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium, ejus animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii humani generis Redemptoris a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu ejus conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium. Atque illud in primis solemne quoque fuit iisdem (Romanis Pontificibus) doctrinam de immaculata Dei Matris conceptione sartam tectamque omni cura, studio et contentione tueri. Etenim non solum nullatenus passi sunt ipsam doctrinam quovis modo a quopiam notari atque traduci, verum etiam longe ulterius progressi, perspicuis declarationibus iteratisque vicibus edixerunt: doctrinam qua immaculatam Virginis conceptionem profitemur, esse, suoque merito haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem, ac prope universalem et ejusmodi, quam Romana Ecclesia sibi fovendam tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quae in sacra ipsa Liturgia, solemnioribus precibus usurparetur. Neque his contenti, ut ipsa de immaculato Virginis Conceptu doctrina inviolata persisteret, opinionem huic doctrinae adversam, sive publice, sive privatim, defendi posse severissime prohibuere, eamque multiplici veluti vulnere confectam esse voluerunt.

« Omnes norunt quanto studio haec de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrina a spectatissimis Religiosis familiis et celebrioribus theologicis Academiis ac praestantissimis divinarum rerum scientia doctoribus fuerit tradita, asserta ac propugnata. Omnes pariter norunt quantopere solliciti fuerint Sacrorum Antistites

vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita numquam originali subjacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et idcirco sublimiori modo redemptam. Quibus illud profecto gravissimum et omnino maximum accedit ipsam quoque Tridentinam Synodum cum dogmaticum de peccato originali decretum ederet, quo juxta Sacrarum Scripturarum sanctorumque Patrum ac probatissimorum Conciliorum testimonia statuit ac definivit: Omnes homines nasci originali culpa infectos; tamen solemniter declarasse: Non esse suae intentionis, in decreto ipso tantaque definitionis amplitudine comprehendere beatam et immaculatam Virginem Dei Genitricem Mariam. Hac enim declaratione Tridentini Patres, ipsam beatissimam Virginem ab originali labe solutam, pro rerum temporumque adjunctis, satis innuerunt atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis literis, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantae Virginis praerogativae quovis modo refragetur. Et re quidem vera hanc de Immaculata beatissimae Virginis Conceptione doctrinam quotidie magis gravissimo Ecclesiae sensu magisterio studio scientia ac sapientia tam splendide explicatam, declaratam, confirmatam et apud omnes catholici orbis populos ac nationes mirandum in modum propagatam in ipsa Ecclesia semper extitisse veluti a majoribus acceptam ac revelatae doctrinae caractere insignitam, illustria venerandae antiquitatis Ecclesiae Orientalis monumenta validissime testantur. Equidem Patres Ecclesiaeque Scriptores, coelestibus edocti eloquiis, nihil antiquius habuere quam in libris ad explicandas Scripturas, vindicanda dogmata, erudiendos fideles elucubratis summam Virginis sanctitatem, dignitatem atque ab omni peccati labe integritatem ejusque praeclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam, multis, mirisque modis certatim praedicare, atque efferre. Quapropter enarrantes verba quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians: et deceptoris serpentis retudit audaciam et nostri generis spem mirifice erexit inquiens: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, docuere: divino hoc oraculo clare aperteque demonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Jesum Christum ac designatam beatissimam ejus Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator assumpta natura, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic sanctissima Virgo arctissimo et indissolubili vinculo cum Eo conjuncta, una cum Illo et per Illum, sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens ac de ipso plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit,

ab Ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent.

« Ab antiquis temporibus sacrorum Antistites, Ecclesiastici viri, Regulares Ordines, ac vel ipsi Imperatores, et Reges ab hac Apostolica Sede enixe efflagitarunt ut Immaculatae Sanctissimae Dei Genitricis Conceptio veluti catholicae fidei dogma definiretur. Quae postulationes hac nostra quoque aetate iteratae fuerunt, ac potissimum felicis recordationis Gregorio XVI praedecessori nostro ac nobis ipsis oblatae sunt tum ab Episcopis, tum a Clero saeculari, tum a Religiosis familiis ac summis principibus et fidelibus populis. Nos itaque singulari animi nostri gaudio haec omnia probe noscentes ac serio considerantes, vix dum, licet immeriti, arcano divinae providentiae consilio ad hanc sublimem Petri Cathedram evecti totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus nihil certe antiquius habuimus, quam pro summa nostra vel a teneris annis erga Sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam veneratione, pietate et affectu ea omnia peragere, quae adhuc in Ecclesiae votis esse poterant, ut Beatissimae Virginis honor augeretur, ejusque praerogativae uberiori luce niterent. Itaque plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro Immaculata Sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis catholicorum Antistitum ac fidelium conspiratio et insignia praedecessorum nostrorum acta, Constitutiones mirifice illustrant atque declarant: rebus omnibus diligentissime perpensis et assiduis fervidisque ad Deum precibus effusis minime cunctandum nobis esse censuimus supremo Nostro judicio Immaculatam ipsius Virginis Conceptionem sancire, definire atque ita pientissimis catholici orbis desideriis, Nostraeque in ipsam Sanctissimam Virginem pietati satisfacere ac simul in Ipsa Unigenitum Filium suum Dominum Nostrum Jesum Christum magis atque magis honorificare, cum in Filium redundet quidquid honoris et laudis in matrem impenditur. Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et jejunio privatas nostras et publicas Ecclesiae preces Deo Patri per Filium ejus offerre, ut Spiritus Sancti virtute mentem nostram dirigere et confirmare dignaretur implorato universae coelestis Curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paraclyto Spiritu, eoque sic adspirante: ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis ac decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem fidei catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra declaramus, pronunciamus et definimus doctrinam quae tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus

fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire ii noverint ac porro sciant se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse (1). »

CANONES

De opificio Dei.

Si quis fabulosam animarum praeexistentiam, et quae ex illa consequitur, monstruosam restitutionem asseruerit; anathema sit (2).

Si quis astrologiae vel mathesi existimat esse credendum; anathema sit (3).

Si quis dixerit solem et lunam et astra ipsa quoque, cum ex eadem rationalium unitate essent ex conversione in pejus facta esse id quod sunt; anathema sit (4).

Si quis dixerit omnium rationalium productionem fuisse mentes corporis et materiae expertes, absque ullo numero et nomine, adeo ut eorum omnium fuerit unitas identitate substantiae, potentiae, et virtutis, atque unione et cognitione ergo Deum Verbum; satietatem autem illas cepisse divinae contemplationis et in deterius conversas esse, pro eo ac unaquaeque propensa fuerit in illud, et assumpsisse corpora subtiliora vel crassiora, nec non accepisse nomen, eo quod sicut nominum ita et corporum differentiae sunt apud supernas virtutes: atque hinc factum esse, ut alii Cherubim, alii Seraphim, alii Principatus, vel Potestates, vel Dominationes, vel Throni et Angeli, et quotquot sunt ordines coelestes, effecti fuerint ac vocati; anathema sit (5).

Si quis dixerit, animam humanam Dei portionem, vel Dei esse substantiam; anathema sit (6).

Si quis dixerit, rationalia refrigerata a divina charitate, crassis corporibus, qualia sunt nostra, illigata fuisse et homines vocata, alia vero cum ad summum malitiae pertigissent, frigidis tenebrosisque illigata esse corporibus; atque tum esse, tum appellari daemones, sive spiritualia nequitiae; anathema sit (7).

Si quis dixerit ex Angelico et Archangelico statu animalem statum fieri, ex animali autem daemoniacum et humanum; ex humano vero Angelos iterum daemonesque fieri, et singulos ordines coelestium virtutum, vel cunctos ex inferioribus, vel ex superioribus; vel ex superioribus et inferioribus constitisse; anathema sit (8).

Si quis dixerit vel crediderit carnes avium seu pecudum, quae ad escam datae sunt, non tantum pro castigatione hominum abstinendas, sed execrandas esse; anathema sit (9).

Si quis dixerit duplex extitisse daemonum genus constans ex animabus hominum et ex praestantioribus spiritibus ad hoc delapsis; unum autem

(1) Ex Bulla dogmatica Pii Papae IX.
(2) Canones Synodi V contra Origenem.
(3) Ex anathematismis Conc. a Toled. contra Priscillianistas ad normam Epist. dogm. Leonis Pp. emissis.
(4) Can. Synodi V. (5) Can. Conc. V.
(6) Ex anathem. a Conc. Tol., *ut supra*.
(7) Canon. Conc. V.
(8) Can. Syn. V.
(9) Ex anathematismis Conc. Toled., *ut supra*.

animum ex omni utique rationalium unitate immotum mansisse in Dei charitate et contemplatione: qui Christus cum fuerit et rex omnium rationalium, universam praetergressus sit corpoream naturam, coelum et terram, quaeque sunt intermedia: et quod mundus antiquiora ipsius existentiae elementa habens in se subsistentia, siccitatem, humorem, calorem, frigus et ideam, ad quam efformatus est, ita est factus, quodque sanctissima et consubstantialis Trinitas mundum non creaverit et ideo sit genitus: sed mens quam creatricem vocant, exsistens ante mundum, ipsique mundo existentiam largiens, genitum exhibuerit; anathema sit (1).

Cum vetus novaque lex Testamenti doceat, unicam homini eamque ratione et intelligentia pollentem esse animam, eamdemque sententiam deiloquorum omnium Patrum et Doctorum Ecclesiae doctrina confirmet; sunt tamen qui duas homini esse animas asserant, et quibusdam vitiosis ratiocinatiunculis suam haeresim stabiliant. Itaque sancta (octava) oecumenica Synodus hujus impietatis conditores cum tota secta sua magna voce anathematizat. Qui vero posthac contraria dicere ausus fuerit; anathema esto.

Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram, et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam, per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.

Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini, asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae; anathema sit:

cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione, transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio; aut negat ipsum Christi Jesu meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiae rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari; anathema sit:

quia non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat

(1) Conc. VIII, can. 7

nos salvos fieri. Unde illa vox: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et illa: Quicumque baptizati estis, Christum induistis.

Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit:

quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit; propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit:

in renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes: innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli removetur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur et sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quinimo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit; anathema sit.

Si quis dixerit quod futurum judicium significat omnimodam corporum abolitionem: et quod finis confictae fabulae est natura expers materiae: et quod in futuro nihil eorum erit quae constant materia, sed nuda et sola mens; anathema sit (1).

Si quis dixerit, quod omnium rationabilium unitas una erit, hypostasi et numero sublatis una cum corporibus: et quod cognitionem rationalium sequitur mundorum interitus et depositio corporum et nominum

(1) Can. Conc. V

abrogatio: quod identitas futura est cognitionis, quemadmodum et hypostaseon: et quod in fabulosa restitutione futurae sunt solae mentes nudae, quemadmodum in illa quam delirantes fingunt praeexistentia fuerunt; anathema sit (1).

Si quis dixerit, quod vita mentium eadem erit cum priore, quando nondum descenderant aut deciderant: ut principium sit idem cum fine, et finis mensura principii sit; anathema sit (2).

PROPOSITIONES DAMNATAE.

Non contraximus culpam ex Adam sed poenam tantum (3).

In omni opere etiam malo, tam culpae, quam poenae manifestari et relucere aequaliter gloriam Dei (4).

Omnes creaturae sunt purum nihil (5).

Aliquid est in anima quod est increatum et increabile, si tota anima esset talis: esset increata et increabilis. Et hoc est intellectus (6).

Homo in vita praesenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis et amplius in gratia proficere non valebit; nam (ut dicunt damnati auctores) si quis semper posset proficere posset aliquis Christo perfectior inveniri (7).

(1) Can. Conc. V. (2) Ibid.
(3) Capitula Abaelardi a Conc. Senon. a 1140 damnata ab Innocentio II.
(4) Ibid.
(5) Prop. Ekkardi a. 1329 damn. a Joan. XXII.
(6) Item.
(7) Damnat. errorum Beguardorum et Beguinarum facta a Clem. V in Concilio Viennensi.
(8) Ibid. (9) Ibid.
(10) Prop. damn. ab Inn. XI 23 Nov. 1679, Decreto S. Inquisit.

Homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in praesenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata (8).

Quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, et anima non indiget lumine gloriae, ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum (9).

Deus donat nobis omnipotentiam ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam aut librum (10).

Deus subjicit nobis suam omnipotentiam (11).

Gratia Adami non producebat nisi merita humana (12).

Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturae sanae et integrae (13).

Differentia essentialis inter gratiam Adami et status innocentiae, ac gratiam Christianam est quod primam unusquisque in propria persona recepisset, ista vero non recipitur nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus (14).

Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: gratia Christiana, nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens et digna Filio Dei (15).

Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia (16).

Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic

(11) Item.
(12) Prop. Quesnelli damn. a Clem. XI const. *Unigenitus* 1713.
(13) Ibid. (14) Ibid. (15) Ibid.
(16) Propositiones 79 Michaelis Bai, damnatae a S. Pio V. bulla " Ex omnibus afflictionibus, " etc. 1 oct. 1567, necnon a Gregorio XIII, bulla " Provisionis nostrae, " etc. 29 Jan. 1579, et ab Urbano VIII, bulla " In Eminenti, " etc. 6 mart. 1641.

bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium.

Et bonis Angelis, et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas essent merces, et non gratia.

Vita aeterna homini integro et Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.

In promissione facta Angelo et primo homini continetur naturalis justitiae constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita aeterna justis promittitur.

Naturali lege constitutum fuit homini, ut, si in obedientia persevararet, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturae sacrae non recte vocantur gratia: quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia, debeant nuncupari.

In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod sit gratis indignum collatum.

Dona concessa homini integro et Angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia, secundum usum Sacrae Scripturae, nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur, quae per Jesum Christum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet.

Solutio poenae temporalis, quae peccato dimisso saepe manet, et corporis resurrectio proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.

Quod pie et juste in hac vita mortali usque in finem vitae conversati vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae justo Dei judicio deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.

Pelagii sententia est: Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni coelestis meritorium.

Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum eo quod sint conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi.

Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi mercedem ampliorem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

Ratio meriti non consistit in eo quod qui bene operantur habeant gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod obediunt divinae legi.

Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.

Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo de gratia adoptionis sublimetur ad statum deificum.

Opera catechumenorum, ut Fides et Poenitentia ante remissionem

peccatorum facta, sunt vitae aeternae merita: quam vitam ipsi non consequentur nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur.

Opera justitiae et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt majorem valorem.

Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.

Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos II: Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, intelligunt de gentibus Fidei gratiam non habentibus.

Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut Fide, Spe et Charitate Deum supernaturaliter coleret.

A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quae ad pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et in Dei filium adoptatus.

LIBER QUINTUS

De Deo Redemptore.

CAPUT I.

DE INCARNATIONE.

Divina est auctoritas cui credimus: divina est doctrina, quam sequimur. Quoniam sive legis testificationi, sive oraculis prophetarum, sive evangelicae tubae interiorem amoveamus auditum; verum est quod Joannes plenus Spiritu Sancto intonuit: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Et similiter verum est, quod idem praedicator adjecit: « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. »

In utraque ergo natura idem est Dei Filius, nostra suscipiens, et propria non amittens; in homine hominem renovans in se incommutabilis perseverans. Deitas enim quae illi cum Patre communis est, nullum detrimentum omnipotentiae subiit, nec Dei formam servi forma violavit: quia summa et sempiterna essentia, quae se ad humani generis inclinavit salutem nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat, esse non destitit. Unde eum Unigenitus Dei minorem se Patre confitetur, cui se dicit aequalem: veritatem in se formae utriusque demonstrat, ut et humanam probet imparilitas et divinam declaret aequalitas (1).

Dei Filius, secundum plenitudinem temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam auctori suo naturam generis assumpsit humani ut inventor mortis diabolus, per ipsam, quam vicerat: vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno et mirabili aequitatis jure certatum est, dum omnipotens Dominus cum saevissimo hoste non in sua majestate sed in nostra congreditur humilitate; objiciens ei eamdem formam, eamdemque naturam, mortalitatis quidem nostrae participem, sed peccati totius expertem. Alienum quippe ab hac nativitate est, quod de omnibus legitur: « Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram. Nihil ergo in istam singularem nativitatem de carnis concupiscentia transivit, nihil de peccati lege manavit. Virgo regia davidicae regis eligitur, quae sacro gravidanda foetu, divinam huma-

(1) S. Leo Pp. Serm. VII de nativ. Dom.

namque Prolem prius conciperet mente quam corpore. Et ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret affatus; quod in ea operandum erat a Spiritu Sancto, colloquio discit angelico: nec damnum credit pudoris Dei Genitrix mox futura (1).

CAPUT II.

DE UNITATE PERSONAE DIVINAE IN CHRISTO.

« Nos, licet longe positi, ubi perversitate doctrinae cognovimus nostra membra lacerari, paterna sollicitudine nos urente, pro vobis alieno flagravimus incendio: licet inter Ecclesias Dei, quae ubique in unum Christi thalamum referuntur, nihil longe sit, nihil censeatur alienum. Cum ergo nostra viscera sitis, jure trepidavimus ne fidem vestram, quae ubique praedicatur, a tramite veritatis insinuatio male docentis avertat. Nam Nestorius Episcopus de virgineo partu, et de divinitate Christi Dei et Salvatoris nostri, velut ejus reverentiae et communis omnium salutis oblitus, nefanda praedicat, vitanda persuadet: sicut et ejus scripta ad nos ab ipso cum propria subscriptione transmissa: sicut etiam relatio Sancti fratris et Coepiscopi mei Cyrilli per filium meum Possidonium diaconum ad me missa patefecit. Quibus omnibus recensitis, magnam vitandamque perversitatem impiae praedicationis invenimus. Humanam enim in Christo nostro discutit, divinamque naturam; nunc solum hominem, nunc ei societatem Dei, quoties tamen dignatur assignans. Sed nos, sicut Jeremias ait, talium prophetarum non possumus vanos audire sermones (2).

« In (illo) qui de Deo nostro aliter disputat, quam ipse de se, aut de ipso Apostoli tradiderunt, quid spei inveniemus ignoro. Qui non solum attritos non alligat, sed et conterit alligatos; non solum elisos non elevat, sed etiam stantes conatur allidere; non solum dispersa non colligit, sed et collecta dispergit: quamvis nec conteri possit Domino mens dicata, nec elidi qui stat virtute coelesti, sic nec sancta turba dispergi. Aperte ergo dilectioni vestrae, quod sine lacrymis non possumus dicere nuntiamus. Movit disputator vester (Nestorius) praelium veritati, antiquae fidei intulit manus: impugnat Apostolos, Prophetas respuit, ipsius Domini Dei nostri de se dicentis verba non sequitur. Cujus religionis, et quibus legibus seipsum Episcopum dicit abusus veteri et novo Testamento? Nam intellectum figurae respuit et inter nos versatam non recipit veritatem. Aliter denique de *Christi Dei nostri* jactat arcano, quam fidei nostrae patitur Sacramentum quod reverenter secutus est omnis catholicus disputator. Nemo enim bene religioni deditus aliud de Christo sentit, quam de se voluit ipse sentiri (3).

« Unde vehementer contristata sunt

(1) S. Leo Pp. Serm. 1 de nativ.

(2) Coelestinus Pp. Presbyteris, Diaconis, Clericis, Dei servis populoque catholico dilectis fratribus Constantinopolitanis. — Concil. Eph. p. 1. Edit. Labbe.

(3) Ibid.

nostra viscera, quod is qui Constantinopolitanam obtinere videtur Ecclesiam, devotissimis Christi populis perversa quaedam contra reverentiam virginei partus et contra spem salutis infundit. Haec ad nos ingerente dolore fidelium pervenerunt: haec libris, quos ipse emiserat publicata sunt; et quod majoris probationis est, haec ad nos missis epistolis ipsa auctoris subscriptione munitis, ita insinuata sunt, ut dubitari ultra non liceat, unde quoniam in talibus causis non est tuta longior conniventia, quia tantumdem paene criminis est connivere a talibus, quanti sceleris est tam sacrilega praedicare: et Episcopum Nestorium, et si quis alius eum secutus haec praedicat a nostra communione secrevimus, quamdiu scriptura professionis emissa, perversitatem, quam coeperat docere, condemnet; et hanc de virgineo partu, idest, de humani generis salute fidem asserat se tenere, quam secundum Apostolicam doctrinam Romana et Alexandrina, et Catholica universalis Ecclesia tenet et veneratur, et praedicat. Si quis vero aut ab Episcopo Nestorio, aut ab aliis, qui eum sequuntur, ex quo talia praedicare coeperunt, vel excommunicatus vel exutus est; seu antistitis, seu clerici dignitate, hunc in nostra communione et durasse et durare manifestum est. Nec indicavimus remotum quia non poterat quemquam ejus removere sententia, quia se jam praebuerat ipse removendum (1). »

« Professi ad haec sunt (omnes Orientis Episcopi), ac Nos Sanctam Virginem Dei Genitricem esse, nec adjecerunt quod Christi Genitrix sit aut hominis Genitrix, quemadmodum dicunt qui infelices execrandasque Nestorii opiniones tuentur. Asseruerunt praeterea disertis verbis unum esse Filium, unum Dominum, unum Christum; Deum nimirum Verbum ante omne saeculum ineffabili modo ex Deo Patre genitum idemque novissimis temporibus secundum in carnem ex muliere natum; ita ut idem Deus sit et homo, idem perfectus in deitate, perfectus rursum in humanitate. Credunt denique unam illius esse personam, nec ulla ratione unum eumdemque in duos filios, aut duos Christos, aut duos dominos dispertiuntur. Si qui igitur sunt, qui illos diversa ab his sentire affirmaverint, nulla eorum dictis fides habeatur: verum tamquam impostores et mendaces secundum patrem suum amandentur, ne illos qui recte incedere cupiunt conturbent (2). »

« Sacrosancta igitur Romana Ecclesia Domini et Salvatoris nostri voce fundata firmiter credit, profitetur et praedicat unam ex Trinitate personam, verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri consubstantialem et coaeternum, in plenitudine temporis, quam divini Consilii inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis veram hominis integramque naturam ex immaculato utero Mariae Virginis assumpsisse et sibi in unitatem personae copulasse tanta unitate, ut quid-

(1) Ejusdem Caelestini Pp. ad Joannem Episc. Antioch., Conc. Eph. p. 1.

(2) Ex Epistola Xisti Pp. ad Cyrillum Alexandrinum. — Vide Concil. Eph. p. III, Ed. Labbé.

quid ibi Dei est, non sit ab homine separatum; et quidquid est hominis, non sit a deitate divisum; sitque unus et idem indivisus, utraque natura in suis proprietatibus permanente, Deus et homo, Dei filius et hominis filius, aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem: immortalis et aeternus ex natura divinitatis, passibilis et temporalis ex conditione assumptae humanitatis (1). »

CAPUT III.

DE VERA NATIVITATE, PASSIONE, MORTE ATQUE RESURRECTIONE CHRISTI.

« Firmiter credit, profitetur et praedicat Dei filium in assumpta humanitate ex Virgine vere natum, vere passum, vere mortuum et sepultum, vere ex mortuis resurrexisse, in coelum ascendisse, sedereque ad dexteram Patris et venturum in fine saeculorum ad vivos mortuosque judicandos (2).

« Firmiter credit, profitetur et docet, neminem unquam ex viro feminaque conceptum a diaboli dominatione fuisse liberatum nisi per meritum mediatoris Dei et hominum Jesu Christi Domini nostri: qui sine peccato conceptus, natus et mortuus, humani generis hostem peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit: et regni coelestis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni successione perdiderat, reseravit: quem aliquando venturum omnia veteris Testamenti sacra, sacrificia sacramenta, caerimoniae praesignarunt (3). »

Quid iniquius, quam impia sapere et sapientioribus doctioribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro non ad propheticas voces, non ad apostolicas litteras, nec ad evangelicas veritates, sed ad semetipsos recurrunt. Et ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris novi et veteris Testamenti paginis acquisivit, qui nec ipsius quidem Symboli initia comprehendit? et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur istius (Euthychis), adhuc senis, corde non capit. Nesciens igitur quid deberet de Verbi Dei incarnatione sentire, nec valens ad promerendum intelligentiae lumen, in Sanctarum Scripturarum latitudine laborare, illam saltem communem et indiscretam confessionem sollicite apprehendisset auditu, qua fidelium universitas profitetur credere se in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Quibus tribus sententiis omnium fere haereticorum machinae destruuntur. Cum enim Deus et omnipotens et aeternus Pater creditur, consempiternus eidem Filius demonstratur, in nullo a Patre differens, quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens de aeterno natus est coeternus, non posterior

(1) Decretum pro Jacobitis sive Bulla Eugenii IV *Cantate Domino*.

(2) Ibid.

(3) Ibid.

tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus essentia. Idem vero sempiterni Genitoris unigenitus sempiternus, natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Quae nativitas temporalis illi nativitati divinae et sempiternae nihil minuit, nihil contulit; sed totam se, reparando homini, qui erat deceptus, impendit, ut et mortem vinceret; et diabolum, qui mortis habebat imperium, sua virtute destrueret. Non enim superare nos possemus peccati et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet, et suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe est de Spiritu Sancto intra uterum Matris Virginis, quae ita illum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit. Sed si de hoc Christianae fidei fonte purissimo sincerum intellectum haurire non poterat quia splendorem perspicuae veritatis obcaecatione sibi propria tenebrarat, doctrinae se evangelicae subdidisset, dicente Matthaeo, Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham apostolicae quoque praedicationis expetisset instructum, et legens in epistola ad Romanos: « Paulus servus Jesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem;» ad propheticas paginas piam sollicitudinem contulisset, et invenisset promissionem Dei ad Abraham dicentis: « In semine tuo benedicentur omnes gentes. » Et ne hujus seminis proprietate dubitaret secutus fuisset Apostolum dicentem: Abrahae dictae sunt promissiones et semini ejus. Non dicit, et in seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno, et in semine tuo, quod est Christus. Isaiae quoque praedicationem interiore apprehendisset auditu dicentis: « Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus. » Ejusdemque prophetae fideliter verba legisset: « Puer natus est nobis et filius datus est nobis, cujus potestas super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus (admirabilis consiliarius), Deus fortis, princeps pacis, pater futuri saeculi. » Nec frustratorie loquens, ita Verbum diceret carnem factum, ut editus ex utero Virginis Christus, haberet formam hominis et non haberet materni corporis veritatem. An forte ideo putavit Dominum nostrum Jesum Christum non nostrae esse naturae quia missus ad beatam Mariam Angelus, ait: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei: » et quia conceptus Virginis, divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti? Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, et mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Foecunditatem enim Virgini Spiritus Sanctus dedit; veritas autem sumpta de corpore est: et aedificante sibi sapientia domum, Verbum caro factum est et habitavit

in nobis, hoc est in ea carne quam sumpsit ex homine et quam spiritu vitae rationalis animavit.

CAPUT IV.

DE DISTINCTIONE REALI DUARUM NATURARUM IN CHRISTO.

Salva igitur proprietate utriusque naturae, et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas et ad resolvendum conditionis nostrae debitum, natura inviolabilis, natura est unita passibili; ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem « mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (1) » et mori non posset ex altera. In integra ergo veri hominis perfectaque natura, verus natus est Deus: totus in suis totus in nostris. Nostra autem dicimus, quae in nobis ab initio creator condidit et quae reparanda suscepit. Nam illa, quae deceptor intulit et homo deceptus admisit nullum habuere in Salvatore vestigium. Nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati, humana augens, divina non minuens: quia exinanitio illa, qua se invisibilis visibilem praebuit et creator et Dominus omnium rerum unus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma Dei, fecit hominem, idem in forma servi, factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura. Et sicut formam servi, Dei forma non adimit, ita formam Dei servi formam non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus, hominem sua fraude deceptam, divinis caruisse muneribus, et immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de praevaricatoris consortio invenisse solatium; Deum quoque, justitiae exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, propriam mutasse sententiam: opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non potest sua benignitate privari, primam erga nos pietatis suae dispensationem, sacramento occultiore compleret, et homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam contra Dei propositum non periret.

Ingreditur ergo haec mundi infima Filius Dei de coelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris: incomprehensibilis voluit comprehendi: ante tempora manens, esse coepit ex tempore: universitatis Dominus servilem formam, obumbrata majestatis suae immensitate suscepit: impassibilis Deus, non dedignatus esse homo passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate generatus, quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit. Assumpta est igitur de matre Domini natura, non culpa: nec in Domino Jesu Christo, ex utero Virginis ge-

(1) Tim. II.

nito, quia nativitas est mirabilis, ideo natura est dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo. Et nullum est in hac unitate mendacium dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo deitatis.

Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab aequalitate paternae gloriae non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Unus enim idemque est (quod saepe dicendum est) vere Dei Filius et vere hominis filius. Deus per id quod in principio erat Verbum, homo per id, quod Verbum caro factum est et habitavit in nobis; Deus per id quod omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: homo per id quod factus est ex muliere factus est sub lege. Nativitas carnis, manifestatio est humanae naturae: partus Virginis, divinae est virtutis indicium. Infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum: magnitudo Altissimi declaratur vocibus Angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impius molitur occidere: sed Dominus est omnium, quem Magi gaudentes veniunt suppliciter adorare. Jam cum ad praecursoris sui Joannis baptismum venit ne lateret quod carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de coelo intonans dixit: « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. » Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia eidem sicut Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere, atque dormire, evidenter humanum est: sed quinque panibus quinque millia hominum satiare, et largiri Samaritanae aquam vivam, cujus haustus bibenti praestat, ne ultra jam sitiat; supra dorsum maris, plantis non subsidentibus, ambulare, et elationes fluctuum increpata tempestate consternere, sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo (ut multa praeteream) non ejusdem naturae est, flere miserationis affectu amicum mortuum, et eumdem, remoto quatriduanae aggere sepulturae, ad vocis imperium excitare redivivum; aut in ligno pendere, et in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere; aut clavis transfixum esse et paradisi portas fidei latronis aperire: ita non ejusdem naturae est dicere: « Ego et Pater unum sumus; » et dicere: « Pater major me est. » Quamvis enim in Domino Jesu Christo Dei et hominis una persona sit; aliud tamen est, unde in utroque communis est contumelia; aliud, unde communis est gloria, de nostro enim illi est Patre humanitas: de Patre illi est aequalis cum Patre divinitas.

CAPUT V.

DUAE NATURAE IN CHRISTO INDIVISIBILITER SUNT UNITAE; NON SUNT NEC COMMIXTAE NEC CONFUSAE.

Propter hanc unitatem personae, in utraque natura intelligendam, et filius hominis legitur descendisse de coelo, cum Filius Dei carnem de ea

Virgine, de qua est natus, assumpserit. Et rursus Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cum haec non in divinitate ipsa, qua unigenitus consempiternus et consubstantialis est Patri, sed in naturae humanae sit infirmitate perpessus. Unde Unigenitum Filium Dei crucifixum et sepultum, omnes etiam in Symbolo confitemur, secundum illud Apostoli dictum: « Si enim cognovissent numquam Domini majestatis crucifixissent. » Cum autem ipse Dominus noster atque Salvator fidem discipulorum suis interrogationibus erudiret. « Quem, inquit, dicunt homines esse filium hominis? » cumque illi diversas aliorum opiniones retexuissent. « Vos autem, ait, quem me esse dicitis? » Me utique, qui sum filius hominis, et quem in forma servi, atque in veritate carnis aspicitis? Ubi beatus Petrus divinitus inspiratus et confessione sua omnibus gentibus profuturus. « Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi. » Nec immerito beatus est pronuntiatus a Domino et a principali petra soliditatem et virtutis traxit et nominis, qui per revelationem Patris eumdem et Filium Dei est confessus et Christum: quia unum horum sine alia receptam non proderat ad salutem, sed aequalis erat periculi Dominum Jesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse. Post resurrectionem vero Domini, quae utique vere corporis fuit, quia non alter est resuscitatus, quam qui fuerat crucifixus et mortuus, quid aliud quadraginta dierum mora gestum est, quam ut fidei nostrae integritas ab omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum discipulis suis, et cohabitans atque convescens, et pertractari se diligenti curiosoque contactu ab eis, quos dubietas perstringebat, admittens, ideo et clausis ad discipulos januis introibat, et flatu suo dabat Spiritum Sanctum et donato intelligentiae lumine, Sanctarum Scripturarum occulta pandebat: et rursus vulnus lateris, fixuras clavorum et omnia recentissimae passionis signa monstrabat, dicens: « Videte manus meas et pedes, quia ego sum, palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere, » ut agnosceretur in eo proprietas divinae humanaeque naturae individua permanere et ita sciremus Verbum non hoc esse quod carnem, et unum Dei filium et Verbum confiteremur et carnem (1).

Unum quippe eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, ex duabus et in duabus substantiis inconfuse, incommutabiliter, indivise inseparabiliter subsistere cognoscimus, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, sed potius salva proprietate utriusque naturae et in unam unamque subsistentiam concurrente, nos in dualitatem personarum dispertitum vel diversum, neque in unam compositam naturam confusum, sed unum eumdemque Filium unigenitum Deum Verbum Dominum nostrum Jesum Christum neque alium in alio, neque alium et alium, sed eumdem ipsum in duabus naturis, idest in deitate et humanitate, et post subsisten-

(1) Ep. Synod. Leonis Pp.

tialem adunationem cognoscimus: quia neque Verbum in carnis naturam conversum est, neque caro in Verbi naturam transformata est: permansit enim utrumque quod naturaliter erat: differentiam quippe adunatarum in eo naturarum sola contemplatione discernimus, ex quibus inconfuse, inseparabiliter et incommutabiliter est compositus: unus enim ex utrisque et per unum utraque quia simul sunt et altitudo deitatis et humilitas carnis, servante utraque natura etiam post adunationem sine defectu proprietatem suam, et operante utraque forma cum alterius communione quod proprium habet: Verbo operante quod Verbi est et carne exequente quod carnis est: quorum unum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis (1).

CAPUT VI.

DE DUABUS VOLUNTATIBUS ET OPERATIONIBUS IN CHRISTO.

Unde consequenter, sicut duas naturas, sive subsistentias, idest deitatem et humanitatem inconfuse, indivise, incommutabiliter eum habere confitemur, ita quoque et duas naturales voluntates et duas naturales operationes habere, utpote perfectum Deum et perfectum hominem unum eumdemque ipsum Dominum Jesum Christum pietatis nos regula instruit, quia hic nos apostolica et evangelica traditio, sanctorum Patrum magisterium quos sancta apostolica atque catholica Ecclesia et venerabiles Synodi suscipiunt, instituisse monstratur (2).

(1) Leo Papa Epist. XV.

Assecuti quoque sancta quinque universalia Concilia et sanctos atque probabiles Patres, consonanterque confiteri definientes Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum nostrum, unum de sancta et consubstantiali et vitae originem praebente trinitate perfectum in deitate et perfectum eumdem in humanitate, Deum vere et hominem vere eumdem ex anima rationali et corpore; consubstantialem Patri secundum deitatem et consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato; ante saecula quidem ex Patre genitum secundum deitatem, in ultimis diebus autem eumdem propter nos et propter nostram salutem de Spiritu Sancto ex Maria Virgine proprie et veraciter Dei genitrice secundum humanitatem unum eumdemque Christum Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, indivise cognoscendum, nusquam extincta harum naturarum differentia propter unitionem salvataque magis proprietate utriusque naturae, et in unam personam, et in unam subsistentiam concurrente non in duas personas partitum vel divisum, sed unum eumdemque unigenitum Filium Deum verum Dominum Jesum Christum, juxta quod olim prophetae de eo, et ipse nos Dominus Jesus Christus erudivit, et sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum; et duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum

(2) Agath. Pp. et Romana Synodus in Epist. dogmatica ad Imperat. suscepta a Concilio VI.

sanctorum Patrum doctrinam aeque praedicamus, ut duas naturales voluntates non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem sed potius et subjectam divinae ejus ac omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri, subjici vero voluntati divinae, juxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim ejus caro, caro Dei Verbi dicitur et est, ita et naturalis carnis ejus voluntas propria Dei Verbi dicitur et est, sicut ipse ait: « Quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris, » suam propriam dicens voluntatem, quae erat carnis ejus. Nam et caro propria ejus facta est. Quemadmodum enim sanctissima atque immaculata animata ejus caro deificata non est perempta, sed in proprio sui statu et ratione permansit: ita et humana ejus voluntas deificata, non est perempta, sed in proprio sui statu et ratione permansit: ita et humana ejus voluntas deificata, non est perempta, salvata est autem magis secundum deiloquum Gregorium dicentem: « Nam illius velle, quod in Salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum totum. » Duas vero naturales operationes indivisa, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino nostro Jesu Christo vero Deo nostro est, divinam operationem et humanam operationem, secundum divinum praedicatorem Leonem apertissime asserentem: agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est. Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. Nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei et creaturae, ut neque quod creatum est, in divinam educamus essentiam: neque quod eximium est divinae naturae, ad competentem creaturis locum dejiciamus. Unius enim ejusdemque tam miracula quam passiones cognoscimus, secundum aliud et aliud earum, ex quibus est, creaturarum et in quibus habet esse, sicut admirabilis inquit Cyrillus. Undique igitur inconfusum atque indivisum conservantes, brevi voce cuncta proferimus, unum sanctae Trinitatis et post Incarnationem Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum nostrum esse credentes, asserimus duas ejus esse naturas in una ejus radiantes subsistentia, in qua tamen miracula, quam passiones per omnem sui dispensativam conversationem, non per phantasiam, sed veraciter demonstravit ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia cognoscendam, dum cum alterius communione utraque natura indivise et inconfuse propria vellet, atque operaretur: juxta quam rationem et duas naturales voluntates et operationes confitemur, ad salutem humani generis convenienter in eo concurrentes. His igitur cum omni undique cautela atque diligentia a nobis formatis, definimus aliam fidem nulli licere proferre aut conscribere, componere, aut sapere vel etiam docere (1).

(1) Definitio Synodi VI. Constantinopol. III, an. 680.

CANONES

De Incarnatione Verbi divini.

Anathematizamus Photinum, qui Ebionis haeresim instaurans Dominum Jesum Christum tantum ex Maria confitetur (1).

Anathematizamus eos, qui duos filios asserunt, unum ante saecula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine (2).

Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali et intelligibili, dicunt Dei Verbum in humana carne versatum, cum ipse Filius sit Verbum Dei, et non pro anima rationali et intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est, intelligibilem sine peccato animam susceperit atque salvaverit (3).

Si quis dixerit quod in carne constitutus Filius Dei, cum esset in terra, in coelis cum Patre non erat; anathema sit (4).

Si quis dixerit quod in passione crucis dolorem sustinebat Filius Dei Deus, et non caro cum anima, qua induerat formam servi, quam sibi acceperat, sicut ait Scriptura; anathema sit (5).

Si quis non dixerit, quod in carne, quam assumpsit, sedet ad dexteram Patris, in qua venturus est judicare vivos et mortuos; anathema sit (6).

Si quis dixerit vel crediderit Christum innascibilem esse; anathema sit (7).

Si quis dixerit vel crediderit deitatem nascibilem esse; anathema sit (8).

Si quis dixerit vel crediderit, deitatem Christi convertibilem fuisse vel passibilem; anathema sit (9).

Si quis dixerit vel crediderit, deitatis et carnis unam in Christo esse naturam; anathema sit (10).

Si quis dixerit Christum, qui dicitur in forma Dei existere et ante omnia saecula Deo Verbo unitum, novissimis diebus exinanivisse semetipsum ad naturam humanam, misertum illius quae facta est, ut ajunt, multiplex prolapsio eorum, qui erant in eadem unitate: et cum vellet ipsos restituere, per omnes extitisse, et diversa corpora induisse, et nomina sumpsisse, omnia omnibus factum: in Angelis Angelum, sed et in virtutibus virtutem, et in aliis ordinibus vel speciebus rationalium congruenter singulis transformatum fuisse: postea similiter nobis communicasse carni et sanguini et factum esse hominibus hominem et non confitetur Deum Verbum exinanitum fuisse et hominem factum fuisse; anathema sit (11).

Si quis non dixerit Deum Verbum consubstantialem Deo et Patri ac Sancto Spiritui incarnatum et hominem factum, unum ex Sancta Trinitate, proprie Christum esse, sed abusive, propter Mentem, quae ut ajunt exinanivit semetipsam: tamquam

(1) Anathematismi a Damaso Pp. emissi in Synodo Romana IV, an. 378 vel 379, adversus Macedonianos Apollinaristas, aliosque haereticos suscepti a Concilio Constantinop. I laudati a Pp. Coelestino et Vigilio.

(2) Ibid. (3) Ibid.

(4) Ibid. (5) Ibid.

(6) Ibid. (7) Ibid.

(8) Ibid. (9) Ibid.

(10) Ibid.

(11) Canones Synodi Constantinop. sub Menna habitae et a Synodo V suscepti contra Origenem.

conjunctam ipsi Deo Verbo, et quae proprie Christus dicitur; sed illum propter hunc Christum esse, et hunc propter illum esse Deum: anathema sit (1).

Si quis dixerit, quod non Verbum Dei incarnatum carne animata anima rationali et intelligente, descendit ad inferos, et rursum in coelum idem ascendit: sed eum qui ab ipsis dicitur Mens, quem impie loquentes dicunt esse proprie Christum, factum cognitione Monadis: anathema sit (2).

Si quis dixerit Domini corpus post resurrectionem fuisse aetereum et figura sphaerica; et quod talia etiam reliquorum post resurrectionem futura sunt corpora: et quod ipso Domino primum deponente proprium suum corpus et omnibus similiter, abibit in nihilum natura corporum; anathema sit (3).

Si quis dixerit, quod uniuntur Deo Verbo per omnia similiter coelestes virtutes, et omnes homines et diabolus, et spiritalia nequitiae, ut ipsa Mens quae dicitur ab ipsis Christus, et quae in forma Dei est, et exinanivit, ut ajunt, semetipsam: et quod finis erit regni; anathema sit (4).

Si quis dixerit, quod nulla re omnino Christus discrepabit ab ulla rationabilium creaturarum, neque essentia, neque cognitione, neque potestate aut virtute supra universa: sed futuros omnes a dextris Dei: quemadmodum qui ab illis dicitur Christus, quemadmodum fuere in illa quam fabulantur praeesistentia; anathema sit (5).

(1) *Ut supra.* (2) Item. (3) Item.
(4) Item. (5) Item.

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem ipsum unum sanctae et consubstantialis et venerandae Trinitatis Deum Verbum e coelo descendisse et incarnatum ex Spiritu Sancto et Maria semper Virgine, et hominem factum crucifixum carne, propter nos sponte passum sepultumque et resurrexisse tertia die, et ascendisse in coelos, atque sedentem in dextera Patris et venturum iterum cum gloria paterna cum assumpta ab eo atque animata intellectualiter carne ejus, judicare vivos et mortuos, condemnatus sit (6).

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque Virginem Immaculatam Mariam, utpote ipsum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter eam genuisse indissolubili, permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit (7).

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem, ipsius et unius Domini nostri et Dei Jesu Christi duas nativitates, tam ante saecula ex Deo et Patre incorporaliter et sempiternaliter, quamque de Sancta Virgine semper Dei genitrice Maria corporaliter in ultimis saeculorum, atque unum eumdemque Dominum nostrum et Deum Jesum Christum consubstantialem

(6) Ex Canon. Concilii Lateran. sub Martino I. an. 649 suscepti ab Agathone Pp. occasione Synodi VI.
(7) Item.

Deo et Patri secundum deitatem et consubstantialem homini et Matri secundum humanitatem, atque eumdem passibilem carne, et impassibilem deitate, eumdem inconditum et conditum, terrenum et coeleste, visibilem et intelligibilem, capabilem et incapabilem: ut toto homine eodemque et Deo totus homo reformaretur, qui sub peccato cecidit, condemnatus sit (1).

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam, per hoc quod incarnata dicitur nostra substantia perfecta in Christo Deo et indiminute, absque tantummodo peccato significata, condemnatus sit (2).

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem ex duabus et in duabus naturis substantialiter unitis, inconfuse et indivise unum eumdemque esse Dominum et Deum Jesum Christum, condemnatus sit (3).

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem substantialem differentiam naturarum inconfuse et indivise in eo salvatam, condemnatus sit (4).

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem naturarum substantialem unitionem indivise et inconfuse in eo cognitam, condemnatus sit (5).

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem naturales proprietates deitatis ejus et humanitatis indiminute in eo et sine deminoratione salvatas, condemnatus sit (6).

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem duas unius ejusdemque Christi Dei nostri voluntates cohaerenter unitas, divinam et humanam, ex hoc quod per utramque ejus naturam voluntarius naturaliter idem consistit nostrae salutis, condemnatus sit (7).

Si quis secundum scelerosos haereticos unam Christi Dei nostri voluntatem confitetur et unam operationem, in peremptionem sanctorum Patrum confessionis, et abnegationem ejusdem Salvatoris nostri dispensationis, condemnatus sit (8).

Si quis secundum scelerosos haereticos in Christo Deo in unitate substantialiter salvatis et a sanctis Patribus nostris pie praedicatis duabus voluntatibus et duabus operationibus, divina et humana, contra doctrinam Patrum et unam voluntatem atque unam operationem confitetur, condemnatus sit (9).

Si quis secundum scelerosos haereticos cum una voluntate et una operatione, quae ab haereticis impie confitetur, et duas voluntates pariterque et operationes, hoc est, divinam et humanam, quae in ipso Christo Deo in unitate salvantur, et a sanctis Patribus orthodoxe in ipso praedicantur, denegat, et respuit, condemnatus sit (10).

Si quis secundum scelerosos hae-

(1) *Ut supra.*
(2) Item. Deest autem in codicibus aliquibus vocabulum, forsan *operator* quod invenitur in Can. 11.
(3) Item.
(4) Item.
(5) Item.
(6) Item.
(7) Item.
(8) Item.
(9) Item.
(10) Item.

reticos deivirilem operationem, quod Graeci dicunt θεανδρικὴν unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur, secundum sanctos Patres, hoc est, divinam et humanam, aut ipsam deivirilis, quae posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam, sed non utriusque mirificae et gloriosae unitionis demonstrativam, condemnatus sit (1).

Si quis secundum scelerosos haereticos in peremptione salvatis in Christo Deo essentialiter in unitione et sanctis Patribus pie praedicatis duabus voluntatibus et duabus operationibus, hoc est, divina et humana, dissensiones et divisiones insipienter mysterio dispensationis ejus innectit, et propterea evangelicas et apostolicas de eodem Salvatore voces non uni eidemque personae et essentialiter tribuit eidem ipsi Domino et Deo nostro Jesu Christo secundum beatum Cyrillum, ut ostendatur Deus esse et homo idem naturaliter, condemnatus sit (2).

ALII CANONES

De persona Christi, et distinctione naturarum et operationum in eo.

Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei Genitricem Sanctam Virginem: peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est: Verbum caro factum est; anathema sit (3).

Si quis non confitetur, carni secundum substantiam (4) unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eumdem scilicet Deum simul et hominem; anathema sit (5).

Si quis in uno Christo dividit substantias (6) post unitionem, sola eas connexione conjungens, eamque quae secundum carnis dignitatem fit, vel etiam auctoritatem et potestatem, ac non potius conventu, qui per unitatem factus est naturalem; anathema sit (7).

Si quis in personis duabus vel subsistentiis, eas voces quae in Apostolicis scriptis continentur et Evangelicis, dividit, vel quae de Christo dicuntur a Sanctis, vel ab ipso, et aliquas quidem ex his velut homini, qui praeter Dei Verbum specialiter intelligatur aptaverit, illas autem tamquam dignas Deo, soli Dei Patris Verbo deputaverit; anathema sit (8).

Si quis audeat dicere, hominem Christum Theophorum, id est Deum ferentem, ac non potius Deum esse veraciter dixerit, tamquam filium per naturam secundum quod Verbum factum est caro, et communicavit similiter ut nos carni et sanguini; anathema sit (9).

Si quis dicit, Deum esse vel Dominum Christi, Dei Patris Verbum, et non magis eumdem ipsum confitetur Deum simul et hominem, propterea quod Verbum caro factum

(1) *Ut supra.* (2) Item.
(3) Canones Concilii Ephesini.
(4) Versio antiqua vocabulum ὑπόστασιν *per substantiam* reddidit: item Syn. V, Can. 13. Retinent alii versionem *secundum substantiam*, sicut Patavius, L. 6 de Incarnat., c. XVII, ad anath. 2 Cyrilli.
(5) Canones Concilii Ephesini.
(6) Item dicendum.
(7) Can. Conc. Ephes. (8) Item. (9) Item.

est, secundum Scripturas; anathema sit (1).

Si quis velut hominem Jesum operante Deo Verbo dicit adjutum, et Unigeniti gloriam tamquam alteri praeter ipsum existenti tribuit; anathema sit.

Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum et nuncupandum Deum, tamquam alterum cum altero (2) ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est; anathema sit (3).

Si quis unum Dominum Jesum Christum glorificatum dicit a Spiritu Sancto, tamquam qui aliena virtute per eum usus fuerit, et ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus, posse et coram hominibus divina signa perficere, ac non potius fatetur ejus proprium spiritum per quem divina signa explevit; anathema sit (4).

Pontificem et Apostolum Confessionis nostrae factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri. Si quis ergo Pontificem et Apostolum nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum quando caro factum est, et homo juxta nos homines, sed velut alterum praeter ipsum specialiter hominem ex muliere, aut qui dicit quod pro se obtulisset semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis (non enim egnit oblatione qui peccatum omnino nescivit); anathema sit (5).

Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse, et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius praeter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi cuncta vivificare volentis; anathema sit (6).

Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis secundum quod vita est, et vivificator ut Deus; anathema sit (7).

Si quis non confitetur, Dei Verbi esse duas nativitates, unam quidem ante saecula et sine tempore ex Patre incorporaliter, aliam vero ejusdem in ultimis diebus descendentis de coelo, et incarnati ex Sancta gloriosa Dei genitrice semperque Virgine Maria, qui natus est ex ea; anathema sit (8).

Si quis dicit alium esse Deum Verbum qui miracula fecit, et alium Christum qui passus est, vel Deum Verbum cum Christo esse dicit quando ex muliere nascebatur, vel in ipso esse ut alterum in altero, et non unum eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum Dei Verbum, incarnatum et hominem factum, atque ejusdem miracula et passiones, quas sponte passus est carne; talis anathema sit (9).

(1) Canones Concilii Ephesini.
(2) Nam cum syllaba superadjecta haec cogit intelligi. (3) Can. Conc. Ephes. (4) Item.
(5) Item (6) Item. (7) Item.
(8) Can. Syn. V de tribus capitulis.
(9) Item.

Si quis dicit secundum gratiam vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum aequalitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut effectum, aut virtutem, unionem Dei Verbi ad hominem factam esse, aut secundum bonam voluntatem, quasi quod placuit Deo Verbo homo, quia bene visum est ei de ipso, sicut Theodorus insaniens dicit, vel secundum solam nominis similitudinem, quam Graeci homonymiam vocant, per quam Nestoriani Deum Verbum Jesum et Christum vocantes, et hominem separatim Christum et Filium nominantes, et duas personas manifeste dicentes, per solam nominationem, et honorem, et dignitatem, et adorationem, et unam personam, et unum Christum confingunt dicere: sed non confitetur sicut Sancti Patres docuerunt, unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali et intellectuali secundum compositionem, idest secundum subsistentiam factam, et propterea unam ejus subsistentiam, qui est Dominus noster Jesus Christus, unus de Sancta Trinitate; talis anathema sit (1).

Cum enim multis modis unitas intelligitur, aliquando quidem impietatem Apollinaris et Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum quae convenerunt colentes, unitionem secundum confusionem praedicant; Theodori antem et Nestorii sequaces, divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt. Sancta Dei vero Ecclesia utriusque perfidiae impietatem ejiciens, unitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Unitio enim pro compositione in Christi mysterio, non solum inconfusa ea quae convenere conservat, sed neque divisionem suscipit (2).

Si quis unam subsistentiam Domini nostri Jesu Christi ita intelligit, tamquam suscipientem multarum substantiarum significationem, et propterea conatur introducere in mysterio Christi duas subsistentias vel personas, et ab eo introductis duabus personis unam personam dicit per dignitatem et honorem et adorationem, sicut Theodoros et Nestorius insanientes conscripserunt, et calumniantur S. Synodum Chalcedonensem tamquam secundum hunc impiissimum intellectum usam unius subsistentiae vocabulo, sed non confitetur Dei Verbum carni substantialiter uniri, et propterea unam ejus substantiam, vel unam personam, et ita Sanctam Chalcedonensem Synodum unam substantiam Domini nostri Jesu Christi confiteri; talis anathema sit (3).

Neque enim adjutionem personae vel substantiae Sancta Trinitas suscepit, et incarnato uno de eadem Trinitate Deo Verbo (4).

Si quis abusive et non vere Dei Genitricem dicit Sanctam gloriosam semper Virginem Mariam aut per relationem tamquam homine puro nato, non autem Deo Verbo ex ea incarnato, sed relata secundum illos hominis nativitate in Deum Verbum, tamquam cohaerens nascenti homini;

(1) Canones Synodi V de tribus capitulis. (2) Item. (3) Item. (4) Item.

et criminatur Sanctam Chalcedonensem Synodum, tamquam secundum eumdem impium intellectum a Theodoro commentatum, Dei Genitricem Virginem asserentem; aut si quis hominis genitricem vocat eam, aut Christi Genitricem, utpote Christo non existente Deo, et non specialiter et secundum veritatem Dei Genitricem, eamdem confitetur, ob id quod ante saecula a Patre genitus Deus Verbum, in ultimis diebus ex ea incarnatus et natus est, atque ita pie Sanctam Chalcedonensem Synodum Dei Genitricem eam confiteri; talis anathema sit (1).

Si quis in duabus naturis dicens, non ut in deitate et humanitate unum Dominum nostrum Jesum Christum cognosci confitetur, ut per hoc significet differentiam naturarum, ex quibus inconfusa et ineffabilis unitas facta est, neque Verbo in naturam carnis transfigurato, neque carne ad Verbi naturam translata (manet enim utrumque quod est secundum naturam) et post factam unitionem substantialiter; sed in divisionem per partem hujusmodi suscipit vocem in mysterio Christi, aut numerum naturarum confitens in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo Deo Verbo incarnato, et non tantummodo contemplatione differentiam eorum accipit, ex quibus et compositus est, non interempta proprietate propter unitatem (unus enim ex utrisque et per unum utraque), sed propterea numero utitur, tamquam divisas et propria subsistentia consistentes naturas habeat; talis anathema sit (2).

Si quis ex duabus naturis deitate et humanitate confitens unitionem factam fuisse, vel unam naturam Dei Verbi incarnati dicens, et non sic has voces intelligit, sicut Sancti Patres docuerunt, quod ex divina natura et humana, unitione secundum subsistentiam facta, unus Christus factus est, sed ex hujusmodi vocibus unam naturam sive substantiam deitatis et carnis Christi introducere conatur; talis anathema sit.

Secundum substantiam enim dicentes carni unigenitum Verbum unitum esse, non confusionem quamdam ad invicem naturarum factam fuisse dicimus, magis autem manente utraque hoc quod est, unitum esse carni intelligimus Verbum. Propter quod et unus est Christus, idem Deus et homo, consubstantialis Patri, secundum deitatem, et consubstantialis nobis idem secundum humanitatem. Similiter enim et eos, qui per partes dividunt, vel incidunt et confundunt dispensationis mysterium Christi, avertitur, et anathematizat Catholica Dei Ecclesia (3).

Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duae adorationes introducuntur semotim Deo Verbo, et semotim homini; aut si quis ad peremptum carnis aut in confusionem deitatis et humanitatis unam naturam, sive essentiam convenientium portentuose dicens sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod Sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est; talis anathema sit.

(1) Canones Synodi V de tribus capitulis. (2) Item. (3) Item.

Si quis non confitetur crucifixum carne Dominum nostrum Jesum esse Deum verum et Dominum gloriae, et unum de Sancta Trinitate; talis anathema sit (1).

Si quis defendit Theodorum impiissimum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, et alium Christum, et passionibus animae et concupiscentiis carnis molestatum, et a malis molestatum, et a malis paulatim separantem se, et ita ex promotione operum melioratum, et ex vitae conversatione incontaminatum constitutum, tamquam purum hominem baptizari in nomine Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, et per Baptismum gratiam Sancti Spiritus accipere et adoptionem promereri, et ad similitudinem imperialis imaginis in personam Dei Verbi adorari; post resurrectionem inconvertibilem secundum intellectum, et sine peccato penitus factum. Et iterum dicente eodem impiissimo Theodoro unionem Dei Verbi ad Christum talem factam fuisse, qualem dixit Apostolus in marito et uxore: « Erunt duo in carne una. » Et super alias innumerabiles ejus blasphemias, praesumente dicere, quod post resurrectionem sufflans Dominus in discipulos suos et dicens: « Accipite Spiritum Sanctum: » non dedit Spiritum Sanctum, sed tantum schemate sufflavit. Hic autem et confessionem Thomae, per quam, dum palparet manum vel latus Domini post resurrectionem, dixit: « Deus meus, et Dominus meus» asseruit non fuisse dictum de Christo a Thoma. Nec enim esse eum Deum dicit, sed miraculo resurrectionis obstupescentem Thomam glorificasse Deum, qui suscitavit Christum. Quod autem pejus est, et in interpretatione facta ab eo in gestis Apostolorum quasi comparans idem Theodorus Christum Platoni, vel Manichaeo et Epicuro, et Marcioni dicit: quia sicut unusquisque illorum inveniens propriam sectam, discipulos suos fecit nominari Platonicos, et Manichaeos, et Epicuraeos, et Marcionistas, simili modo et Christo inveniente sectam, ex ipsa Christianos vocari. Si quis igitur defendit praedictum impiissimum Theodorum, vel impia ejus scripta, in quibus tam praedictas quam et alias innumerabiles blasphemias evomuit adversus magnum Deum, et Salvatorem nostrum Jesum Christum, et non anathematizat eum, vel impia ejus conscripta, et omnes qui susceperint aut defendunt eum, aut dicentes recte eum exponere, et eos qui pro ipso scripserunt, aut pro eo scribunt, vel ejus impia conscripta, et eos qui similia ei sapiunt, aut sapuerunt aliquando et usque ad finem permanserunt, aut permanent in hujusmodi impietate; talis anathema sit (2).

Si quis defendit impia scripta Theodoreti, quae contra rectam fidem exposita sunt, et primam Ephesinam Sanctam Synodum, et S. Cyrillum, vel duodecim ejus capitula (3), et ea omnia quae conscripsit pro Theodoro et Nestorio impiissimis, vel aliis qui similia praedictis Theodoro et Nestorio impiissime sapuerunt, et recipit eos, vel impietatem eorum, at-

(1) Canones Synodi V, in libro capitulis.
(2) Idem.

(3) Rectius superiorum, nos scilicet Conc. Ephes.

que propterea impios vocat Ecclesiae doctores qui substantialiter unitionem Dei Verbi ad carnem confitentur, et non anathematizat praedicta impiissime conscripta, et eos qui similia his sapuerunt vel sapiunt, sed et omnes qui contra rectam fidem scripserunt, aut contra beatae memoriae Cyrillum vel duodecim ejus capitula, et in hac impietate defuncti sunt; talis anathema sit (1).

Si quis defendit Epistolam, quam dicitur Iba scripsisse ad Marim Persam, quae denegat quidem Dei Verbum ex Sancta Genitrice semperque Virgine Maria incarnatum hominem factum, dicit autem purum hominem ex ea natum fuisse, quem templum vocat tamquam alio existente Verbo et alio homine, sed et S. Cyrillum rectam Christianorum fidem praedicantem reprehendit haereticum, et similia scelesti Apollinaris scribentem, atque vituperat Ephesinam Sanctam primam Synodum, tamquam sine judicio et requisitione Nestorium deponentem, sed et duodecim capitula beatae memoriae Cyrilli impia et adversa rectae fidei nominat praedicta impia epistola et defendit Theodorum et Nestorium, et impia eorum dogmata et conscripta. Si quis igitur praedictam epistolam defendit, et non eam anathemati submittit, et eos qui defendunt eam, et dicunt rectam esse, aut partem ejus, et eos qui conscripserunt vel scribunt pro ea, sive pro impietatibus, quae in ipsa continentur, et praesumentes ea defendere, aut positas in ea impietates ex nomine Sanctorum Patrum aut Sanctae Chalcedonensis Synodi, et usque ad finem in his permanserunt; talis anathema sit (2).

His igitur ita confessis a nobis, quae et accepimus de divina Scriptura a Sanctorum Patrum doctrina, et definitis de una eademque fide a praedictis sanctis quatuor Conciliis, facta vero et a nobis super haereticos, vel impietatem eorum, sed et contra eos qui defendere praesumserunt aut defendunt praedicta tria capitula, aut permanserunt et permanent in proprio errore et condemnatione: Si quis conatus fuerit contraria his, quae a nobis pie terminata sunt, tradere aut docere, aut scribere, si quidem Episcopus est, aut in clero connumeratus, talis extranea et a sacerdotum et ecclesiastica disciplina peragens denudabitur ab episcopatu aut clero, si autem monachus aut laicus fuerit; anathematizabitur (3).

(1) Canones Synodi V de tribus capitulis. (2) Item. (3) Item.

LIBER SEXTUS

De Justificatione.

CAPUT I.

DE NATURAE ET LEGIS AD JUSTIFICANDOS HOMINES IMBECILLITATE.

Ad justificationis doctrinam probe et sincere intelligendam oportet ut unusquisque agnoscat et fateatur, quod cum omnes homines in praevaricatione Adae innocentiam perdidissent, facti immundi, et ut Apostolus inquit, natura filii irae (quemadmodum Sancta Tridentina Synodus in decreto de peccato originali exposuit) usque adeo servierant peccati, et sub potestate diaboli ac mortis ut non modo gentes per vim naturae, sed ne Judaei quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi inde liberari, aut pergere possent; tametsi in eis liberum arbitrium minimum extinctum esset, viribus licet attenuatum et inclinatum.

CAPUT II.

DE DISPENSATIONE ET MYSTERIO ADVENTUS CHRISTI.

Quo factum est ut coelestis Pater, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, Christum Jesum, Filium suum, et ante legem, et legis tempore multis Sanctis Patribus declaratum ac promissum cum venit beata illa plenitudo temporis ad homines miserit, ut et Judaeos, qui sub lege erant redimeret: et gentes quae non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent: hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

CAPUT III.

QUI PER CHRISTUM JUSTIFICANTUR.

Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus, gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos semper agere hortatur Patri, qui dignos

nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, et eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum.

CAPUT IV.

INSINUATUR DESCRIPTIO JUSTIFICATIONIS IMPII, ET MOTUS EJUS IN STATU GRATIAE.

Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur Filius primi Adae, in statum gratiae, et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum, quae quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

CAPUT V.

DE NECESSITATE PRAEPARATIONIS AD JUSTIFICATIONEM IN ADULTIS, ET UNDE SIT.

Declarat (sancta Tridentina Synodus) praeterea ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse; hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris litteris cum dicitur: « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, » libertatis nostrae admonemur, cum respondemus: « Converte nos, Domine ad te, et convertemur; Dei nos gratia praeveniri confitemur. »

CAPUT VI.

MODUS PRAEPARATIONIS.

Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti; fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante

Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est: « Accedentem ad Deum oportet credere, quia est » et quod inquirentibus se remunerator sit. Et, «Confide, fili: remittuntur tibi peccata tua. » Et, « Timor Domini expellit peccatum. » Et, « Poenitentiam agite, » et, « baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus Sancti. » Et: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare, quaecumque mandavi vobis.» Denique, « Praeparate corda vestra Domino. »

CAPUT VII.

QUID SIT JUSTIFICATIO IMPII, ET QUAE EJUS CAUSAE.

Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur; quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. Unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae. Hujus justificationis causae sunt, finalis quidem, gloria Dei et Christi, ac vita aeterna: efficiens vero misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae: meritoria autem, dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus: qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit: instrumentalis item, Sacramentum Baptismi; quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio: demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est; sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur; sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret, unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem: nam fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit: qua ratione verissime dicitur, Fidem sine operibus mortuam et otiosam esse. Et: In Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque praeputium; sed fidem, quae per chari-

tatem operatur. Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam aeternam praestantem; quam sine spe et charitate fides praestare non potest. Unde et statim Verbum Christi audiunt: « Si vis in vitam ingredi, serva mandata.» Itaque veram et Christianam justitiam accipientes, eam ceu primam stolam, pro illa quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam et immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, et habeant vitam aeternam.

CAPUT VIII.

QUOMODO INTELLIGATUR, IMPIUM PER FIDEM, ET GRATIS JUSTIFICARI.

Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit et expressit; ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur; si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.

CAPUT IX.

CONTRA INANEM HAERETICORUM FIDUCIAM.

Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, et in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est, cum apud haereticos et schismaticos possit esse, imo nostra tempestate sit, et magna contra Ecclesiam Catholicam contentione praedicetur vana haec et ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi ac justificari, nisi eum, qui certo credat se absolutum et justificatum esse, atque hac sola fide absolutionem, et justificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

—

CAPUT X.

DE ACCEPTAE JUSTIFICATIONIS INCREMENTO.

Sic ergo justificati, et amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem: hoc est, mortificando membra carnis suae, et exhibendo ea arma justitiae in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur, sicut scriptum est: Qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum: Ne vereatis usque ad mortem justificari. Et rursus: Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. Hoc vero justitiae incrementum petit Sancta Ecclesia, cum orat: « Da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum. »

CAPUT XI.

DE OBSERVATIONE MANDATORUM, DEQUE ILLIUS NECESSITATE ET POSSIBILITATE.

Nemo autem, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat, ut possis. Cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, et onus leve. Qui enim sunt Filii Dei, Christum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus. Quod utique cum divino auxilio praestare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est et humilis, et verax: « Dimitte nobis debita nostra: » quo fit, ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiae sentire debeant, quo liberati jam a peccato, servi autem facti Deo, sobrie, juste et pie viventes proficere possint per Christum Jesum: per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus namque, sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandire debet, putans fide sola se haeredem esse constitutum, haereditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur ut et conglorificetur. Nam et Christus ipse, ut inquit Apostolus, cum esset filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam; et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae. Propterea Apostolus ipse monet justificatos dicens: « Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite, ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem

verberans: sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. » Item Princeps Apostolorum Petrus: « Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: haec enim facientes, non peccabitis aliquando. » Unde constat, eos orthodoxae religionis doctrinae adversari, qui dicunt, justum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut quod intolerabilius est, poenas aeternas mereri: atque etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam: cum scriptum sit: « Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem, » et de Moyse dicat Apostolus, quod respiciebat in remunerationem.

CAPUT XII.

PRAEDESTINATIONIS TEMERARIAM PRAESUMPTIONEM CAVENDAM ESSE.

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum: quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

—

CAPUT XIII.

DE PERSEVERANTIAE MUNERE.

Similiter de perseverantiae munere, de quo scriptum est: « Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit: » quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum qui cadit, restituere; nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant; et cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationibus, in jejuniis et castitate. Formidare enim debent scientes quod in spem gloriae, et nondum in gloriam renati sunt de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

CAPUT XIV.

DE LAPSIS ET EORUM REPARATIONE.

Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum exci-

tante Deo, per Poenitentiae Sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsis reparatio: quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus Sacramentum instituit Poenitentiae, cum dixit: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt. Unde docendum est, Christiani hominis poenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum; verum etiam eorumdem sacramentalem Confessionem, saltem in voto, et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem; itemque Satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitae exercitia; non quidem pro poena aeterna, quae vel Sacramento, vel Sacramenti voto, una cum culpa remittitur; sed pro poena temporali, quae, ut sacrae litterae docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum Sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti. De qua poenitentia scriptum est: « Memor esto, unde excideris: age poenitentiam, et prima opera fac. » Et iterum: « Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur. » Et rursus: « Poenitentiam agite, et facite fructus dignos poenitentiae. »

CAPUT XV.

QUOLIBET MORTALI PECCATO AMITTI GRATIAM SED NON FIDEM.

Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est: non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur; sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non ammittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divinae legis doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles excludit, sed et fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, caeterosque omnes, qui letalia committunt peccata; a quibus cum divinae gratiae adjumento abstinere possunt, et pro quibus a Christi gratia separantur.

CAPUT XVI.

DE FRUCTU JUSTIFICATIONIS, HOC EST, DE MERITO BONORUM OPERUM DEQUE IPSIUS MERITI RATIONE.

Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino, non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Et: No-

lite omittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. Haec est enim illa corona justitiae, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus, a justo judice sibi reddendam: non solum autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt adventum ejus. Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent: nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro hujus vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur; cum Christus Salvator noster dicat: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Ita neque propria nostra justitia, tanquam ex nobis propria statuitur: neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei. Quae enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem justificamur; illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum: et Apostolus testetur, id quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis: absit tamen, ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino; cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes; unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et judicium ante oculos habere debet, neque se ipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, judicare; quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda et judicanda est, sed Dei: qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo, qui, ut scriptum est, reddet unicuique secundum opera sua.

Post hanc Catholicam de justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit: placuit Sanctae (Tridentinae) Synodo, hos Canones subjungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant.

CANONES

De justificatione.

Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo; anathema sit.

Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam aeternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit; anathema sit.

Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.

Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesia; anathema sit.

Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli; anathema sit.

Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit.

Si quis dixerit, gehennae metum per quem ad misericordiam Dei peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.

Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi; anathema sit.

Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse; anathema sit.

Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.

Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae, peccata remittentis propter Christum; vel eam

fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.

Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari ex eo, quod se absolvi ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anathema sit.

Si quis dixerit, hominem renatum, et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero praedestinatorum; anathema sit.

Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.

Si quis justificationis gratiam non nisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum; anathema sit.

Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.

Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem, caetera esse indifferentia; neque praecepta, neque prohibita; sed libera, aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.

Si quis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum: quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitae aeternae, sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.

Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant; anathema sit.

Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.

Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam; anathema sit.

Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo poenas aeternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.

Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint; anathema sit.

Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti; anathema sit.

Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.

Si quis dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine Sacramento Poenitentiae, prout Sancta Romana et universalis Ecclesia a Christo Domino et ejus Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit et docuit; anathema sit.

Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit; anathema sit.

Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur; anathema sit.

Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloria augmentum; anathema sit.

Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de justificatione, a Sancta Synodo (Tridentina) hoc praesenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriae Dei, vel meritis Jesu Christi Domini nostri derogari, et non potius veritatem fidei nostrae, Dei denique ac Christi Jesu gloriam illustrari; anathema sit.

LIBER SEPTIMUS.

De Sacramentis.

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Novae legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium. Quae multum a Sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiae regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spei spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide; renati autem et roborati, nutrimur divina Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum aegritudinem ncurrimus animae per poenitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam et corporaliter (prout animae expedit) per extremam Unctionem. Per Ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter. Per Matrimonium corporaliter augetur. Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum. Inter haec Sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio et Ordo, quae characterem, idest, spirituale quoddam signum, a caeteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt (1).

Ad consummationem salutaris de justificatione doctrinae quae uno omnium Patrum (Concilii Tridentini) consensu promulgata fuit, consentaneum visum est de sanctissimis Ecclesiae Sacramentis agere, per quae omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur. Propterea sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, ad errores eliminandos, et extirpandas haereses quae circa sanctissima ipsa Sacramenta hac nostra tempestate, tum de damnatis olim a Patribus nostris haeresibus suscitatae, tum etiam de novo adinventae sunt,

(1) Decretum Eugenii IV.

quae Catholicae Ecclesiae puritati, et animarum saluti magnopere officiunt, Sanctarum Scripturarum doctrinae, Apostolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum et Patrum consensui inhaerendo hos praesentes canones statuendos et decernendos censuit; reliquos qui supersunt ad coepti operis perfectionem deinceps divino Spiritu adjuvante editura.

CANONES

De Sacramentis in genere.

Si quis dixerit Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo, Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem, non esse vere et proprie Sacramentum; anathema sit.

Si quis dixerit, ea ipsa novae legis Sacramenta a Sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caerimoniae sunt aliae, et alii ritus externi; anathema sit.

Si quis dixerit, haec septem Sacramenta ita esse inter se paria; ut nulla ratione aliud sit alio dignus; anathema sit.

Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.

Si quis dixerit, haec Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.

Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.

Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus; anathema sit.

Si quis dixerit, per ipsa novae legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.

Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.

Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.

Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.

Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum

pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum; anathema sit.

Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos; aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu emitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit.

CAPUT II.

DE BAPTISMO.

Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitae spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae. Quia cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus (ut inquit Veritas) in regnum coelorum introire. Materia hujus Sacramenti, est aqua vera et naturalis: nec refert frigida sit an calida. Forma autem est: « Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. » Non tamen negamus, quin et per illa verba « Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, » vel « Baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, » verum perficiatur Baptisma; quoniam cum principalis causa ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctae Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae et facere intendat, quod facit Ecclesia. Hujus Sacramenti effectus, est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio; sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt (1).

CANONES

De Baptismo.

Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.

Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto; ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.

Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quae omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam; anathema sit.

Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine

(1) Eugen. IV decretum pro Arm.

Patris, et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.

Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.

Si quis dixerit, Baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.

Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantam fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae; anathema sit.

Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.

Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quae post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factae, irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi Baptismo; anathema sit.

Si quis dixerit, peccata omnia, quae post Baptismum fiunt sola recordatione et fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit.

Si quis dixerit, verum et rite collatum Baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur; anathema sit.

Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.

Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae; anathema sit.

Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONE.

Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, qui odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto. Forma autem est: « Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; » ordinarius minister est Episcopus. Et cum caeteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus im-

positionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat: « Cum enim audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. » Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen, aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum (1).

CANONES

De Confirmatione.

Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesin quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.

Si quis dixerit Sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit.

CAPUT IV.

DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO. — DE REALI PRAESENTIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI IN SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Principio docet Sancta (Tridentina) Synodus et aperte ac simpliciter profitetur, in almo S. Eucharistiae Sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter, ac substantialiliter sub specie illarum rerum sensibilium contineri, nec enim haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in coelis assideat, juxta modum existendi naturalem; et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, et constantissime credere debemus: ita enim majores nostri omnes, quoquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima coena Redemptorem nostrum instituisse; cum post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis praebere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est; quae verba a sanctis Evangelistis commemorata, et a doctore Paulo postea repetita, cum

(1) Eugenius IV in decreto pro Armenis.

propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt; indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas Carnis et Sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiae sensum detorqueri: quae tanquam columna et firmamentum veritatis, haec ab impiis hominibus excogitata commenta, velut Satanica, detestata est, grato semper et memore animo praestantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

CAPUT V.

DE RATIONE INSTITUTIONIS SS. HUJUS SACRAMENTI.

Ergo Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit; suamque annunciare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me: et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae, et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit; ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.

CAPUT VI.

DE EXCELLENTIA SS. EUCHARISTIAE SUPER RELIQUA SACRAMENTA.

Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum caeteris Sacramentis, symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem: verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est: nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod praebebat, et semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. Qua-

propter verissimum est, tantundem sub alterutra specie atque sub utraque contineri, totus enim et integer Christus, sub panis specie; et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, et sub ejus partibus existit.

Quoniam autem Christus Redemptor noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec (Tridentina Synodus) declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus, quae conversio convenienter et proprie a sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata.

CAPUT VII.

DE CULTU ET VENERATIONE HUIC SANCTISSIMO SACRAMENTO EXHIBENDA.

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino ut sumatur, institutum; nam illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur. Declarat praeterea sancta Synodus (Tridentina) pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. Aequissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repraesentatur. Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et haeresi triumphum agere; ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universae Ecclesiae laetitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

CAPUT VIII.

DE ASSERVANDO SACRAE EUCHARISTIAE SACRAMENTO, ET AD INFIRMOS DEFERENDO.

Consuetudo asservandi in sacrario Sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam saeculum etiam Nicaeni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, et hunc usum diligenter in ecclesiis conservari, praeterquam quod cum summa aequitate et ratione con-

junctum est; tum multis in Conciliis praeceptum invenitur, et vetustissimo catholicae Ecclesiae more est observatum. Quare sancta haec Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit.

CAPUT IX.

DE PRAEPARATIONE QUAE ADHIBENDA EST, UT DIGNE QUIS SACRAM EUCHARISTIAM PERCIPIAT.

Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte: certe, quo magis sanctitas et divinitas coelestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: « Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini. » Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus praeceptum: « Probet seipsum homo. » Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec Sancta (Tridentina) Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris; quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

CAPUT X.

DE USU ADMIRABILIS HUJUS SACRAMENTI.

Quoad usum autem, recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc Sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt; quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum coelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt: tertios porro sacramentaliter simul et spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant. In Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent; sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos, tamquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet. Demum autem paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat, et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiae symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantae Majestatis, et tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum; haec sacra mysteria corporis et san-

guinis ejus, ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint; et is vere eis sit animae vita, et perpetua sanitas mentis; cujus vigore confortati ex hujus miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

Quoniam autem non est satis, veritatem dicere, nisi detegantur et refellantur errores; placuit Sanctae (Tridentinae) Synodo hos Canones subjungere, ut omnes jam agnita Catholica doctrina, intelligant quoque, quae ab illis haereses caveri vitarique debeant.

CANONES

De Sacrosancto Eucharistiae Sacramento.

Si quis negaverit, in Sanctissimae Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.

Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat; anathema sit.

Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.

Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini; anathema sit.

Si quis dixerit, vel praecipuum fructum Sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.

Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiae Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiae Sanctae ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.

Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post consecrationem

astantibus necessario distribuendam: aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.

Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter ac realiter; anathema sit.

Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae; anathema sit.

Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare; anathema sit.

Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum; anathema sit. Et, ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur; statuit, atque declarat ipsa Sancta Synodus; illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris necessario praemittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

CAPUT XI.

DE NECESSITATE ET INSTITUTIONE SACRAMENTI POENITENTIAE.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum, esset, ut justitiam, in Baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam, constanter tuerentur; non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum; illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, et daemonis potestatem tradidissent Sacramentum videlicet Poenitentiae; quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem Poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait: Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis poenitentiam commendans, dicebat: Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. Porro nec ante adventum Christi poenitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: «Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.» Quo tam insigni facto et verbis tam

perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica, tamquam haereticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum Sancta haec (Tridentina) Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei et Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent.

CAPUT XII.

DE DIFFERENTIA SACRAMENTI POENITENTIAE ET BAPTISMI.

Caeterum hoc Sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur; nam praeterquam quod materia et forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet: constat certe, Baptismi ministrum judicem esse non oportere; cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis qui foris sunt, judicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit: nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal, tamquam reos sisti voluit; ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari. Alius praeterea est Baptismi, et alius Poenitentiae fructus: per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem et integritatem per Sacramentum poenitentiae, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut merito Poenitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.

CAPUT XIII.

DE PARTIBUS ET FRUCTU HUJUS SACRAMENTI.

Docet praeterea Sancta (Tridentina) Synodus Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti quibus quidem de Ecclesiae Sanctae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt

necessariae. Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius poenitentis actus, nempe Contritio, Confessio et Satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Poenitentiae partes dicuntur. Sane vero res et effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, et cum devotione hoc Sacramentum percipientibus; conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Haec de partibus et effectu hujus Sacramenti Sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui poenitentiae partes, incussos conscientiae terrores et fidem esse contendunt.

CAPUT XIV.

DE CONTRITIONE.

Contritio quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius; et in homine post Baptismum lapso, ita demum praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur Sancta Synodus, hanc Contritionem non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis; et facite vobis cor novum et spiritum novum. Et certe, qui illos Sanctorum clamores consideraverit: « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae; » et alios hujus generis; facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactae vitae odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet praeterea, etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem imperfectam, quae Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae; declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sa-

cramento Poenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae, ad Jonae praedicationem, plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit, sed et falso docent, Contritionem esse extortam, et coactam, non liberam et voluntariam.

CAPUT XV.

DE CONFESSIONE.

Ex institutione Sacramenti Poenitentiae jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere: quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad coelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam praesides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint: quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi praecepta commissa, quae nonnunquam animum gravius sauciant, et periculosiora sunt iis, quae in manifesto admittuntur: nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum, cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines irae filios, et Dei inimicos reddant; necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta et verecunda Confessione, a Deo quaerere. Itaque dum omnia, quae memoriae occurrunt, peccata, Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinae misericordiae agnoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, et scienter aliqua retinent, nihil divinae bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt: si enim erubescat aegrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur praeterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant: quod sine illis peccata ipsa neque a poenitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam, quam oportet, pro illis poenitentibus imponere. Unde alienum a ratione est, docere

circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed et impium est, Confessionem, quae hac ratione fieri praecipitur, impossibilem dicere; aut carnificinam illam conscientiarum appellare; constat enim, nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiae suae sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit, reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me, Domine. Ipsa vero hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus, digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur. Caeterum, quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensae aedificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent Confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu secreta Confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia Sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christifideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat, sed ut praeceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur, unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi, sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimae: quem morem haec Sancta Synodus maxime probat et amplectitur, tamquam pium et merito retinendum.

CAPUT XVI.

DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI ET ABSOLUTIONE.

Circa ministrum autem hujus Sacramenti, declarat Sancta (Tridentina) Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter Episcopos et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini: « Quaecumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in coelo: et quaecumque

solveritis super terram, erunt soluta et in coelo;» et: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt: » ad omnes Christifideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem, cuicumque factam. Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, tamquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere; eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice sententia pronunciatur; atque ideo non debet poenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiam si nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit; putet tamen se, propter suam solam fidem, vere et coram Deo esse absolutum; nec enim fides sine Poenitentia remissionem ullam peccatorum praestaret: nec is esset, nisi salutis suae negligentissimus, qui sacerdotem joco se absolventem cognosceret; et non alium, serio agentem, sedulo requireret.

—

CAPUT XVII.

DE CASUUM RESERVATIONE.

Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec (Tridentina) confirmat nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur; unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quae ab Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique dioecesi in aedificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in arti-

culo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt: extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores et legitimos judices pro beneficio Absolutionis accedant.

CAPUT XVIII.

DE SATISFACTIONIS NECESSITATE ET FRUCTU.

Demum quoad Satisfactionem, quae ex omnibus Poenitentiae partibus quemadmodum a Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata; ita una maxime nostra aetate, summo pietatis praetextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt: S. (Tridentina) Synodus declarat, falsum omnino esse, et a Verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti; quin universa etiam poena condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus praeter divinam traditionem hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fraeno quodam coërcent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis; et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino poenam, quam ut haec poenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad haec, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo, unde glorietur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactio-

nes injungere: ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem: nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent; nec propterea existimarunt, Sacramentum Poenitentiae esse forum irae vel poenarum, sicut nemo unquam Catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel ex aliqua parte imminui: quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam poenitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

CAPUT XIX.

DE OPERIBUS SATISFACTIONIS.

Docet praeterea, tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis, sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

CAPUT XX.

DOCTRINA DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Visum est autem S. (Tridentinae) Synodo, praecedenti doctrinae de Poenitentia adjungere ea, quae sequuntur de Sacramento Extremae Unctionis: quod non modo Poenitentiae, sed et totius Christianae vitae, quae perpetua Poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita Extremae Unctionis Sacramento finem vitae, tamquam firmissimo quodam praesidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit.

—

CAPUT XXI.

DE INSTITUTIONE SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Instituta est autem sacra haec Unctio infirmorum, tamquam vere et proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum: « Infirmatur, inquit, quis in vobis; inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et, si in peccatis sit, dimittentur ei. » Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, et effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum: nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat; formam deinde esse illa verba: Per istam unctionem, etc.

CAPUT XXII.

DE EFFECTU HUJUS SACRAMENTI.

Res porro et effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cujus Unctio, delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; et aegroti animam alleviat et confirmat; magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius ferl, et tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.

CAPUT XXIII.

DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI ET TEMPORE QUO DARI DEBEAT.

Jam vero, quod attinet ad praescriptionem eorum, qui et suscipere et ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis praedictis traditum: nam et ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiae presbyteros, quo nomine, eo loco, non aetate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii. Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur: unde et Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent, hanc Unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus ac-

ceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiae habentem; et qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Ecclesia referenda esset: et qui dicunt, ritum et usum, quem Sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiae repugnare, atque ideo in alium commutandum esse; et denique, qui hanc Extremam Unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Haec enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hac administranda Unctione, quantum ad ea, quae hujus Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod B. Jacobus praescripsit. Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus Sancti injuria esse posset.

Haec sunt, quae de Poenitentiae et Extremae Unctionis Sacramentis haec sancta oecumenica Synodus profitetur et docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda et tenenda proponit. Sequentes autem canones inviolabiliter servandos esse tradit, et asserentes contrarium perpetuo damnat et anathematizat.

CANONES

De Sanctissimo Poenitentiae Sacramento.

Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.

Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum, Poenitentiae Sacramentum esse dixerit, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.

Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt: non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Poenitentiae, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem praedicandi Evangelium; anathema sit.

Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam Sacramenti Poenitentiae, videlicet, Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

Si quis dixerit, eam Contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissio-

nem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.

Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ob salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.

Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.

Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae; anathema sit.

Si quis dixerit, Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti; modo tantum credat, se esse absolutum: aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit: non requiri Confessionem poenitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.

Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros Absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: « Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo; » et: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt: » quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.

Si quis dixerit Episcopus non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.

Si quis dixerit, totam poenam

simul cum culpa remitti semper a Deo satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.

Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

Si quis dixerit, satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.

CANONES

De Sacramento Extremae Unctionis.

Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

Si quis dixerit, Extremae Unctionis ritum et usum, quem servat Sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.

Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos; sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremae Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.

LIBER OCTAVUS

Doctrina de communione sub utraque specie et parvulorum, et de Sacrificio Missae.

CAPUT I.

LAICOS ET CLERICOS NON CONFICIENTES, NON ADSTRINGI JURE DIVINO AD COMMUNIONEM SUB UTRAQUE SPECIE.

Itaque sancta ipsa Synodus, a Spiritu Sancto, qui Spiritus est sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et pietatis, edocta, atque ipsius Ecclesiae judicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino praecepto laicos, et clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiae Sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei Communio ad salutem sufficiat. Nam etsi Christus Dominus in ultima Coena venerabile hoc Sacramentum in panis et vini speciebus instituit, et Apostolis tradidit: non tamen illa institutio et traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse: utcumque juxa varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: dixit quoque: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: » et qui dixit: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: » dixit etiam: « Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.» Et denique qui dixit: «Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo; » dixit nihilominus: «Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. »

CAPUT II.

ECCLESIAE POTESTAS CIRCA DISPENSATIONEM SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et loco-

rum varietate, magis expediret judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei; » atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum, ordinatis nonnullis circa ejus usum: Caetera, inquit, cum venero, disponam. Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianae Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset; tamen progressu temporis latissime jam immutata illa consuetudine, gravibus et justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsus Ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet.

CAPUT III.

TOTUM ET INTEGRUM CHRISTUM, AC VERUM SACRAMENTUM SUB QUALIBET SPECIE SUMI.

Insuper declarat, quamvis Redemptor noster, ut antea dictum est, in suprema illa Coena hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, et Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

CAPUT IV.

PARVULOS NON OBLIGARI AD COMMUNIONEM SACRAMENTALEM.

Denique eadem Sancta (Tridentina) Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiae Communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

CANONES

De Communione sub utraque specie et parvulorum.

Si quis dixerit, ex Dei praecepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere; anathema sit.

Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.

Si quis negaverit, totum et integrum Christum omnium gratiarum

fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit.

Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenirent, necessariam esse Eucharistiae communionem; anathema sit.

CAPUT V.

DE INSTITUTIONE SACROSANCTI MISSAE SACRIFICII.

Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat; oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit: et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: « Hoc facite in meam commemorationem, » uti semper Catholica Ecclesia intellexit, et docuit; nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israël immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit. Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundum offerendam praedixit: et quam non obscure innuit Apostolus Paulus, Corinthiis scribens, cum dicit, non posse eos, qui participatione mensae daemoniorum polluti sunt, mensae Domini participes fieri: per mensam altare utrobique intelligens. Haec denique illa est, quae per varias sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quae bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

CAPUT VI.

SACRIFICIUM VISIBILE ESSE PROPITIATORIUM PRO VIVIS ET DEFUNCTIS.

Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet Sancta Tridentina Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde, et recta fide, cum metu, et reverentia, contriti, ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illis per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur.

CAPUT VII.

DE MISSIS IN HONOREM SANCTORUM.

Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.

CAPUT VIII.

DE CANONE MISSAE.

Et cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium; Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat; is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

CAPUT IX.

DE SOLEMNIBUS MISSAE SACRIFICII CAEREMONIIS.

Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli: propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronuntiarentur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id

genus multa, ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

CAPUT X.

DE MISSA IN QUA SOLUS SACERDOS COMMUNICAT.

Optaret quidem sacrosancta Tridentina Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent: quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat, si quidem illae quoque Missae vere communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.

CAPUT XI.

DE AQUA, IN CALICE OFFERENDO, VINO MISCENDA.

Monet deinde Sancta Tridentina Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquae in Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.

CAPUT XII.

DE MISSA VULGARI LINGUA PASSIM NON CELEBRANDAS: ET MYSTERIIS EJUS POPULO EXPLICANDIS.

Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiae antiquo, et a Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit, qui frangat eis, mandat Sancta Tridentina Synodus Pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter caetera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim Dominicis et festis.

CAPUT XIII.

PROLEGOMENON CANONUM SEQUENTIUM.

Quia vero adversus veterem hanc, in sacrosancto Evangelio, Apostolorum traditionibus, sanctorumque Pa-

trum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur, atque disputantur; sacrosancta Tridentina Synodus, post multos gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quae huic purissimae fidei, sacraeque doctrinae adversantur, damnare, et a sancta Ecclesia eliminare, per subjectos hos canones, constituit.

CANONES

De Sacrificio Missae.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.

Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis; pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in cruce peracto, per Missae sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.

Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.

Si quis dixerit, canonem Missae errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.

Si quis dixerit, caeremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.

Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.

Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.

LIBER NONUS

Doctrina de Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE SACERDOTII NOVAE LEGIS.

Sacrificium et Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in novo Testamento Sanctum Eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione, Catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile, et externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus et sanguinem ejus nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacrae litterae ostendunt, et Catholicae Ecclesiae traditio semper docuit.

CAPUT II.

DE SEPTEM ORDINIBUS.

Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium; consentaneum fuit, quo dignius, et majori cum veneratione exerceri posset, ut n Ecclesiae ordinatissima dispositione plures, et diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacrae litterae apertam mentionem faciunt; et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiae initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistae, Lectoris, et Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.

CAPUT III.

ORDINEM VERE ESSE SACRAMENTUM.

Cum Scripturae testimonio, Apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et proprie unum ex septem Sanctae Ecclesiae Sacramentis: inquit

enim Apostolus: « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. »

CAPUT IV.

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA ET ORDINATIONE.

Quoniam vero in Sacramento Ordinis, sicut et in Baptismo, et Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest; merito Sancta Tridentina Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evangelistae, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde Sacrosancta Tridentina Synodus declarat, praeter caeteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum Ordinem praecipue pertinere; et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto, regere Ecclesiam Dei: eosque presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Docet insuper Sacrosancta Tridentina Synodus, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum et caeterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis saecularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo à populo, aut saeculari potestate, ac magistratu vocati, et instituti, ad haec ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt omnes non Ecclesiae ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse. Haec sunt quae generatim Sacrae Tridentinae Synodo visum est Christi fideles de Sacramento Ordinis docere. His autem contraria, certis et propriis canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit: ut omnes, adjuvante Christo, fidei regula utentes, in tot errorum tenebris Catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere possint.

CANONES

De Sacramento Ordinis.

Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi; sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi Evangelium,

vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse Sacerdotes; anathema sit.

Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur: anathema sit.

Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros Verbi Dei, et Sacramentorum; anathema sit.

Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: « Accipe Spiritum Sanctum; » aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.

Si quis dixerit, sacram Unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, et perniciosam esse; similiter et alias Ordinis caeremonias; anathema sit.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris; anathema sit.

Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis saecularis consensu, aut vocatione, irritos esse, aut eos, qui nec ab Ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros; anathema sit.

Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, et veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit.

LIBER DECIMUS.

Doctrina de Sacramento Matrimonii.

CAPUT UNICUM.

DE NATURA HUJUS SACRAMENTI.

Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. »

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, et conjungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata; referens dixit: Itaque jam non sunt duo sed una caro, statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tantum ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: « Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. »

Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paulus Apostolus innuit, dicens: « Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, » mox subjungens, « Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, et in Ecclesia. »

Cum igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet; merito inter novae legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt; adversus quam impii homines hujus saeculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili Sacramento senserunt, sed de more suo praetextu Evangelii libertatem carnis introducentes multa ab Ecclesiae Catholicae sensu, et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena scripto, et verbo asseruerunt, non sine magna Christifidelium jactura: quorum temeritati sancta, et universalis Tridentina Synodus cupiens occurrere, insigniores praedictorum schismaticorum haereses, et errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos haereticos, eorumque errores decernens anathematismos.

CANONES

De Sacramento Matrimonii.

Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis, a Chri-

sto Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.

Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.

Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant; anathema sit.

Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.

Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.

Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; moecharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit; et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.

Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, et oppositum nil aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.

Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel coelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut coelibatu, quam jungi Matrimonio; anathema sit.

Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, et alias caeremonias, quibus Ecclesia in illis utitur damnaverit; anathema sit.

LIBER UNDECIMUS

De invocatione, et veneratione, et reliquiis Sanctorum, et sacris Imaginibus.

CAPUT I.

DE INVOCATIONE SANCTORUM.

Mandat Sancta Tridentina Synodus omnibus Episcopis, et caeteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta Catholicae et Apostolicae Ecclesiae usum, a primaevis Christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum Conciliorum decreta, imprimis de Sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, et legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; et ob beneficia impetranda Deo per filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero, qui negant sanctos, aeterna felicitate in coelo fruentes, invocandos esse: aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum Verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei, et hominum Jesu Christi; vel stultum esse in coelo regnantibus voce, vel mente supplicare, impie sentire.

CAPUT II.

DE RELIQUIIS SANCTORUM.

Sanctorum quoque martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda, et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur: ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari; omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.

CAPUT III.

DE IMAGINIBUS SANCTIS.

Imagines porro Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas, et re-

tinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus, sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Id quod conciliorum, praesertim vero secundae Nicenae Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri, et confirmari populum in articulis fidei commemorandis, et assidue recolendis: tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi; non solum, quia admonetur populus beneficiorum, et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam, quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur: ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit; anathema sit.

—

DECRETUM CONCILII TRIDENTINI DE INDULGENTIIS.

Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

ENCHIRIDION

Propositionum damnatarum

Christus non adsumpsit carnem ut nos a jugo diaboli liberaret (1).

Nec Deus et homo, neque haec persona, quae Christus est, est tertia persona in Trinitate (2).

Non peccaverunt qui Christum ignorantes crucifixerunt, et non adscribendum est culpae quidquid fit per ignorantiam (3).

In Christo non fuit spiritus timoris Domini (4).

Anima Christi per se non descendit ad inferos, sed per potentiam tantum (5).

Adventus in fine saeculi potest attribui Patri (6).

Quidquid Deus Pater Filio suo Unigenito in natura humana dedit, hoc totum homini dedit cuiquam. Nihil excipiatur nec unio nec sanctitas (7).

Quidquid Sacra Scriptura de Christo dicit, id omne de quovis homine sancto vere dicitur (8).

Homo nobilis est Unigenitus Filius Dei, quem Pater ab aeterno genuit (9).

Christum non abdicasse possessionem et jus in temporalibus non habetur ex nova lege, imo potius oppositum (10).

Anima Christi videt Deum tam clare et intense, quantum clare et intense Deum videt se ipsum (11).

Quod in elevatione corporis Jesu Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere (perfecti) nam esset imperfectionis eisdem, si a puritate et altitudine contemplationis tantum descenderent, quod circa ministerium seu sacramentum Eucharistiae aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

Peccata mortalia quantum ad culpam et poenam alterius saeculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

Confessio de peccatis in specie, fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiae, non a jure divino.

Pravae cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.

Confessio debet esse secreta, id est de peccatis secretis, non de manifestis.

Non sunt absolvendi poenitentes,

(1) Capitula Abaelardi a Concil. Senon. a. 1140 damnata et ab Innocentio II.
(2) Item. (3) Item. (4) Item.
(5) Item. (6) Item.
(7) Prop. Ekkardi an. 1329 damn. a Joan. XXII.
(8) Item. (9) Item.
(10) Prop. Fraticellorum ab Urbano V damn. 1368.
(11) Prop. damn. a Nicolao V Eugenii IV successore.

nisi peracta prius poenitentia eis injuncta.

Papa non potest indulgere alicui viro poenam purgatorii.

Ecclesia urbis Romae errare potest.

Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiae.

Sacramentum Poenitentiae, quantum ad collationem gratiae sacramentalis, naturae est, non alicujus institutionis veteris vel novi Testamenti (1).

Haeretica sententia est, sed usitata, sacramenta novae legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare.

Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu coeli.

Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere poenam purgatorii, et impedit introitum regni.

Tres esse partes poenitentiae, contritionem, confessionem et satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura, nec antiquis sanctis christianis doctoribus.

Contritio, quae paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, amissionem aeternae beatitudinis ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

Verissimum est proverbium, et omnium doctrina de contritionibus hucusque data praestantius: de caetero non facere, summa poenitentia; optima poenitentia, nova vita.

Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas. Unde primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebatur.

Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti; imo peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi: Quodcumque solveris, etc. (Matth. XVI). Hinc, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio sed joco absolveret; si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

In sacramento Poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus sacerdos: imo, ubi non est Sacerdos, ae-

(1) Magistri Petri Oxomensis proposit. 9 a Sixto IV damn. a. 1479 ut scandalosae et haereticae.

que tantum quilibet christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

Nullus debet Sacerdoti respondere se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

Magnus est error eorum, qui ad sacramentum Eucharistiae accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod praemiserint orationes suas et praeparatoria: omnes illi judicium sibi manducant et bibunt. Sed si credant et confidant se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros et dignos.

Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos: nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt haeretici, sed schismatici.

Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum.

Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum; et sunt de numero eorum quae licent, et non de numero eorum quae expediunt.

Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam.

Seducuntur credentes indulgentias esse salutares et ad fructus spiritus utiles.

Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus.

Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae, nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur.

Excommunicationes sunt tantum externae poenae nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.

Docendi sunt christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.

Verbum Christi ad Petrum: Quodcumque solveris super terram, etc. (Matth. XVI) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

Certum est, in manu Ecclesiae aut Papae prorsus non esse statuere articulos fidei, imo nec leges morum seu bonorum operum.

Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic vel sic sentiret, nec etiam erraret; adhuc non est peccatum aut haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et judicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

Aliqui articuli Joannis Huss condemnati in Concilio Constantiensi sunt christianissimi, verissimi et evange-

lici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

In omni opere bono justus peccat.

Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

Haereticos comburi, est contra voluntatem Spiritus.

Praeliari adversus turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiae vitium.

Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo; et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura quae sit in canone.

Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes: nec probatum est ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi aut augendae charitatis.

Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas.

Animae ex purgatorio liberatae suffragiis viventium; minus beantur quam si per se satisfecissent.

Praelati ecclesiastici et principes saeculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent (1).

Haec benedicta imo suprabenedicta lex amoris omnem aufert proprietatem et dominium.

Actualis abdicatio cordialis voluntatis et temporalis potestatis dominii seu auctoritatis statum perfectissimum ostendit et efficit.

Christum non abdicasse hujusmodi possessionem et jus in temporalibus, non habetur ex nova lege, imo potius oppositum (2).

Omnes articuli fidei et Ecclesiae sacramenta ac potestas Papae possunt probari et probantur per rationes necessarias, demonstrativas, evidentes.

Fides est necessaria hominibus rusticis, insciis, ministralibus et non habentibus intellectum elevatum, qui nesciunt cognoscere per rationem et diligunt cognoscere per fidem: sed homo subtilis facilius trahitur ad veritatem christianam per rationem quam per fidem.

Qui cognoscit per fidem ea quae sunt fidei, potest decipi: sed qui cognoscit per rationem, non potest falli: Nam fides potest errare et non errare. Et si homo errat per fidem, non habet tantam culpam, sicut si erraret per rationem. Et sicut verius cognoscimus ea quae videmus, quam ea quae palpamus: ita verius sumus dispositi ad cognoscendum veritatem per rationem quam per fidem. Sed sicut palpando aliquando invenimus veritatem: ita etiam quandoque per fidem cognoscimus veritatem, sicut caeci, qui aliquando inveniunt, quae volunt, aliquando non (3).

Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris.

(1) Errores 41 Martini Lutheri damnati a Leone X per Bullam "Exsurge Domine", 16 Maii 1520.

(2) Conclusiones Dionysii Sorbonat Minoritae ex secta Fraticellorum de paupertate, damnatae ab Urbano V 1368.

(3) Propositionis quaedam Raymundi Lulli.

Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

Christus non est in eodem Sacramento identice et realiter propria praesentia corporali.

Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

Deus debet obedire diabolo.

Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis.

Si Papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.

Post Urbanum VI non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis.

Contra Scripturam Sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.

Nullus Praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: et qui sic excommunicat, fit ex hoc haereticus vel excommunicatus.

Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem vel ad concilium regni, eo ipso traditor est regis et regni.

Illi, qui dimittunt praedicare sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in Dei judicio traditores habebuntur.

Licet alicui diacono vel presbytero praedicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicae, sive Episcopi catholici.

Nullus est Dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu delinquentibus.

Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre.

Speciales orationes, applicatae uni personae per praelatos vel religiosos non plus prosunt eidem, quam generales, caeteris paribus.

Conferens eleemosynam Fratribus est excommunicatus eo facto.

Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum quam mendicantium, redditur ineptior et inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

Sancti, instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione christiana.

Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem.

Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

Oratio praesciti nulli valet.

Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

Confirmatio juvenum, clericorum

Ordinatio, locorum consecratio reservatur Papae et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.

Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta, tantum prosunt Ecclesiae sicut diabolus.

Excommunicatio Papae vel cujuscumque praelati non est timenda; quia est censura Antichristi.

Peccant fundantes claustra; et ingredientes sunt viri diabolici.

Ditare clerum est contra regulam Christi.

Silvester Papa et Constantinus Imperator errarunt, Ecclesiam dotando.

Omnes ordines mendicantium sunt haeretici, et dantes eis eleemosynas sunt excommunicati.

Ingredientes religionem aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina praecepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum coelorum, nisi apostataverint ab eisdem.

Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares et caeteri laici.

Ecclesia Romana est synagoga satanae, nec Papa est proximus et immediatus Vicarius Christi et Apostolorum.

Decretales epistolae sunt apocryphae, et seducunt a fide Christi; et clerici sunt stulti, qui student eis.

Imperator et domini saeculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus.

Electio Papae a Cardinalibus, a diabolo est introducta.

Non est de necessitate salutis credere: Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

Fatuum est credere indulgentiis Papae et Episcoporum.

Juramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia.

Augustinus, Benedictus et Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc quod habuerunt possessiones, et instituerunt et intraverunt religiones: et sic, a Papa usque ad ultimum religiosum, omnes sunt haeretici.

Omnes religiones indifferenter introductae sunt a diabolo (1).

Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas.

Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiae malignantium consimiles.

Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars ejus finaliter excidat ab ea, eo quod praedestinationis charitas, quae ipsam ligat, non excidet.

Duae naturae, Divinitas et Humanitas, sunt unus Christus.

Praescitus, etsi aliquando est in gratia, secundum praesentem justitiam, tamen nunquam est pars sanctae Ecclesiae; et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet

(1) Decreta Martini V et Concilii Constantiensis. Articuli 42 Joannis Wikleff damnati a Concilio Constantiensi et Martino V per Bullam "Inter cunctas" 8 Kal. Martii 1418 et Bullam "In eminentis" ejusdem diei.

aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.

Sumendo Ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive fuerint in gratia sive non, secundum praesentem justitiam, isto modo Ecclesia est articulus fidei.

Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiae sanctae Catholicae.

Sacerdotes quomodolibet criminose viventes, Sacerdotii polluunt potestatem, et sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, caeremoniis et sacris rebus Ecclesiae, veneratione reliquiarum, indulgentiis et Ordinibus.

Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio et institutio a Caesaris potentia emanavit.

Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput Ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanae Ecclesiae particularis.

Non oportet credere, quod iste quicumque est Romanus Pontifex sit caput cujuscumque particularis Ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit.

Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus: cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem; quia ad illud officium vicariatus requiritur et morum conformitas et instituentis auctoritas.

Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro; et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Judae Iscarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri et manifesti successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Jesu Christi.

Doctores ponentes, quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pontifices, scribas et pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes: Nobis non licet interficere quemquam, ipsum saeculari judicio tradiderunt; et tales sunt homicidae graviores, quam Pilatus.

Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiae praeter expressam auctoritatem Scripturae.

Divisio immediata humanorum operum est, sunt vel virtuosa vel vitiosa, quia si homo est vitiosus, et agit quidquam, tunc agit vitiose; et si est virtuosus, et agit quidquam, tunc agit virtuose; quia sicut vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

Sacerdotes Christi viventes secundum legem ejus, et habentes Scripturae notitiam et affectum ad aedificandum populum, debent praedicare non obstante praetensa excommunicatione. Quod si Papa vel aliquis Praelatus mandat Sacerdoti sic disposito non praedicare, non debet subditus obedire.

Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit; et illud mandatum debet exequi, praetensa excommunicatione non obstante.

Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, et interdicti ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam praeparat Antichristo. Signum autem evidens est quod ab Antichristo tales procedunt censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus Clerus principalissime procedit contra illos qui denudant nequitim Antichristi, qui Clerum pro se maxime usurpabit.

Si Papa est malus, et praesertim si est praescitus, tunc ut Judas apostolus est diaboli, fur, et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis Ecclesiae, cum nec sit membrum ejus.

Gratia praedestinationis est vinculum quo corpus Ecclesiae et quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

Papa vel Praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor, et vere fur et latro.

Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium; quia alias rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium, et tortores et praecones dicerentur sancti; imo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei.

Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam; nam Judas Iscariothes rite et legitime est electus a Deo Christo Jesu ad episcopatum, et tamen ascendit aliunde ad ovile ovium.

Condemnatio 45 art. Joannis Wicleff, per doctores facta, est irrationabilis et iniqua et malefacta: ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus.

Non eo ipso, quod electores, vel major pars eorum, consenserint viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus et manifestus successor vel vicarius Petri apostoli, vel alterius Apostoli in officio ecclesiastico: unde, sive electores vel bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere: nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiae, habet a Deo ad hoc copiosius facultatem.

Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur et conservetur.

Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

Apostoli et fidelis Sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papae officium foret introductum:

sic facerent, deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem judicii.

Nullus est Dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali (1).

Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit.

Omnis amor creaturae rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.

Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

Justitia, qua justificatur per Fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum justitia; non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in Filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur, ut, sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit.

(1) Articuli 30 Joannis Huss damnati a Concilio Constantiensi et Martino V ut supra.

In hominibus poenitentibus ante Sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio; separata tamen a remissione peccatorum.

Operibus plerisque, quae a fidelibus fiunt solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia et vera legis justitia; non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

Liberum arbitrium, sine gratiae Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam justitiae (hoc est aliquam justitiam) conosendi posse docent.

Aut tentationi ulli, sine gratiae ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

Charitas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

Charitas illa, quae est plenitudo

legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

Catechumenus juste, recte, et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in Baptismi lavacro demum percipitur.

Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.

Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

Sacrificium Missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat.

Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo: eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet.

Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto: Non concupisces.

Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

In peccato duo sunt, actus et reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus sive obligatio ad poenam.

Unde in Sacramento Baptismi aut sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.

Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, poenitentiam suggerens et inspirans, vificat eum et resuscitat: ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.

Quando per eleemosynas aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autu-

mant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores); sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, et communicatur.

Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.

Illa doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum (hoc est ad modum meritorium), commentitia est et explodenda.

Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni aeterni eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

Sed et illa distinctio duplicis justitiae, alterius quae fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quae fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo charitatem diffundentis, qua divinae legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei poenitentiae et vitae novae propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius qua vivificatur qui vere justificatur, et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et Scripturis minime congruens.

Nonnisi pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus: et gratiae Christi injuriam facit, qui ita sentit et docet.

Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.

Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiae, quae per eam justificatos faciat implere legem.

Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram charitatem: et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.

Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.

Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde et Job et martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

Nemo, praeter Christum, est absque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus

afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

Motus pravi concupiscentiae sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto: Non concupisces; unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur praeceptum: Non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum: Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo.

Satisfactiones laboriosae justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.

Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.

Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali.

Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et in pias aures offensionem immitentes respective... damnamus.

Clementis VIII decretum de absolutione in absentia per scriptum vel per internuncium, 29 Jun. 1602.

SS. D. N. Re mature ac diligenter considerata hanc propositionem (scilicet licere per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere), ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit, praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur neve unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur.

Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia; qua possibilia fiant. Declarata et damnata uti temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda, et haeretica.

Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur. Declarata et damnata uti haeretica.

Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. Declarata et damnata uti haeretica.

Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. Declarata et damnata uti falsa et haeretica.

Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa et (intellecta eo

sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit) impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica (1).

Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elice actum Fidei, Spei et Charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

Sententia asserens bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis et aliorum criminum quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 julii in Consistorio sacrae Congregationis eminentissimorum Cardinalium visa et tolerata est.

Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares eb haeresi occulta et ab excommunicatione propter eam incursa.

Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

Modus evitandi obligationem denuntiandae sollicitationis est si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

Non est contra justitiam, pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

Peccata in Confessione omissa seu

(1) Damnatis a Summis Pontificibus Jansenii, propositionibus ad illam cavillationem recurrerunt Janseniani, ut dicerent eas damnabiles quidem, sed eum non fuisse sensum Jansenii. Hinc Alexander VII per constitutionem " Cum ad S. Petri Sedem „ 16 oct. 1665 haec declaravit: " Quinque illas propositiones ex libro praememorati Cornelii Jansenii episcopi Yprensis, cui titulus est: Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse definimus et declaramus, „ postea vero constitutione " Regiminis apostolici „ 15 febr. 1664 sequens formularium subscribendum edixit:

" Ego N. constitutioni apostolicae Innocentii X datae die 31 maji 1653, et constitutioni Alexandri VII datae die 16 octobris 1665, Summorum Pontificum, me subjicio, et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui nomen Augustinus, excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, et ita juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia. „

Cum vero aliqui Belgii Antistites quaedam formulario addidissent, Innocentius XII Brevi 6 febr. 1694 post confirmatas Innocentii X et Alexandri VII constitutiones fieri prohibuit, ac formularium in sensu obvio ab omnibus sumi jussit; altero vero Brevi 24 nov. 1696 declaravit se hoc decreto nullatenus derogare constitutioni Alexandri VII. Denique Clemens XI constitutione " Vineam Domini „ quam infra damus, omnem viam praeclusit subterfugiis Jansenistarum quoad factum dogmaticum, et Innocentii X et Alexandri VII constitutiones innovavit.

oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

Satisfacit praecepto annuae Confessionis, qui confitetur regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.

Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.

Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.

Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel ejus religioni publico et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit poena.

Habens capellaniam collativam; aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet.

Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis: quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali quod tibi conferre non tenebatur.

Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere praecepto.

Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis praecepto dicens, commisi cum solutâ grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere proferenda sententia in favorem unius prae alio.

Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam (1).

In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, non frangit jejunium.

Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati

(1) Propositiones damnatae ab Alexandro VII. Die 24 Sept. 1665.

ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget.

Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

In die palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto.

Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino.

Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

Indulgentiae concessae Regularibus, et revocatae a Paulo V hodie sunt revalidatae.

Mandatum Tridentini, factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.

Illa particula « quamprimum » intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censurae.

Libri prohibiti « donec expurgetur » possunt, retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Omnes damnatae et prohibitae ut minimum tamquam scandalosae (1).

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

Probabiliter existimo judicem posse judica re juxta opinionem etiam minus probabilem.

Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Ab infidelitate excusabitur infidelis

(1) Die 18 martii 1666.

non credens, ductus opinione minus probabili.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquennis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.

Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam qua justificari possimus.

Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.

Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.

Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.

Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.

Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat supernaturalem.

Assensus Fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus.

Nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.

Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis sive gravis.

Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo

intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est perjurus.

Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi.

Fas est viro onorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

Non solum licitum est defendere defensione occisiva quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.

Licitum est tam haeredi quam legatario, contra injuste impedientem ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in cathedram vel praebendam, contra earum possessionem injuste impedientem.

Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

Videtur probabile, omnem foetum (quamdiu in utero est) carere anima rationali et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.

Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.

Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam praesentem quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed

solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere?

Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis.

Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel primo videtur per hoc « digniores » non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit « digniores », ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

Mollities jure naturae prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.

Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

Frequens Confessio et Communio etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.

Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione

magni concursus poenitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnae alicujus festivitatis aut indulgentiae.

Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio: dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quinimo directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.

Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Omnes damnatae et prohibitae, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosae et in praxi perniciosae (1).

Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

Deus subjicit nobis suam omnipotentiam.

Prohibentur uti temerariae ad minimum et novae (2).

Oportet hominem suas potentias annihilare, et haec est via interna.

Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens: et ideo opus est seipsum in Deo totum et totaliter derelinquere, et postea permanere velut corpus exanime.

Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

Activitas naturalis est gratiae inimica, impeditque Dei operationes et veram perfectionem; quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

Nihil operando anima se annihilat, et ad ipsum principium redit et ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizata, et Deus tunc in seipso remanet; quia tunc non sunt amplius duae res unitae, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio; et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur.

Non debet anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de aeternitate.

Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat necne; nec opus est ut velit cognoscere

(1) Propositiones damnatae sub Innocentio XI. Decretum d. 2 martii 1679.

(2) Propositiones duae ab Innocentio XI 23 Nov. 1679 decreto S. Inquisitionis confixae.

suum statum, nec proprium nihil; sed debet ut corpus exanime manere.

Non debet anima reminisci nec sui nec Dei, nec cujuscumque rei, et in via interna omnis reflectio est nociva, etiam reflectio ad suas humanas actiones et ad proprios defectus.

Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi: et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

Ad dubia quae occurrunt, an recte procedatur necne non opus est reflectere.

Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso; nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec propriae salutis, cujus spem expurgare debet.

Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo, relinquenda est cogitatio et cura de omni re nostra, et relinquere ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriae voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostrae conformetur, et non quod nostra divinae: et illud Evangelii: « Petite et accipietis » non est dictum a Christo pro animabus internis, quae nolunt habere voluntatem: imo hujusmodi animae eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob aliquam gratias agere debent; quia utrumque est actus propriae voluntatis.

Non convenit indulgentias quaerere pro poena propriis peccatis debita; quia melius est divinae justitiae satisfacere, quam divinam misericordiam quaerere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est Deo grata nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura et cogitatione animae nostrae, non est amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia resistentia fieri debet nisi negativa, nulla adhibita industria; et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.

Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu et veritate.

Qui amat Deum eo modo quo ratio argumentatur aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

Asserere quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando haec suis discursibus, cogitationibus, operationibus eum non impedit.

In oratione opus est manere in fide obscura et universali, cum quiete et oblivione cujuscumque cogitationis particularis ac distinctae attributorum Dei ac Trinitatis, et sic in Dei praesentia manere ad illum adorandum

et amandum, eique inserviendum; sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

Cognitio haec per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturae tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse: et idem dicitur de amore.

Mystici cum S. Bernardo in scala claustralium, distinguunt quatuor gradus: lectionem, meditationem, orationem et contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat (absque eo quod ipsa id expectet) ad contemplationem infusam: et hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum et in ipso permanere, absque eo, quod amplius redeat ad secundum aut primum.

Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impurae, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem et Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei: imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinae voluntati resignata remanet.

Etiamsi superveniat somnus et dormiatur, nihilominus fit oratio et contemplatio actualis: quia oratio et resignatio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

Tres illae viae: purgativa, illuminativa et unitiva, est absurdum maximum quod dictum fuerit in mystica: cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quaerit Deum, sed seipsum; et male agit, cum eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris quam in diebus solemnibus.

Taedium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius.

Dum anima interna fastidit discursus de Deo, et virtutes, frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

Totum sensibile, quod exprimitur in vita spirituali, est abominabile, spurcum et immundum.

Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quae non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

Nec ante nec post Communionem alia requiritur praeparatio, aut gratiarum actio (pro istis animabus internis), quam permanentia in solita resignatione passiva; quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei: alias sunt impulsus naturae nondum mortuae.

Male agit anima, quae procedit per hanc viam internam, si in die-

bus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum: quoniam animae internae omnes dies sunt aequales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca aequalia sunt.

Verbis et lingua gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quae in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo quod operetur in illis; et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem dominicam seu Pater Noster recitare.

Non convenit animabus hujus viae internae, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione et activitate: alias non essent mortuae. Nec debent elicere actus amoris erga beatam Virginem, Sanctos, aut humanitatem Christi: quia, cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

Nulla creatura, nec beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde; quia solus Deus vult illud occupare et possidere.

In occasione tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione permanere.

Crux voluntaria mortificationum, pondus grave est et infructuosum, ideoque dimittenda.

Sanctiora opera et poenitentiae quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhaesionem.

Beata Virgo nullum umquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

Deus permittit et vult ad nos humiliandos et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, daemon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia et sine mentis offuscatione movendo physice illarum manus et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos: in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus.

Potest dari casus, quod hujusmodi violentiae ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et foeminae, et ex parte utriusque sequatur actus.

Deus praeteritis saeculis sanctos efficiebat tyrannorum ministerio; nunc vero eos efficit sanctos ministerio daemonum, qui, causando in eis praedictas violentias, facit ut illi seipsos magis despiciant atque annihilent, et se Deo resignent.

Job, blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis; quia fuit ex daemonis violentia.

Sanctus Paulus hujusmodi daemonis violentias in suo corpore passus est: unde scripsit: Non quod volo bonum, hoc ago; sed, quod nolo malum, hoc facio.

Hujusmodi violentiae sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et ad eam ad veram transformationem et unionem per-

ducendam, nec alia superest via: et haec est via facilior et tutior.

Cum hujusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo: et etiamsi sequantur pollutiones et actus obscoeni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est seipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia et timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit non confitendo: quia hoc pacto superatur daemon, et acquiritur thesaurus pacis.

Satanas qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur: unde ad ejus vires enervandas melius est ea non confiteri; quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

Job ex violentia daemonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex capite XVI Job).

David, Jeremias et multi ex sanctis prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos; uti illud de Samsone qui per violentiam se ipsum occidit cum Philisthaeis, conjugium iniit cum alienigena, et cum Dalila meretrice fornicatus est, quae alias erant prohibita, et peccata fuissent; de Juditha, quae Holoferni mentita fuit; de Eliseo, qui pueris maledixit; de Elia, qui combussit duces cum turmis regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel daemonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

Cum hujusmodi violentiae, etiam impurae, absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

Ad cognoscendum in praxi an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quae protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse quod iis consenserint, et videre quod sint animae quae proficiunt in via interna; sed regulam sumerem a lumine quodam actuali cognitione humana ac theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine quod talis operatio est violenta: et certus sum quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me provenit conjunctum cum certitudine quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo, quo interdum contingit, quod Deus, aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

Spirituales vitae ordinariae in hora mortis se delusos invenient et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil: nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

Duae leges et duae cupiditates (animae una et amoris proprii altera), tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illae duae leges et duae cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia nec venialia.

Ad hujusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

Via interna sejuncta est a Confessione, a confessariis, et a casibus conscientiae, a theologia et philosophia.

Animabus provectis, quae reflectionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt ut sint mortuae, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, et supplet ipse tanta gratia praeservante, quantam in Sacramento reciperent; et ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Poenitentiae accedere, quia id est in illis impossibile.

Anima, cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum: quinimo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticae, est, si sensus exteriores non repraesentent amplius res sensibiles, unde sint ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum quod intellectus se ad eas applicet.

Theologus minorem dispositionem habet quam homo rudis ad statum contemplativi: primo quia non habet fidem adeo puram, secundo quia non est adeo humilis, tertio quia non adeo curat propriam salutem, quarto quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus et speculationibus; et non potest in illum ingredi verum lumen.

Praepositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiae religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter se res habet, quo solus Deus et director intrant.

Risu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam: quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec canones, nec bullae, nec sancti, nec auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt: quia Ecclesia non judicat de occultis, et

anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

Dicere quod internum manifestandum est exteriori tribunali praepositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: quia Ecclesia non judicat de occultis, et propriis animabus praejudicant his deceptionibus et simulationibus.

In mundo non est facultas nec jurisdictio ad praecipiendum, ut manifestentur epistolae directoris quoad internum animae: et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanae.

Damnatae tamquam haereticae, suspectae, erroneae, scandalosae, blasphemae, piarum aurium offensivae, temerariae, christianae disciplinae relaxativae et eversivae, et seditiosae respective (1).

Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative; hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis.

Declarata et damnata uti haeretica.

Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi: theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

Declarata et damnata uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, et erronea (2).

Illam effinxerat pro suo libitu Arnaldus, suisque adversariis calumniose de more attribuit.

In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa, non excusat a peccato formali.

Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

Pagani, Judaei, haeretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti.

Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: « A gratia sufficienti libera nos, Domine. »

Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, Charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.

(1) Propositiones 68 Michaëlis de Molinos, damnatae ab Innocentio XI constitutione " Coelestis Pastor ", etc. 20 Nov. 1687.

(2) Propositiones damnatae ab Alexandro VIII Decreto 24 aug. 1690.

Necesse est infidelem in omni opere peccare.

Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.

Omne quod non est ex Fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides: et etiamsi videantur credere, non est Fides divina, sed humana.

Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

Timor gehennae non est supernaturalis.

Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

Per illam praxim mox absolvendi, ordo poenitentiae est inversus.

Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu; sed abusu.

Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

Confessiones apud religiosos factae, pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae.

Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua poenitentia seu satisfactione, ob quaestum seu lucrum subsidii temporalis.

Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

Oblatio in templo, quae fiebat a Beata Virgine Maria in die Purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod filius (qui offerebatur) etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

Laus quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.

Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, etc., praetermissis illis: Ego te baptizo.

Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia.

Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Con-

cilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

Bulla Urbani VIII « In eminenti » est subreptitia.

Damnatae et prohibitae tamquam temerariae, scandalosae, male sonantes, injuriosae, haeresi proximae, haeresim sapientes, erroneae, schismaticae et haereticae respective (1).

Sic inesse Sedi Apostolicae ac Petri successoribus Christi vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae Oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium; nec probari a Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

Hinc Apostolicae potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta a regno et Ecclesia Gallicana recepta, patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis, ut statuta et consuetudines, tantae Sedis et Ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant.

In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas, Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.

De his suprascriptis propositionibus Alexander VIII sic statuit:

Omnia et singula, quae tam quoad extensionem juris regaliae, quam quoad declarationem de potestate ecclesiastica ac quatuor contentas in ea propositiones in supradictis Comitiis Cleri Gallicani a. 1682 habitis, acta et gesta fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, arrestis, etc., a quibusvis personis editis seu publicatis, etc., ipso jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad illorum seu cujuslibet eorum, etsi juramento vallata sint, observantiam teneri, tenore praesentium declaramus (2).

Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque de-

(1) Propositiones 31 prohibitae 7 dec. 1690.

(2) Articuli Cleri Gallicani Declarationis anni 1682 rejecti ab Innocentio XI per litteras in forma brevis 11 April. 1682, et per Alexandrum VIII in constitutione " Inter multiplices „ 4 Aug. 1690. Denique susceptos a Synodo Pistoriensi iterum rejecit Pius VI Bulla " Auctorem Fidei „ 28 Aug. 1794. Ex quatuor declarationis articulis illos, qui ad rem dogmaticam faciunt hic subjungimus. Notamus praeterea illos a plurimis ex auctoribus litteris ad Innocentius XII a. 1692 datis et ab ipso Ludovico XIV retractatos fuisse.

siderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.

In statu vitae contemplativae sive unitivae amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.

Id, quod est essentiale in directione animae, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, precautione, et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et numquam ad purum amorem ducere; nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et ideo potest illas scandalizare aut in perturbationem conjicere.

In statu sanctae indifferentiae anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suae gratiae fideliter non cooperatur.

In eodem statu sanctae indifferentiae nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium; sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suae gratiae.

In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem aeternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum.

Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est nisi quoad interesse proprium... Extremae probationes, in quibus haec abnegatio seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus aemulator vult purgare amorem, nullum ostendendo perfugium, neque ullam ei spem quoad suum interesse proprium, etiam aeternum.

Omnia sacrificia, quae fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum aeternam beatitudinem, sunt conditionalia..... Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

In extremis probationibus potest animae invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quae non est intimus conscientiae fundus, se juste reprobatum esse a Deo.

Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in cruce, dicens: « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me » in hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad aeternitatem.

In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse; sed nunquam amittit in parte superiori, id est in suis actibus directis et intimis, spem perfectam, quae est desiderium disinteressatum promissionum.

Director tunc potest huic animae permittere, ut simpliciter acquiescat jacturae sui proprii interesse, et justae condemnationi quam sibi a Deo indictam credit.

Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quaedam separatio partis superioris animae ab inferiori... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino caeca et involuntaria perturbatione: nam totum, quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris.

Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur..... Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectae, ut fiat habitualis: ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem ejusque actus methodicos.

Animae contemplativae privantur intuitu distincto, sensibili et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis... Primo, in fervore nascente earum contemplationis..... Secundo, anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctae, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult, et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute praeditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva et disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas; sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult.

In confitendo debent animae transformatae sua peccata detestari et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

Quamvis haec doctrina (de puro amore) esset pura et simplex perfectio evangelica in universa traditione designata; antiqui pastores non proponebant passim multitudini justorum nisi exercitia amoris interessati eorum gratiae proportionata.

Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem; et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt.

Damnatae et reprobatae, tamquam sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerariae, scandalosae, male sonantes, piarum aurium offensivae, in praxi perniciosae, ac etiam respective erroneae (1).

(1) Propositiones 23 super amore erga Deum purissimo, damnatae ab Innocentio XII, Brevi " Cum alias " etc. 12 mart. 1699.

Quid aliud remanet animae, quae Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati consecutiones, superba paupertas, et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, et ad omne opus bonum?

Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

In vanum, Domine, praecipis, si tu ipse non das quod praecipis.

Ita, Domine; omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiae suae, exhortationes et gratiae exteriores non inserviunt nisi ad illud magis obdurandum.

Discrimen inter foedus judaicum et christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando.

Quae utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit ejus propriae infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas non est, admitti ad foedus, in quo Deus nobis donat quod petit a nobis?

Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae, quae operatur in nobis id quod Deus nobis praecipit.

Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus.

Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.

Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, et facientis quod jubet.

Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit.

Quantumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet, et adoret Salvatorem suum.

Quando Deus mandatum suum et suam aeternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus et interiori vi gratiae suae, operatur illam in corde obedientiam quam petit.

Nullae sunt illecebrae, quae non cedant illecebris gratiae: quia nihil resistit omnipotenti.

Gratia est vox illa Patris, quae homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum: quicumque ad eum non venit postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.

Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: haec est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

Vera gratiae idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur; imperat, et omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quae est operatio voluntatis omnipotentis, sequela et imitatio operationis Dei incarnantis, et resuscitantis Filium suum.

Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in incarnatione, veluti fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiae et gratiae, quae omnes ita gratuitae atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suae gratiae, eam significans per illam, quae creaturas e nihilo producit, et mortuis reddit vitam.

Justa idea, quam centurio habet de omnipotentia Dei et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suae voluntatis, est imago ideae, quae haberi debet de omnipotentia suae gratiae in sanandis animabus a cupiditate.

Deus illuminat animam et eam sanat, aeque ac corpus, sola sua voluntate: jubet, et ipsi obtemperatur.

Nullae dantur gratiae, nisi per Fidem.

Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum.

Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est electos, de manu angeli exterminatoris.

Proh! quantum oportet bonis terrenis et sibimetipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem et mysteria! ut facit sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.

Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae.

Differentia essentialis inter gratiam Adami et status innocentiae, ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset, ista vero non recipitur nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: gratia christiana, nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens et digna Filio Dei.

Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris nisi ad se praecipitandum: virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

Sine gratia, nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.

Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo: et sine gratia non producit nisi praesumptionem, vanitatem, et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris.

Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium Fidei: sine hoc, nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

Primus effectus gratiae baptismalis est facere ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostrae nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.

Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio, et nisi peccatum, sine Fidei lumine, sine Christo, et sine charitate?

Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

Frustra clamamus ad Deum: Pater mi, si spiritus charitatis non est ille qui clamat.

Fides justificat quando operatur; sed ipsa non operatur nisi per charitatem.

Omnia alia salutis media continentur in Fide, tanquam in suo germine et semine; sed haec Fides non est absque amore et fiducia.

Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Jesum Christum.

Sola charitas est, quae Deo loquitur; eam solam Deus audit.

Deus non coronat nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit.

Deus non remunerat nisi charitatem: quoniam charitas sola Deum honorat.

Totum deest peccatori, quando ei deest spes; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.

Oratio impiorum est novum peccatum; et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiae non ducitur.

Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.

Baptizatus adhuc est sub lege sicut judaeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

Moyses, prophetae, sacerdotes, et doctores legis mortui sunt absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem aut per timorem sicuti bestiae, sed per fidem et per amorem sicuti filii.

Timor servilis non sibi repraesentat Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

Dei bonitas abreviavit viam salutis, claudendo totum in fide et precibus.

Fides, usus, augmentum et praemium fidei, totum est donum purae liberalitatis Dei.

Nunquam Deus affligit innocentes; et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

Nota Ecclesiae christianae est, quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos coeli, et omnes electos et justos terrae, et omnium saeculorum.

Quid est Ecclesia, nisi caetus fiiliorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium gratiam futuri saeculi?

Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero sanctos ut membra.

Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia et persona; unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator.

Nihil spatiosius Ecclesia Dei: quia omnes electi et justi omnium saeculorum illam componunt.

Qui non ducit vitam dignam Filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre et Christum pro capite.

Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus judaicus et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

Utile et necessarium est omni tempore, omni loco et omni personarum generi studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria Sacrae Scripturae.

Lectio Sacrae Scripturae est pro omnibus.

Obscuritas sancti verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

Dies dominicus a christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle christianum ab hac lectione retrahere.

Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari foeminis lectione sacrorum librorum. Non ex foeminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natae sunt haereses.

Abripere e christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere auferendo eis modum istud intelligendi, est illis Christi os obturare.

Interdicere christianis lectionem Sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi Apostolicae et intentioni Dei.

Modus plenus sapientia, lumine et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiae Dei, antequam reconcilientur.

Ignoramus quid sit peccatum et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

Quartusdecimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiae.

Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu saltem praesumpto totius corporis.

Excommunicationis injustae metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro; nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiae per charitatem affixi sumus.

Pati potius in pace excommunicationem et anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum; tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

Jesus quandoque sanat vulnera, quae praeceps primorum pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato. Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quae nec fidem laedunt, nec mores.

Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque christianis, et modus eas praedicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est a simplicitate apostolorum, et supra communem captum fidelium; neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiae, et irae Dei in filios suos.

Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariae praedicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi divinae gratiae.

Nimis saepe contingit, membra

illa quae magis sancte ac magis stricte unita Ecclesiae sunt, respici atque tractari tanquam indigna ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed justus vivit ex fide, et non ex opinione hominum.

Status persecutionis et poenarum, quas quis tolerat tanquam haereticus, flagitiosus et impius, ultima plerumque probatio est et maxime meritoria, utpote quae facit hominem magis conformem Jesu Christo.

Pervicacia, praeventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut cognoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit ut in ea esset odor vitae, verbi gratia bonos libros, instructiones, sancta exempla, etc.

Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem ejusque discipulos! Tempus hoc advenit... Haberi et tractari a Religionis ministris tanquam impium et indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate et zelo quodam Religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excoecatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

Nihil spiritui Dei et doctrinae Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Declaratae et damnatae tanquam falsae, captiosae, male sonantes, piarum aurium offensivae, scandalosae, perniciosae, temerariae, Ecclesiae et ejus praxi injuriosae, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates saeculi contumeliosae, seditiosae, impiae, blasphemae, suspectae de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, nec non haereticis et haeresibus, ac etiam schismati faventes, erroneae, haeresi proximae, pluries damnatae, ac demum haereticae, variasque haereses et potissimum illas, quae in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hae damnatae fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovantes respective (1).

Constitutio Clementis XI " Vineam Domini „ 16 Jul. 1775. De silentio obsequioso quoad factum dogmaticum.

Ut quaevis in posterum erroris occasio penitus praecidatur, atque omnes catholicae Ecclesiae filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam et impii in tenebris conticescunt), sed, et interius obsequendo, quae vera est orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostra perpetuo valitura constitutione, obedientiae, quae praeinsertis Apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso

(1) Propositiones 101 Paschasii Quesnelli, damnatae a Clemente XI constitutione " Unigenitus „ 8 sept. 1713.

illo silentio minime satisfieri; sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba praeseferunt, ut praefertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut haereticum, non ore solum, sed et corde recipi ac damnari debere; nec alia mente, animo aut credulitate supradictae formulae subscribi licite posse, ita ut qui secus aut contra quoad haec omnia et singula senserint, tenuerint, praedicaverint, verbo vel scripto docuerint aut asseruerint tanquam praefatarum Apostolicarum constitutionum transgressores, omnibus et singulis illarum censuris et poenis omnino subjaceant, eadem auctoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus et ordinamus.

SYLLABUS

Complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in Allocutionibus consistorialibus, in Encyclicis aliisq. Apostolicis litteris sanctissimi Domini Nostri **PII PAPAE IX.**

§ I.

PANTHEISMUS, NATURALISMUS ET RATIONALISMUS ABSOLUTUS.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est hac rerum natura, et iccirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo et justum cum injusto (1).

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum (2).

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit (3).

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat (4).

V. Divina revelatio est imperfecta, et iccirco subjecta continuo et indefinito progressui qui humanae rationis progressioni respondeat (5).

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio, non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni (6).

VII. Prophetiae et miracula, in sacris Litteris exposita et narrata, sunt poëtarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa, ipseque Jesus Christus est mythica fictio (7).

§ II.

RATIONALISMUS MODERATUS.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, iccirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt (8).

(1) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(2) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(3) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(4) Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 martii 1856. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(5) Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(6) Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(7) Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(8) Alloc. *Singulari quadam perfusi*, 9 decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint (1).

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest neque debet ulli sese submittere auctoritati (2).

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat (3).

XII. Apostolicae Sedis romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt (4).

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt (5).

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione (6).

§ III.

INDIFFERENTISMUS, LATITUDINARISMUS.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit (7).

XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt (8).

XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur (9).

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa verae ejusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est (10).

§ IV.

SOCIALISMUS, COMMUNISMUS, SOCIETATES CLANDESTINAE, SOCIETATES BIBLICAE, SOCIETATES CLERICO-LIBERALES.

Ejusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 no-

(1) Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris 1862. — Epist. ad eundem *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

(2) Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris 1862 — Epist. ad eundem *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

(3) Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris 1862.

(4) Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

(5) Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

(6) Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

NB. Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam*, 15 junii 1847, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolori haud mediocri*, 30 aprilis 1860.

(7) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

(8) Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Ubi primum*, 17 decembris 1847. — Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 martii 1856.

(9) Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854. — Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 17 augusti 1863.

(10) Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 decembris 1849.

vemb. 1846; in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849; in Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 decem. 1849; in Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854; in Epist. Encycl. *Quanto conficiamur moerore*, 10 augusti 1863 (1).

§ V.

ERRORES DE ECCLESIA EJUSQUE JURIBUS.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat (2).

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu (3).

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem (4).

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur (5).

XXIII. Romani Pontifices et Concilia Oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt (6).

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam (7).

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio (8).

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi (9).

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi (10).

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare (11).

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae (12).

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit (13).

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede (14).

(1) Nos in codice sacrorum Canonum eas referimus damnationes.

(2) Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854.— Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860. — Alloc. *Maximo quidem*, 9 junii 1862.

(3) Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 septembris 1861.

(4) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

(5) Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

(6) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

(7) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(8) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(9) Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856. — Epist. Encycl. *Incredibili*, 17 septembris 1863.

(10) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

(11) Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

(12) Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

(13) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

(14) Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.— Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta (1).

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam (2).

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero, et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit (3).

XXXV. Nihil vetat alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri (4).

XXXVI. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest (5).

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae (6).

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt (7).

(1) Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis nobilisque*, 29 septembris 1864.

(2) Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

(3) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(4) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(5) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(6) Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860. — Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.

(7) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

§ VI.

ERRORES DE SOCIETATE CIVILI TUM IN SE, TUM IN SUIS AD ECCLESIAM RELATIONIBUS SPECTATA.

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus (8).

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur (9).

XLI. Civili potestati, vel ab infideli imperante exercitae, competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *Exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu* (10).

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet (11).

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante (12).

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divino-

(8) Alloc. *Maximus quidem*, 9 junii 1862.

(9) Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.

(10) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(11) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(12) Alloc. *In Consistoriali*, 1 novembris 1850. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.

rum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere (1).

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum (2).

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur (3).

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium aetati opinionum amussim (4).

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet (5).

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent (6).

L. Laica auctoritas habet per se jus praesentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas Litteras accipiant (7).

LI. Immo laicum Gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem (8).

LII. Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant (9).

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent, immo potest civile Gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas ecclesias et beneficia simplicia, etiam juris patronatus, penitus

(1) Alloc. *In Concistoriali*, 1 novembris 1850. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

(2) Alloc. *In Concistoriali*, 1 novembris 1850. — Alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 septembris 1851.

(3) Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

(4) Epist. ad Archiep. Friburg. *Quam non sine*, 14 julii 1864.

(5) Epist. ad Archiep. Friburg. *Quam non sine*, 14 julii 1864.

(6) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

(7) Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

(8) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

(9) Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare (1).

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiae (2).

LV. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est (3).

§ VII.

ERRORES DE ETHICA NATURALI ET CHRISTIANA.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges et naturae jus conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant (4).

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare (5).

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis (6).

LIX. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent (7).

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa (8).

LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert (9).

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant *de non-interventu* (10).

LXIII. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet (11).

LXIV. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur (12).

§ VIII.

ERRORES DE MATRIMONIO CHRISTIANO.

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti (13).

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est (14).

LXVII. Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie di-

(1) Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852. — Alloc. *Iniquis maximis*, 22 januarii 1855. — Alloc. *Cum saepe*, 26 julii 1855.
(2) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.
(3) Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.
(4) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(5) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(6) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862. — Epist. Encycl. *Quanta cura*, 19 augusti 1863.
(7) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(8) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(9) Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.
(10) Alloc. *Novos et ante*, 28 septembris 1860.
(11) Ep. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Quibus quantisque*, 2 octobris 1847. — Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 decembris 1849. — Litt. Apost. *Cum Catholica*, 26 martii 1860.
(12) Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.
(13) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.
(14) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

ctum auctoritate civili sanciri potest (1).

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt (2).

LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat (3).

LXX. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt (4).

LXXI. Tridentina forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere (5).

LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in Ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit (6).

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur (7).

LXXIV. Caussae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civilem pertinent (8).

§ IX.

ERRORES DE CIVILI ROMANI PONTIFICIS PRINCIPATU.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii (9).

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret (10).

§ X.

ERRORES QUI AD LIBERALISMUM HODIERNUM REFERUNTUR.

LXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam Sta-

(1) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

(2) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

(3) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(4) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(5) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(6) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(7) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851. — Lettera di S. S. Pio IX al re di Sardegna, 9 settembre 1852. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.

(8) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

NB. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum caelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846, posterior in Litteris Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

(9) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(10) Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.

NB. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849; in Alloc. *Si semper antea*, 20 maji 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia*, 26 martii 1860; in Alloc. *Novos*, 28 septembris 1860; in Alloc. *Jamdudum*, 18 martii 1861; in Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

Nos de his rebus sermonem faciemus in Codice juris diplomatici.

tus religionem, caeteris quibuscumque cultibus exclusis (1).

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere (2).

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam (3).

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere (4).

(1) Alloc. *Nemo vestrum*, 26 julii 1855.
(2) Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.
(3) Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.
(4) Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.

Habita facultate
Aut. Eccl.

INDEX

VOLUMINIS I

PRAEFATIO . . . . . *pag.* V

PRAELECTIONES

LIBER PRIMUS

DE DEO.

CAP. 1. De Deo omnium rerum creatore *pag.* 1
„ 2. De falsis universi orbis principiis, et creationis aeternitate absurda „ 4
CAP. 3. De tempore et aeternitate *pag* 7
„ 4. De revelatione . . . . „ 11
„ 5. De fide et ratione . . . . „ 20

LIBER SECUNDUS

DE DEO UNO ET TRINO.

CAP. 1. De nomine Dei . . . . *pag.* 26
„ 2. Natura Dei incomprehensibilis „ 27
„ 3. Unus est Deus . . . . „ 28
„ 4. Deus simplex . . . . . „ 30
„ 5. Deus immutabilis . . . . „ ibi
„ 6. Deus aeternus-immortalis . „ 31
„ 7. Deus immensus ubique est . „ 32
„ 8. De scientia Dei . . . . „ 34
„ 9 Deus summe misericors et justus „ 36
CAP. 10 Ea quae fecerat Deus conservat, regit, providentia sua gubernat *pag.* 38
„ 11 De praedestinatione . . . „ 40
„ 12 De Trinitate . . . . . „ 41
„ 13. De haereticis, qui divinitatem Filii Dei negarunt . . . . „ 46
„ 14. Divinitas Verbi Dei demonstratur „ 49
„ 15. De Spiritu Sancto . . . „ 55

LIBER TERTIUS

DE RERUM CREATIONE.

CAP. 1. De coeli et terrae creatione . *pag.* 63
„ 2. De Angelis . . . . . „ 65
„ 3. De Angelorum creatione . „ 66
„ 4. De Angelorum malorum lapsu „ 70
„ 5. Angelos posuit Deus ad hominum custodiam . . . . . „ ibi
„ 6. De homine . . . . . „ 71
„ 7. Primus homo in gratia et justitia originali creatus est . . „ 72
CAP. 8. Homo creatus est liber et libero arbitrio abusus fuit . . *pag.* 73
„ 9. De primo hominis lapsu . „ 74
„ 10. De peccati originalis propagatione . . . . . „ 75
„ 11. De vita futura hominis . . „ 76
„ 12. De Purgatorio . . . . . „ 78
„ 13. De Inferno . . . . . „ 79
„ 14. De resurrectione mortuorum „ 80

LIBER QUARTUS

DE DEO REDEMPTORE.

Cap. 1. De Verbo Dei facto carne . pag. 82
„ 2. De divinitate et humanitate Christi . . . . . „ ibi
„ 3. De divinitate personae Christi „ 85
Cap. 4. Pro nobis Christus vere passus est mortuus et sepultus Dei Filius homo factus. — Ast voluntarie et libere . . . . . pag. 89

LIBER QUINTUS

DE JUSTIFICATIONE ET GRATIA.

Cap. 1. De justificatione ex morte Christi . . . . . pag. 93
„ 2. Interior gratia vere sufficiens in statu naturae lapsae agnoscenda est . . . . . „ 95
„ 3. Gratiae interiori nempe sufficienti in statu naturae lapsae saepe resistitur . . . . . „ 96
Cap. 4. Justorum nemini urgente divinorum praeceptorum observantia deest gratia qua possibilia fiant pag. 97
„ 5. Gratia sufficiens Christianis omnibus datur vel offertur imo ipsis infidelibus . . . . . „ 100
„ 6. De resurrectione Christi ejusque ad coelos ascensione . . „ 102

LIBER SEXTUS

DE GLORIFICATIONE SANCTORUM ET DE SACRAMENTIS.

Cap. 1. De beata Virgine . . . pag. 104
„ 2. De cultu Sanctorum et beatissimae Deiparae Virginis . . „ 107
Cap. 3. De cultu imaginum . . pag. 109
„ 4. De Sacramentis . . . „ 111

LIBER SEPTIMUS

DE ECCLESIA CATHOLICA.

Cap. 1. De Ecclesiae christianae catholicae natura . . . . . pag. 114
„ 2. De membris Ecclesiae catholicae „ 116
„ 3. De visibilitate Ecclesiae catholicae . . . . „ 117
„ 4. De immutabilitate et fecunditate Ecclesiae catholicae . . „ 119
„ 5. De notis Ecclesiae catholicae, deque ejus unitate . . . „ 120
„ 6. De sanctitate Ecclesiae catholicae „ 121
„ 7. De universalitate catholicae ecclesiae . . . . . „ 122
Cap. 8. De Apostolicitate Ecclesiae catholicae . . . . . pag. 123
„ 9. De infallibilitate capitis Ecclesiae christianae catholicae . „ ibi
„ 10. In quaestione infallibilitatis Romani Pontificis quidne habetur in quo omnes convenire debent? „ 125
„ 11. De testimoniis Conciliorum generalium circa infallibilitatem Romani Pontificis . . . . „ 130
„ 12. A traditione infallibilitas Romani Pontificis confirmatur . . „ 138

DEFINITIONES DOGMATICAE

LIBER PRIMUS

DE DEO CREATORE EJUSQUE REVELATIONE.

Cap. 1. De Deo rerum omnium creatore *pag.* 149
„ 2. De Revelatione . . . . „ ibi
1. Canones. § 9. De Deo rerum omnium creatore . . . „ 151
2. Canones. De Revelatione . . „ ibi
Cap. 3. De Fide . . . . . *pag.* 152
„ 4. De Fide et ratione . . „ 153
1. Canones. De Fide . . . . „ 155
2. Canones. De Fide et ratione . „ ibi

LIBER SECUNDUS

DE ROMANO PONTIFICE.

Canones. De Ecclesiae auctoritate . *pag.* 160
Canones. De auctoritate et infallibilitate Romani Pontificis . . „ 162
Damnatae Propositiones. De Ecclesia *pag.* 162
Propositiones damnatae. De Romano Pontifice . . . . . „ 164

LIBER TERTIUS

DE DEO UNO ET TRINO.

Cap. 1. De Deo uno . . . . . *pag.* 167
„ 2. De Trinitate . . . . . „ 168
„ 3. De Verbo Dei . . . . . „ 171
„ 4. De Spiritu Sancto . . . . „ 174
Canones. De Deo uno . . . . . „ 175
Canones. De Trinitate . . . . *pag.* 175
„ De Verbo Dei . . . . „ 176
„ De Spiritu Sancto . . . „ 177
Propositiones damnatae . . . . „ ibi

LIBER QUARTUS

DE OPIFICIO DEI.

Cap. 1. De Angelis et hominibus . *pag.* 180
„ 2. De originali peccato ejusque propagatione . . . . . „ 181
„ 3. De altera vita . . . . . „ 182
Cap. 4. De beatae Virginis Mariae conceptione . . . . . *pag.* 183
Canones. De opificio Dei . . . . „ 188
Propositiones damnatae . . . . „ 191

LIBER QUINTUS

DE DEO REDEMPTORE.

Cap. 1. De incarnatione . . . . *pag.* 194
„ 2. De unitate Personae divinae in Christo . . . . . „ 195
„ 3. De vera nativitate, passione, morte atque resurrectione Christi „ 197
„ 4. De distinctione reali duarum naturarum in Christo . . . „ 199
„ 5. Duae naturae in Christo indivisibiliter sunt unitae; non sunt nec commixtae nec confusae . *pag.* 200
Cap. 6. De duabus voluntatibus et operationibus in Christo . . „ 202
Canones. De incarnatione Verbi divini „ 204
Alii Canones. De persona Christi, et distinctione naturarum et operationum in eo . . . . . „ 207

LIBER SEXTUS

DE JUSTIFICATIONE.

Cap. 1. De naturae et legis ad justificandos homines imbecillitate . pag. 213
„ 2. De dispensatione et mysterio adventus Christi. . . . . „ ibi
„ 3. Qui per Christum justificantur „ ibi
„ 4. Insinuatur descriptio justificationis impii, et motus ejus in statu gratiae . . . . . „ 214
„ 5. De necessitate praeparationis ad justificationem in adultis, et unde sit . . . . . „ ibi
„ 6. Modus praeparationis . . „ ibi
„ 7. Quid sit justificatio impii, et quae ejus causae . . . . . „ 215
„ 8. Quomodo intelligatur, impium per fidem, et gratis justificari . „ 216
Cap. 9. Contra inanem haereticorum fiduciam . . . . . pag. 216
„ 10. De acceptae justificationis incremento . . . . . „ 217
„ 11. De observatione mandatorum, deque illius necessitate et possibilitate . . . . . „ ibi
„ 12. Praedestinationis temerariam praesumptionem cavendam esse „ 218
„ 13. De perseverantiae munere . „ ibi
„ 14. De lapsis et eorum reparatione „ ibi
„ 15. Quolibet mortali peccato amitti gratiam sed non fidem . „ 219
„ 16. De fructu justificationis, hoc est, de merito bonorum operum deque ipsius meriti ratione . „ ibi
Canones. De justificatione . . . „ 221

LIBER SEPTIMUS

DE SACRAMENTIS.

Cap. 1. De Sacramentis in genere . pag. 224
Canones. De Sacramentis in genere . „ 225
Cap. 2. De Baptismo . . . . . „ 226
Canones. De Baptismo . . . . „ ibi
Cap. 3. De Confirmatione . . . . „ 227
Canones. De Confirmatione . . . „ 228
Cap. 4. De Ss. Eucharistiae Sacramento — De reali praesentia Domini Nostri Jesu Christi in Ss. Eucharistiae Sacramento . . „ ibi
„ 5. De ratione institutionis Ss. hujus Sacramenti . . . . . „ 229
„ 6. De excellentia Ss. Eucharistiae super reliqua Sacramenta . „ 229
„ 7. De cultu et veneratione huic sanctissimo Sacramento exhibenda „ 230
„ 8. De asservando Sacrae Eucharistiae Sacramento, et ad infirmos deferendo . . . . . „ ibi
„ 9. De praeparatione quae adhibenda est, ut digne quis Sacram Eucharistiam percipiat . . . „ 231
„ 10. De usu admirabilis hujus Sacramenti . . . . . „ ibi
Canones. De Sacrosancto Eucharistiae Sacramento . . . . . „ 232
Cap. 11. De necessitate et institutione sacramenti Poenitentiae . pag. 233
„ 12. De differentia sacramenti Poenitentiae et Baptismi . . . „ 234
„ 13. De partibus et fructu hujus Sacramenti . . . . . „ ibi
„ 14. De contritione . . . . „ 235
„ 15. De confessione . . . . „ 236
„ 16. De ministro hujus Sacramenti et absolutione . . . . . „ 237
„ 17. De casuum reservatione . „ 238
„ 18. De satisfactionis necessitate et fructu . . . . . „ 239
„ 19. De operibus satisfactionis . „ 240
„ 20. Doctrina de Sacramento Extremae Unctionis . . . . . „ ibi
„ 21. De institutione Sacramenti Extremae Unctionis . . . „ 241
„ 22. De effectu hujus Sacramenti „ ibi
„ 23. De ministro hujus Sacramenti et tempore quo dari debeat . „ ibi
Canones. De sanctissimo Poenitentiae Sacramento . . . . „ 242
„ De Sacramento Extremae Unctionis . . . . . „ 244

LIBER OCTAVUS

DOCTRINA DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE ET PARVULORUM, ET DE SACRIFICIO MISSAE.

Cap. 1. Laicos et clericos non conficientes non adstringi jure divino ad communionem sub utraque specie pag. 245
Cap. 2. Ecclesiae potestas circa dispensationem Sacramenti Eucharistiae „ 245
„ 3. Totum et integrum Christum, ac

verum Sacramentum sub qualibet specie sumi . . . *pag.* 246
Cap. 4. Parvulos non obligari ad Communionem Sacramentalem . „ ibi
Canones. De Communione sub utraque specie et parvulorum . . „ ibi
Cap. 5. De institutione Sacrosancti Missae sacrificii . . . . . „ 247
„ 6. Sacrificium visibile esse propitiatorium pro vivis et defunctis „ 248
„ 7. De Missis in honorem Sanctorum „ ibi
„ 8. De canone Missae . . „ ibi
Cap. 9. De solemnibus Missae sacrificii caeremoniis. . . . *pag.* 248
„ 10. De Missa in qua solus sacerdos communicat . . . . . „ 249
„ 11. De aqua, in calice offerendo, vino miscenda . . . . . „ ibi
„ 12. De Missa vulgari lingua passim non celebrandas: et mysteriis ejus populo explicandis . „ ibi
„ 13. Prolegomenon canonum sequentium . . . . . „ ibi
Canones. De Sacrificio Missae . . „ 250

LIBER NONUS

DOCTRINA DE SACRAMENTO ORDINIS.

Cap. 1. De institutione sacerdotii novae legis . . . . . *pag.* 251
„ 2. De septem ordinibus . . „ ibi
„ 3. Ordinem vere esse Sacramentum „ ibi
Cap. 4. De Ecclesiastica Hierarchia et ordinatione . . . . *pag.* 252
Canones. De Sacramento Ordinis . „ ibi

LIBER DECIMUS

DOCTRINA DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Caput Unicum. De natura hujus Sacramenti *pag.* 254
Canone. De Sacramento Matrimonii *pag.* 254

LIBER UNDECIMUS

DE INVOCATIONE, ET VENERATIONE, ET RELIQUIIS SANCTORUM. ET SACRIS IMAGINIBUS.

Cap. 1. De invocatione Sanctorum . *pag.* 256
„ 2. De reliquiis Sanctorum . „ ibi
„ 3. De imaginibus sanctis . . „ ibi
Decretum Concilii Tridentini de Indulgentiis . . . . . „ 257
Enchiridion. Propositionum damnatarum . . . . . „ 258
Syllabus. Complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in Allocutionibus consistorialibus, in Encyclicis aliisq. Apostolicis litteris sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX . . *pag.* 294

CODEX
DOGMATUM FIDEI CHRISTIANAE
ET CANONUM
DISCIPLINAE CATHOLICAE ECCLESIAE

—

VOLUMEN II.

DISCIPLINAE COMPLECTENS CANONES

CODEX
CANONUM ECCLESIAE CATHOLICAE

QUI

A PONTIFICIBUS ROMANIS

SIVE IN CONCILIIS SIVE PER SE FUERUNT DEFINITI

A GASPARE DE LUISE

PIORUM OPERARIORUM ALUMNO
SUPREMAE CONGREGATIONIS QUALIFICATORE
ACAD. RELIGIONIS ET IMMAC. CONCEPT. DEIPARAE ROMANARUM SOCIO

CONCINNATUS

—

AUGUSTAE TAURINORUM
EQ. PETRUS MARIETTI
TYP. PONTIF. ET ARCHIEP.
1876

Editor omnia proprietatis jura sibi vindicat.

PRAEFATIO

Mirantur fortasse filii tenebrarum, et Ecclesiae Catholicae proditores me hodie ad alliciendum juventutis animum ad studia ecclesiastici juris, ex quo velut e fonte leges manarunt, quibus civiles orbis regiones ab undecim saeculis reguntur, collectionem compendiosam canonum edidisse, dum pro certo habeant imperium divi Petri finem tenere, eo quod eorum calumniis, et objurgationibus oppressum libertate suae potestatis exercitii carere videatur. Stulti se ipsos decipiunt; potentes in iniquitate victoriam celebrare ausi sunt, quia brutali vi sanctuarium sacrilege expoliaverunt, nescientes semper contigisse praedonibus Ecclesiae, quod cum escae erant in ore ipsorum venit ira Dei de coelo et devoravit eos. Dominatores se jactant esse domus Dei, quia sanctam civitatem Jerusalem jugo servitutis subjecerunt, et Pium fidei morumque magistrum, atque universi orbis patrem, ducem, pastorem opprimunt mancipio. Imbecilles, non est exauctoratus qui in sublimi vertice potentiarum sedet, atque amictus galea Domini, divina praeditus fulget auctoritate. Ecclesia inter amaritudines sub pressuris gentium et molimine tyramnorum mirabiliter est propagata, Petrus in carcere et ante reges atque praesides, imo in ipso martyrii agone collata sibi auctoritate fungebatur, et in successoribus suis vivens, etiam inter potentium iras et vexationes iniquorum imperat

et judicium exercet. Transibunt coelum et terra, et verba Dei non transibunt; scriptum est enim Deum Patrem Deo Filio dixisse *dominare in medio inimicorum tuorum* et verbum caro factum affirmasse apostolis suis Ecclesiae principibus se cum ipsis futurum usque ad consummationem saeculi, ut scriptura compleatur, *Dominare*. Verba Christi ad Petrum ejusque successores prolata non transibunt « Portae scilicet inferi non praevalebunt adversus Petrum » super quem suum constituit fastigium, quod tot tantisque saeculorum ictibus impetu irrumpentibus adhuc immobilis manet adamantis firmitate superans naturam. Simon Petrus securus ducet navem donec saeculorum cursus consumetur, eamque in altum urgens inter procellas atque ventorum turbines, suis legibus gubernat, et ad portum sublimi tranquillitate procedit. Non turbatur navis, in qua Petri prudentia navigat, abest perfidia, fides adspirat. Illic turbatio, nullus ordo, horror, et tenebrae, ubi nulla fides. Illic securitas et pax, ubi vera charitas; illic miseriae, excidia, ubi immoralitas, error iniquitas. Hodie Satanas denuo expetivit Episcopos ut eos cribraret, sed eloquiis et legibus et providentia sua Pius Petri successor fratres suos in fide confirmavit, populosque fidei, spei atque charitatis vinculo in unitate Christi consolidavit. Pius judicavit in nationibus, novum codicem sua potestate legislativa condens, internationalium jurium, quibus societates poterunt firmatis veris principiis pacifice bona communicare, sibi invicem prodesse, et prosperis mediis evolvi, hostesque humanitatis et homines ordinis securitati infestos justitiae judiciis refraenari et coërceri.

Ast juvenes dilectissimi, hanc elucubrationem humilem vobis offerens, nequaquam audeo affirmare perfectam, qua de-

ceat, operam concinnasse, sed specimen operis, quod meis viribus impar, et infirmitati ingenii mei perdifficile a jurisprudentiae canonicae magistris conficiendum desideratur. Memini quidam quod cum Romae concilium Vaticanum celebraretur, inter caeteras petitiones, quae Episcopis a variis Europae provinciis mittebantur, hoc desiderium adimplendum enixis precibus postulabatur. Ego igitur minimus in domo Domini ausus sum hunc arduum difficilemque laborem suscipere fretus auxilio Dei, qui praesto est invocantibus eum ad tyronum tantum utilitatem procurandam et colligere conatus sum Ecclesiae canones qui ad disciplinam pertinent, et nunc vim legis habent, omissis iis, qui cum in desuetudinem abierint, documenta potius historiae sunt, quam tituli disciplinae. Nam quamvis Ecclesia firma atque immobilis stet in dogmatum suorum doctrina, in lege morum, nec non in essentiali hierarchiae suae constitutione; pro temporum tamen varietate, statuta ad disciplinae ordinem spectantia a se promulgata modificat, cum praesertim evidens utilitas id exposcit. Necessaria enim rerum dispensatione et Apostolicae Sedis moderamine convenit sic canonum SS. Patrum decreta librare, et Pontificum decessorum praecepta metiri, ut quae praesentium necessitas temporum ad restaurandam Ecclesiae disciplinam deposcit, adhibita diligenti consideratione, ab ipsa Apostolica auctoritate reformentur; ita priscis pro sui reverentia manentibus constitutis, quae ubi nulla vel rerum vel temporis perurget angustia, rite custodiantur; caetera vero aut commutentur aut iis alia adjungantur, quatenus hoc bono sit fidelibus et ad religionis christianae incrementum et decus conducere videatur. Quare ut non nostra conscribere videremur, sed veras Ecclesiae

leges colligere, studuimus canones ipsos, quantum potius fuit nobis, iisdem verbis referre, quibus fuerunt a sacris Synodis et a Romana Sede promulgati.

Collectionem hanc legum ecclesiasticarum in libros, et titulos, articulosque distinximus. Jus publicum, et hierarchicum atque dogmaticum praecedit juri personarum et administrandi res sacras, quia universalia objecta particularibus praeponuntur; praesertim cum privatum jus in publico nitatur. Sanctionum poenalium liber praecedentiam libris habet, qui pertractant de judiciorum forma; quia materiam praebent judiciis faciendis eadem ratione, ac actiones quibus sunt applicandae.

CODEX CANONUM

PROLEGOMENA

§ I.

ECCLESIA LIBERA SOCIETAS EST IN ORDINE NATURALI ET SUPERNATURALI.

Characteres humanae naturae sociabilitatem suam evidentissime demonstrant. Instinctiva propensio hominis se propagandi per filios, fortis inclinatio proprias opiniones revelandi, idea ordinis in associatae multitudinis justitia et alia ejusmodi dispositiones essentiales sunt ad societatem actu habendam, et hanc necessario requirunt. Verbum humanum ore prolatum ligamen est mentium et voluntatum, et evolutio facultatum humanarum ad communicationem mutuam inter homines ad suum actum realem sociabilitatem humanam reducit, effecitque ut perenni successione perseveret.

In prima et elementari unione, scilicet conjugali, societatis exordia repetuntur; familiis vero extensis atque multiplicatis, et inter se se relationibus amicitiae initis, sub directione atque consilio prudentioris patrisfamiliae, associatio progrediens revelatur, quae infantiam societatis praesefert. Demum vel propter defensionis rationem vel inclinationum assimilationem, vel bonorum communicationem consortium familiarum fortiori vinculo colligatum et auctoritati solemniter recognitae subjectum, juvenilis societatis modo schema repraesentat. Societas hinc est mutuarum hominum voluntatum unio ad bonum assequendum unanimiter convergentium, facto aliquo associante, et relationum sistemate redacto atque sancito, per auctoritatem constitutam conservanda fideliterque tuenda. Unitas speciei humanae quasi typus est societatum; inest factitiis associationibus ejusque ratio ex eis manifestatur; omnes enim societates particulares quasi compendia sunt universalis familiae humanae. Hujusmodi est Ecclesia quae a Christo auctore suo in terris constituta, vita vivit fecunda. Verum sicut ineluctabili instinctu homines ad bona capessenda coguntur,

nunquam ad mala ratione mali (quamvis aliquando apparentia boni, qua malum simulatur) ita unio hominum nonnisi ad bonum tendit; quia si ad malum inclinare videretur contradictoria esset atque innaturalis; et in hoc casu impossibile esset ejus existentiam tolerari, sed ut infesta humanitati omnimode dissolvenda.

Societates ergo in se ipsis consideratae et in genetica earum ratione sunt necessariae evolutiones instinctus sociabilitatis qui inest humaninati. Quod vero in natura a lege aeterna determinatum invenitur nulli vi, atque voluntati creatae potest subesse. Homines enim relate ad aeternae legis imperium aequales subditi sunt, atque in juribus ab ea lege cuique hominum concessis inter se se independentes sunt; societates particulares eodem aequali jure potiuntur, quod a communi et universali principio emerserat, et invicem independentes in propria existentia conservatione sunt, et in personalitatis suae affirmatione; quia quaeque societas jure suo connaturali atque nativo potitur. Si ergo Ecclesia considerari velit in ordine naturali, uti actuatio sociabilitatis hominum facultatis, continuatio existentiae Ecclesiae tunc est perseverantia illius actus, in quo sociabilitas naturalis omnium fidelium ad realitatem reducebatur; qui actus cum, nativo proprio et connaturali jure, liber esset, in sua perseverantia suam naturam, valorem, atque libertatem servare debebat; sed jus nativum necessariam reclamat obligationem ab aliis, ne exercitium ejus impediatur; ergo, si uti demonstravimus, existentia Ecclesiae et ejus perseverantia jure nativo atque connaturali gaudet, ipsa libera est independens in sua essentia, conservatione et suae potestatis exercitio; et nemini licet, quin justitiae aeternae dictamina conculcentur eam reprobare, atque impedire quominus homines Ecclesiae associentur, et ipsa in sua soliditate perseveret.

Insuper Ecclesia sua natura, universalitate pollet tum in fine sibi proposito, cum in legibus, et in aliis mediis, quibus ipsa utitur ut finem suum facilius consequatur. Hoc non laedit aliquam civilem societatem jam constitutam; quia Ecclesia extranea est a factis humanis, quamvis his tantum sicut extrinsecis mediis utatur aeterna conspirans. Ergo utpote universalis, et quia extranea ab humanis rebus non modo nequit esse societati civili subesse, sed nec a quacumque humana potestate modificari. Quaecumque societates a suis limitibus sunt definitae, et particularis societas universalem nequit absorbere, vel amplecti, vel restringere, quin contradictorium morale atque impossibile practicum habeatur. Finis temporalis, qui obtineri debet in vita, non potest praeponi unquam fini aeterno quem trans vitam in aeternitate debent homines consequi. Finis specificans naturam societatis efficit ut quae universalis est propter universalitatem sui objecti non possit contineri a societate quae fini particulari adhaerere conatur. Finis particularis, temporalis scilicet felicitas in justitia et aequitate, non est nisi radium atque reflexus finis univer-

salis, qui in felicitate completa atque aeterna, in summi boni scilicet assecutione consistit. Ecclesia religioni vacat, quae suprema hominis necessitas est; nec potest ab ulla vi homo a religione veritatis amoveri, quin ipsa opponatur instinctivae facultati hominis et essentiali ejus determinationi. Injustissimum ac scelestissimum facinus est homini negare exercitium suae religionis, quae in divina irrefragabili veritate consistit; imo cum societates omnes non possunt ad finem sibi impositum pervenire, nisi vera religio eas ducat per justitiae tramites, consequitur omnes societates ab Ecclesia quae divinam profitetur religionem dirigi debere, atque ejus luce progredi, et ab ea sanctionem legibus, atque politico ordini efficaciorem postulare.

Christus ergo etiamsi consideretur ut homo (quia quatenus Deus est, omnia ipsi subjecta sunt, et absolute potest omnia quaecumque vult operari) poterat jure omni societatem fundare, ejusque discipuli omnesque homines societati suae libere se adscribendi poterant, et in ea exerceri. Si Ecclesia igitur est vera et honesta societas ad bonum assequendum constituta, libera debet suis juribus frui et nulli auctoritati subesse, sed propria auctoritate suisque legibus bonisque perfungi.

Christus autem supernaturalem societatem instituit in terris; elementa hujus societatis homines sunt, qui naturaliter sensibiles sunt, atque ratione et voluntate libera praeditos, societas hinc visibilis est. Conspiratio voluntatum ad eumdem finem ita habetur identica in Ecclesia, ut ejus unitas perfecte atque adequata in mediis adhibendis etiam inveniatur. Una enim omnium sociorum intellectus et voluntatis firma adhaesio rebus divinitus revelatis et legibus divinis; eadem spes corda omnium fidelium tenet; una charitas omnes in uno eodemque mystico corpore coalescit, eademque communicatione bonorum sine distinctione nationum, vel divitiarum et miseriae, vel nobilitatis et ignobilitatis, vel excellentiae in doctrina et privationis humanae scientiae. Eadem hyerarchiae constitutio in universo terrarum orbe; omnes sub uno capite invisibili Christo Jesu et visibili ejus Vicario Romano Pontifice subesse necessario tenentur. Finis hujus societatis supernaturalis est bonum scilicet infinitum, aeternum, incommutabile; felicitas nempe quae in Dei summi boni fruitione consequenda consistit. Quomodo potest aliis auctoritatibus subesse? An existentia hujus societatis subdet? Sed a connaturali jure associationis humanae personalitati insito emergit et immutabili lege sancito ipsa ut superius demonstravimus. Ejus conservatio? Sed jus existentiae socialis identificatur cum jure perseverandi in constituta sua conditione. Ejus affirmatio externa? Sed haec est idem existentiae atque conservationis jus, quia extrinsecatio propriae naturae est, cujus juris exercitium evolvitur, quod omnes lege naturali tenentur non impedire. Libertas enim faciendi bonum nullatenus coërceri potest quin injustum impiumque aliquid operetur, quod in spretum legis aeternae redundat. Humanitatis laesae reatus

consumetur in destruendo illam humanae speciei tendentiam ad bonum, quo ipsa perficitur, progreditur, coronatur. Finis Ecclesiae debet subesse aliis humanis potestatibus? sed si supernaturalis est atque divinus, non esset nisi contradictio auctoritatem quae vocatur et constituitur ad finem naturalem imperare auctoritati illi, quae a Deo constituta est ad finem supernaturalem. Non debet finis Ecclesiae conformari fini reipublicae humanae sed potius finis temporalis spirituali ac aeterno cooptari. Potestas forsan, quae in Ecclesia recognosci debet, subdita sit potestati humanae censetur? Absurdum hoc esset morale. Humano facto tunc divinum subjiceretur. Suprema enim est, quae a Deo immediate procedit, auctoritas; potestas vero humana mediate procedit a Deo tamquam a volente ordinem, a Deo principio omnis justitiae et aequitatis. Potestas Ecclesiae eadem est quae fuit exercita a Christo Domino dicente Apostolis, quos principes regni sui constituit, eorumque successoribus: « sicut misit me Pater, et ego mitto vos... omnis potestas mihi data est in coelo et in terra. » Ipse Christus ordinavit Ecclesiam suam et supremo hyerarchia principi dedit pascendi et regendi in universo terrarum orbe populum suum dicens: « Tibi dabo claves regni coelorum, pasce oves meas, pasce agnos meos. » Et Apostolus Paulus scripsit: « Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. » Perseverando usque ad consummationem temporis Ecclesia iisdem legibus, eadem omnino potestate et juribus potiatur oportet, quibus eam Christus ditavit, atque exornavit.

Ridiculosum est excogitari illud effugium, scilicet eumdem hominem non posse subdi duobus potestatibus, quin collisione perpetua exagitetur! Nullum unquam evenire potest inconveniens; filius non duplici potestati subjicitur, idest patri, atque societatis humanae imperanti? Nonne servus domino suo obedit atque auctoritati civitatis? Dicunt fortasse aetherodoxi harmonice sunt particulares auctoritates conjunctae cum sociali, quia ab ipsa reguntur; et nos eadem respondentes affirmamus societates omnes humanae auctoritates cum subsint Deo rerum universitatis auctori, et legibus justitiae naturalibus adstringantur, non possunt haberi collisiones inter potestates, si, ut rectus ordo requirit, conformentur Dei ordinationibus atque legum aeternarum praescriptionibus.

In Ecclesia lex divina est, et explicatio sunt legis aeternae mandata Ecclesiae. Una tantum collisio officiorum dari potest, quando idem subditus contrariis compellitur praeceptis, humanis scilicet injustis ab odio, vel effrenata honorum et alienarum rerum cupiditate impositis, et a praeceptis justitiae humilitatis et honestatis, quae a Deo per Ecclesiam dictante procedunt, tunc collisio non causatur ab Ecclesia, sed ab homine, qui a recto veritatis et boni tramite devians; aspernendus certo potius est, atque indignus ut ab aliis suae voluntati obtemperetur. Supremum bonum humanitatis est satisfactio ejus purae ingenitae tendentiae ad summum

bonum; nulla lex haberi potest justa, quae hominem removeat ab hoc bono assequendo si adesset, innaturalis esset atque crudelis. Aequa, justa atque naturae humanae conformis ea lex est, quae facilem reddit viam hominibus ad aeternam felicitatem in possessione summi boni capessendam.

§ II.

DE REGIMINE ECCLESIAE, DE JURE EJUSQUE REGULIS.

Ordo in systemate varietatum unitati finis respondente consistit, unde harmonia ex cohaerentibus sibi invicem elementis unitatem et objectum archetypum universae compaginis resultet. In Ecclesia, quae est opus divinae sapientiae, ejus ordo convenit perfectissimus inveniatur; idcirco in eo unitas principii ac finis, ac summa concordia elementorum, quibus constat, oportet requiratur. Perfectio ordinis in societate habetur in perfectione hierarchicae constitutionis, ita ut inferiores potestates non absorbeantur a suprema, et haec sit earum vita, vis, lumen, dictamen atque corona. Haec perfecta regiminis forma est monarchica, quae Dei absolutissimum providentis regimen imitatur, et haec forma in Ecclesia viget a Christo constituta.

Christus cum homines praefecisset hominibus, qui visibile suum regnum nomine suo gubernarent, eis dedit necessariam potestatem, sine qua nec regimen, nec ligamen fidelium in uno mystico corpore coalescentium haberi nequeunt. Hominibus iisdem, quos constituit doctores, pastores animarum, et principes sui regni, facultatem leges ferendi tradidit, et poenis coërcendi discolos atque rebelles. Sine legislativa potestate non potest nec ordo haberi, nec societas existere atque perseverare; summa regendae societatis in ferendis legibus et puniendi potestate consistit.

Aliqui protestantes hanc potestatem ad democratiam referunt; sed hunc errorem plerique ex Lutheranis et Calvinianis de absurditate redarguerunt; ita ut indignus sit confutetur. Christus enim nunquam plebi tradidit aliquam potestatem, sed apertissime divo Petro et Apostolis eam donavit. Apostolis enim ait: « Quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in coelis, quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelis. » Ad Apostolos ait: « Qui vos audit me audit, » audire autem idem est quam obedire. Ad Apostolos dictum est: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, » et pascere idem est ac regere. Absurdum esset populum egentem directione habere potestatem et jus regendi; esset semetipsius rector, quod traducitur in populum, qui eodem tempore sit gubernans et gubernatus, rector et subditus.

Alii protestantes aristocraticum esse regimen Catholicae Ecclesiae autumarunt; sed erraverunt; nam Christus ipsos Apostolos Petro subjecit quem constituit principem ipsorum Apostolorum. Ei namque dedit, non Apostolis, claves regni coelorum, et eum suo mystico nomine decoravit. Ipse enim erat petra angularis; et Simonem, quem elegit in suum vicarium, petram

vocari voluit. Ipsi dixit: « Pasce oves meas, pasce agnos meos; » per agnos fideles, per oves Episcopi intelliguntur. Ipsi Simoni dedit confirmare suos fratres, et Simonem constituit petram supra quam aedificaturus erat Ecclesiam suam dicens: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. » Regimen divinum monarchicum est, et divino regimine Ecclesia in terris gubernatur. Dei enim vices gerit Pontifex Summus; est proinde universi orbis Christiani Dux, Pater atque Legislator. Episcopalis auctoritas non absorbetur nec detrahitur; ipsa enim etiamsi non precaria sed propria et nativa sit, ejus exercitium tamen a Summo Pontifice pendet, nec hujus certe monarchica potestas ex illorum potestate temperatur. Cum enim Christus episcopalem ordinem instituisset nullos distinxit fines Ecclesiarum, quibus Episcopi essent praeficiendi; hoc humano jure fieri debebat, et non poterat nisi fuisset auctoritas major atque suprema in Ecclesia, cui sedes episcopales subjicerentur. Exercitium ipsum Episcopalis auctoritatis a Pontifice Summo pendere debet, cum Christus eos pascendos a Petro constituit, qui suprema sibi a Deo tradita potestate potitur. Neque a Concilio oecumenico temperationem habere potest summa Pontificis Romani successoris Petri potestas, quia Concilium utpote Ecclesiae corpus repraesentat, semper suo capiti subjicitur (1). Si Monarchiae ratio in eo posita est, ut omnes subjiciantur uni, ubi erit monarchia si Romanus Pontifex Episcopis subjiciatur? Episcopi simul collecti nisi habeant Romanum Pontificem, qui eos conjungat sibi, non habebitur centrum unitatis. Episcopi enim repraesentant tantum Ecclesias suas, cum Pontifice vero universam repraesentant Ecclesiam. Non in singulis lapidibus sed in una Petra aedificata est universa Ecclesia cum suis pastoribus. Sed Ecclesia fundata est in veritate, et veritate vivit; sed veritatis columna est prima Sedes, quae infallibilitate gaudet, haec Ecclesiam repraesentat. Christus invisibiliter Ecclesiam suam regit, sed ejus gubernatio invisibilis per gubernationem visibilem successoris Petri manifestatur, ac proinde per Summum Pontificem Ecclesiam suam regit, tuetur atque gubernat. Vicarius Christi cum sit Summus Pontifex, illius vices gerit ideo os Christi recte dicitur, et petra sustinens Ecclesiam, fundamentum fastigii Dei in terris, et saeculorum dicitur dux; semper idem in sua imperitura successione perseverans. Jus ergo ferendi leges, in perpetuum in tota Ecclesia observandas, solus Pontifex Romanus habet, sibi a Deo immediate collata potestate; ac proinde leges Ecclesiae dicuntur leges etiam Pontificales. Ipsamet Concilia nequeunt leges disciplinares quidem promulgare, sine Romani Pontificis assensu, atque approbatione. Quodcumque reges, sive respublicae, sive aliae potestates contra aeternam Dei legem, vel contra mandata Dei revelata, vel fidei

(1) De hoc argumento superius de infallibilitate Pontificis tractavimus, et lege opusculum cui titulus: *L'infallibilità del Romano Pontefice e il dritto Europeo, di Gaspare de Luise Pio Operario.*

doctrinam statuerint, ipse Summus Pontifex irritandi ea omnia potestate potitur; si Episcopi omnes aliquid ordinaverint quod Romano Pontifici videtur vel incongruum vel injustum, ipse jus habet irritandi quod ab eis statutum est. In legibus ferendis absoluta sua potestate utitur, nec aliis sanctionibus suae leges firmantur, nisi ea quae a sua apostolica auctoritate procedit. Canones omnes Ecclesiae, qui a Pontificibus sive motu proprio sive in Conciliis fuerunt sanciti, nullum alium titulum obligandi habuere nisi auctoritatem Apostolicam Pontificis Romani. Leges Ecclesiae sive Pontificiae neque origine, neque rerum, quaestionum et decisionum magnificentia, dignitate, gravitate, utilitate et necessitate, neque ordinis et dispositionis elegantia, neque rationabilitate et aequitate juri civili sunt postponendae, imo in multis ei praeferendae. Jus civile, maxime ab Ethnicis confectum a Pontificio jure emendatur, illiusque severitates durissimas, et injustae vexationes a jure Pontificio temperantur atque ad justitiae dictamina reformantur. Jus Pontificium ex divinarum Scripturarum doctrina, et sanctorum Patrum traditione, et ex Conciliorum generalium decretis et Pontificiis sanctionibus ortum habet; charitate, justitia et sanctitate homines singulos ac societates nutrit hasque ad veram prosperitatem perducit illos ad virtutis progressum monet.

Jus dictum quia justum, et canon regula quia normam recte et bene et catholice vivendi praebet, vel quod pravum corrigit atque distortum (1).

Jus est vel scriptum vel non scriptum, prout positive aut scripto promulgatum sit, vel consuetudine introductum. Jus scriptum est vel divinum vel ecclesiasticum. Illud in divinis Scripturis continetur (2) et est immutabile; hoc in constitutionibus ecclesiasticis habetur. Jus Ecclesiasticum continet decreta Pontificum, qui vel ex se se, vel Cardinalium consilio, aut motu proprio, aut aliquo interpellante ea promulgarunt (3).

Constitutiones Ecclesiasticae Synodales sunt statuta Conciliorum generalium quae proprie canones dicuntur quae ab omnibus per omnia servari debent. Decreta Pontificia vero si generalia sunt observari debent aeque ac Conciliorum canones ab omnibus; si specialia, iis pro quibus facta fuerunt legem imponunt (4). Species constitutionum sunt Rescripta; nam jus faciunt inter partes et in negotiis seu rebus super quibus conceduntur (5).

Conciliorum provincialium et Episcopalium statuta non proprie canones, sed constitutiones dicuntur, vel decreta, quae tantum obligant provinciam ecclesiasticam vel dioecesim ubi Synodi fuerunt celebratae.

Consuetudo jus non scriptum pa-

(1) C. Jus generale 2, jus autem dist. 1, C. 2 dist. 3.

(2) C. quis nesciat V, dist. 9, c. fin. 8, his itaque dist. 6.

(3) C. sancta octo 8, dist. 16 C. 1 de const. c. generali 25 q. 1, gl. in c. omnes 3, dist. c. 1, de reser.

(4) C. ideo § neque enim 25, qu. 1, c. privilegia, dist. 3.

(5) C. constitutus 11, de concess. praebend. C. cum dilecta 22 de Rescript.

rit. Hoc, si neque bonis moribus neque Summorum Pontificum decretis, neque Conciliis adversetur, in rebus et actionibus tamquam ecclesiasticae scriptae constitutionis habet vigorem (1). Stylus Curiae Romanae, ubi jus non est contrarium, in decisionibus potest allegari (2).

Regulae seu aphorismi juris hic proponuntur ad rectam legum ecclesiasticarum interpretationem, atque applicationem. Hae regulae in decretalibus recensitae, sunt quae sequuntur.

§ III.

DE REGULIS JURIS.

I. Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.

II. Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit, sine possessione praescriptio non procedit.

III. Peccatum non dimittitur nisi restituatur ablatum.

IV. Peccati venia non datur nisi correpto.

V. Nemo potest ad impossibile obligari.

VI. Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.

VI. Semel malus semper praesumitur esse malus.

VIII. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

IX. Ratihabitionem retrotrahi et mandato non est dubium comparari.

X. Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori.

XI. In judiciis non est acceptatio personarum habenda.

XII. Ignorantia facti non juris excusat.

XIII. Odia restringi et favores convenit ampliari.

XIV. Decet concessum principe beneficium esse mansurum.

XV. Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum.

XVI. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.

XVII. Non est sine culpa qui rei, quae ad eum non pertinent, se immiscet.

XVIII. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

XIX. Quod semel placuit amplius displicere non potest.

XX. Non debet aliquis alterius odio praegravari.

XXI. Sine culpa nisi subsit causa non est aliquis puniendus.

XXII. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur cum habet parere necesse.

XXIII. Mora sua cuilibet est nociva.

XXIV. Ea quae fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium viribus non subsistunt.

XXV. Scienti et conscientienti non fit injuria, neque dolus.

XXVI. Quae jure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

(1) C. Nolite 3, c. Ecclesiasticarum 5, dict. 11, c. ex literis 9, de constit. C. diuturni 6, dict. 12, c. consuetudo 5, dict. 1.

(2) C. Literas 2 de juram. calumn.

XXVII. Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari.

XXVIII. In obscuris minimum est sequendum.

XXIX. Eum qui certus est certiorari ulterius non oportet.

XXX. Non licet actori quod reo licitum non existit.

XXXI. Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum.

XXXII. Generi per speciem derogatur.

XXXIII. Plus semper in se continet quod est minus.

XXXIV. Pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.

XXXV. Ex eo non debet quis fructum consequi quod nisus extitit impugnare.

XXXVI. Cum quid prohibetur prohibentur omnia quae sequuntur ex illo.

XXXVII. Pluralis locutio duorum numero est contenta.

XXXVIII. Imputari non debet ei, per quem non stat si non faciat quod per eum fuerat faciendum.

XXXIX. Accessorium naturam sequi congruit principalis.

XL. Qui tacet consentire videtur.

XLI. Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur.

XLII. Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

XLIII. Is qui in jus succedit alterius eo jure, quo ille uti debebit.

XLIV. Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

XLV. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.

XLVI. In poenis benignior est interpretatio facienda.

XLVII. Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem.

XLVIII. Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.

XLIX. Non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.

L. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.

LI. Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra.

LII. In re communi potior est conditio prohibentis.

LIII. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda.

LIV. Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum dolo facit qui petit, quod restituere oportet eumdem.

LV. Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri.

LVI. Quod ob gratiam alicujus conceditur non est in ejus dispendium retorquendum.

LVII. Nullus ex consilio, dummodo fraudolentum non fuerit, obligatur.

LVIII. Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

LIX. Quae contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi.

LX. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.

LXI. Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.

LXII. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

LXIII. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

LXIV. In malis promissis fidem non expedit observari.

LXV. In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.

LXVI. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.

LXVII. Qui facit per alium est perinde ac si faciat per semetipsum.

LXVIII. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.

LXIX. Quod alicui gratiose conceditur; trahi non debet ab aliis in exemplum.

LXX. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.

LXXI. Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare.

LXXII. Rationi congruit ut succedat in onere qui substituitur in honore.

LXXIII. In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.

LXXIV. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

LXXV. In toto partem est dubium contineri.

LXXVI. In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

LXXVII. Qui contra jura mercatur bonam fidem praesumitur non habere.

LXXVIII. Bona fides non praesumitur, ut semel exactum iterum exigatur.

LXXIX. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

LXXX. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

LXXXI. Damnum quod quis sua culpa sentit sibi debet, non aliis imputare.

LXXXII. Infamibus portae non pateant dignitatum.

LXXXIII. Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.

LIBER PRIMUS

De Jure publico Ecclesiastico.

CAPUT I.

DE JURIBUS PRAECIPUIS ECCLESIAE NATURALIBUS.

1. Ecclesia a Christo Domino instituta, columna et firmamentum veritatis, visibilis societas est baptizatorum sancta atque perfecta, nec non fidei, sacramentorum, sacrique regiminis unitate refulgens, in cunctis terrae plagis vigens, et in suis Episcopis summoque omnium capite Romano Pontifice successionem habens apostolicae auctoritatis nullo tempore interruptam (1).

2. Ecclesia, utpote vera et perfecta societas, est plane libera, et pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino fundatore collatis; numquam pertinet ad civilem potestatem definire quae sint Ecclesiae jura ac limites intra quos eadem jura exercere queat (2).

3. Ecclesia habet potestatem dogmatice definiendi religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem (3). Ad Ecclesiasticam proinde jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure spectat dirigere theologicarum rerum doctrinam (4).

4. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, non coarctatur in eis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio, veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur (5), sed exigit etiam ut ipsi se subjiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticales dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram (6).

5. Ecclesia habet vis inferendae potestatem, et auctoritatem directam et indirectam (7). Praeter potestatem episcopatu inhaerentem, alia attributa temporalis potestatis habet, quae non sunt a civili imperio concessa, ideoque nequit ea civile imperium revocare (8).

6. Ecclesia habet collatam sibi a Deo potestatem jubendi per leges; ac

(1) Pius IX in alloc. *Ubi primum*, 17 dec. 1847.
(2) Id. In alloc. *Singulari quidem*, 3 dec. 1854 et in aliis.
(3) Id in Lit. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.
(4) Pius IX Lit. Apost. ad Gregorium Archiep. Monac. et Frising.
(5) Ibid.
(6) Pius IX Lit. Apost. ad Gregorium Archiep. Monac. et Frising.
(7) Pius IX Lit. Ap. *Ad Apostolicae*, 22 aug. 1851.
(8) Ibid.

devios contumacesque exteriori judicio ac salubribus poenis coërcendi atque cogendi (1).

7. Ecclesia habet nativum ac legitimum jus acquirendi, ac possidendi (2); ideoque sacri Ecclesiae ministri et Romanus Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio non sunt excludendi (3).

8. Non potest sententia universalis Concilii aut universorum populorum facto Summus Pontificatus a Romano Episcopo atque urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri (4).

9. Catholica Ecclesia libera plane est et in suo jure in praescribendo ritus et solemnitates in administratione sacramentorum servandos, in festis diebus indicendis, in cultu sanctis tribuendo; quae omnia non possunt sine culpa omitti, nec mutari ab aliquo (5).

10. Institui nequeunt nationales ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subdole planeque divisae (6). Quia una est Ecclesia, et in sua unitate perseveratura usque ad consummationem saeculi. Romanus Pontifex jus habet eas declarandi schismaticas, easque anathemate mulctandi.

11. Concilia nationalia non possunt se subtrahere ab auctoritate Romani Pontificis, qui et reformandi, et abrogandi jus habet Conciliorum hujusmodi definitiones et decreta (7).

12. Ecclesiae et personae ecclesiasticae, jure proprio, immunitatis privilegio gaudent, quod nunquam a jure civili ortum habuit (8). Absque naturalis, igitur, juris ac aequitatis violatione nequit abrogari ea personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; nec progressus praetextu, nec forma liberioris regiminis in societate constituta, jus habet laica potestas postulandi immunitatis ecclesiasticae abrogationem (9).

13. In quaestionibus jurisdictionis inter ecclesiasticam et civilem potestatem dirimendis nequaquam principes et reges, et rerum publicarum praesides superiores sunt Ecclesia; sed ipsae a Sancta Sede Romana sunt definiendae (10). Quando canonicae quaestiones examinantur nec civilis judex, neque alius laicus interesse oportet.

CAPUT II.

DE RELATIONIBUS ECCLESIAE CUM SOCIETATIBUS CIVILIBUS ETHERODOXIS.

14. Ecclesia catholica vera societas est ordinatissima sui juris, divinoque consilio nullius imperii terminis contineri debet, sed ad ultimas terras propagari, omnesque complecti gentes et nationes, ut sempiternae illis beatitatis iter designet, expediat (11).

15. Muneri ac officio catholici sacerdotii est remotas regiones pertingere, maris licet tractu disjunctissimas,

(1) Pius VI *Auctorem fidei* et Bened. XIV in Brevi *Ad assiduas* primatis Archiepiscopis et Episcopis Poloniae Regni.

(2) Pius IX in alloc. *Nunquam fore*, 15 dec. 1856 et in encycl. *Incredibili*, 17 sept. 1863.

(3) Id. Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

(4) Id. Lit. Apost. *Ad Apostolicae*, 23 aug. 1851.

(5) I. Clement. de Haeret. c. *Ad nostrum*. Conc. Trid. Sess. VI, can. 20 et Sess. VII de Sacr., c. ult.

(6) Pius IX in Syllabo. (7) Ibid.

(8) Ibid.

(9) Ibid. (10) Ibid.

(11) Pius IX in alloc. *Singulari quidem*, 9 dec. 1854.

ut efferatas ibi gentes ad humanitatem, et christianae legis disciplinam, habita Romani Pontificis missione, salubriter instituat (1).

16. Ecclesia enim missionem habuit a Domino suo auctore, ut omnes populos, gentes, nationes pari paterni amoris studio prosequatur et omnium saluti consulat (2).

17. Absit ut catholicae Ecclesiae filii ullo unquam modo inimici sint iis, cum quibus eodem fidei charitatisque vinculo non sunt ligati; quin imo illos pauperes, sive aegrotantes, sive aliis quibusque aerumnis afflictos omnibus christianae charitatis officiis prosequi, ac adjuvare semper studeant, et in primis ab errorum tenebris, in quibus misere jacent, eripere, atque ad catholicam veritatem, et ad amantissimam matrem Ecclesiam reducere contendant, quae maternas suas manus ad illos adamanter tendere, eosque ad suum sinum revocare numquam desinit, ut in fide, spe et charitate fundati ac stabiles et in omni opere bono fructificantes aeternam assequantur salutem (3).

18. Si contigerit ut catholica aliqua natio contra aliam etherodoxam bellum gerat, nemo catholicorum principum jus habet cogendi Pontificem Romanum ut nationi etherodoxae quibuslibet modis adversetur; quia Summus Pontifex vices gerit ejus qui non dissentionis, sed pacis Deus est, et venit in mundum ut inimicitiae tollerentur et pax evangelizaretur tum iis, qui procul sunt, quam iis qui prope extiterint (4).

19. Ecclesia catholica jus habet principes congregandi Christianos ut arma capiant contra etherodoxas potestates regna catholicorum invadentes, bonaque Ecclesiae rapientes. Traditores vero qui per se, vel per alios armis, pecuniis, aliisque rebus, vel consilio, vel ingenio etherodoxos, aut paganos opitulati fuerint in bello ad catholicae religionis damnum anathemati subjiciuntur (5).

20. Civili potestati ab infideli imperante exercitae, vel etiam a fideli, non còmpetit indirecta potestas negativa in sacra, nec proinde jus, quod vocatur EXEQUATUR, vel JUS APPELLATIONIS, vel AB ABUSU (6).

21. Non baptizetur infans filius etherodoxorum, vel paganorum, insciis atque invitis parentibus, nisi sit in extremo periculo mortis, vel fuerit a parentibus projectus. Potest vero baptizari si pater jam ad catholicam religionem conversus, licet mater dissentiat, illum baptizandum offert. Potest etiam baptizari infans qui offeratur ab avo paterno dissentientibus parentibus; item, si pater sponte promittit se fore suscepturum baptisma una cum filio suo quem tradiderit instruendum, quamvis a suo proposito postea recesserit (7).

22. Reipublicae status non est origo et fons omnium jurium, nec incircumscripta est ejus potestas; jure igitur naturae auctoritatem non habet rescindendi ac faciendi irritas solem-

(1) Pius IX in const. cit.
(2) Ibid.
(3) Pius IX Enc. *Quanta conficiamur*, 10 aug. 1863.
(4) Pius VII in Epist. ad imperatorem Napoleonem, 21 martii 1806.
(5) Decr. libr. v de Jud. et Sarac.
(6) Lit. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 aug. 1851.
(7) Bened. XIV *Inst. Eccl.*

nes conventiones (vulgo concordata) cum Sede apostolica initas super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium, sine hujus consensu, immo et ipsa reclamante (1).

23. Cum jure naturae non potest homo obligari ad falsi Dei cultus exercitium sed liber relinqui debet ad veritatem capessendam et religionem veram profitendam; non possunt reipublicae infideles vel haeretici praesides impedire quominus verbum Dei praedicetur et fideles Christianam religionem profiteantur, nec non sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo comunicent (2).

24. Ecclesia catholica regum et populorum omnium, atque in iis singulorum hominum omnis conditionis, religione, tum jura tuetur, tum officia docet ac praecipit; ita legibus humanis sanctius fundamentum ponit et fideliorem conciliat obedientiam. Catholica doctrina non solum humanae societatis bono et comodis non adversatur, sed ea promovet eisque praebet incrementum (3). Legitimis enim principibus obedientiam detractare imo et rebellari catholica Ecclesia vetat et hujusmodi efferatae doctrinae magistros anathemate damnavit (4).

25. Quia extra gremium Ecclesiae semper fuerunt, quales sunt Infideles et Judaei, constringi ad catholicam obedientiam profitendam non debent. Contra vero, qui se Ecclesiae per susceptum Baptismi sacramentum subjecerunt sunt cogendi (5).

26. Si princeps haereticus mandet subditis catholicis audire conciones haereticorum, filii Ecclesiae catholicae iis obedire nequeunt, nec ritus detestabiles in templis perfidiae venerari possunt, quamvis civiles potestates declarent se hac re nil aliud exigere, quam obedientiam civilem, nec velle cogere, ut a fide discedant, cum tamen reipsa contrarium velle videantur (6).

27. Parochi saeculares et regulares in ditione etherodoxa degentes Sancta Sedes praecipit ut caveant ullo modo se ingerere in rebus spectantibus ad politiam saecularem; nec ullum ad officia publica proponant; quamvis aptior caeteris videatur; nec unquam intersint comitiis aut conventibus, ubi de rebus publicis agitur (7).

28. Quoniam vero (ut veritas ipsa docet) nemo potest venire ad Christum, nisi Pater coelestis eum traxerit, Ecclesiastici tum saeculares, cum regulares, caeterique, qui ethnicorum conversionibus dant operam, illos non vexationibus pollicitationibus, aut vi, sed verbi Dei praedicatione, et bonorum operum exemplo ad Baptismum inducant perscrutantes praecipue diligenter quo fine et spiritu ducantur qui baptizari postulant (8).

(1) Pius IX Alloc. *In consistoriali*, 1 nov. 1850.
(2) Pius IX *Maxima quidem*, Alloc. 9 junii 1862.
(3) Pius IX in pluribus encyclicis et alloc.
(4) Pius IX *Qui pluribus*, encycl. 9 nov. 1846.
(5) Pius VI in Brev. *Quod aliquantum*, 10 mart. 1791.
(6) Pius V bis rescripsit Anglis.
(7) Alex. VII in approb. decret. edit. a sacra congregatione de Propaganda fide Constit. *Sacrosancti Apostolatus* anno 1658.
(8) Ibid. c. 5. Ibid. a Clem. IX *Extensae*. Const. *In excelsa*, an. 1669.

—

CAPUT III.

DE RELATIONIBUS ECCLESIAE CUM SOCIETATIBUS CIVILIBUS CATHOLICIS.

29. Principes et reges Ecclesiam catholicam sinant uti legibus suis, nec libertati ejus quemquam permittant obsistere. Certum est enim hoc rebus suis esse salutare, ut, cum de causis Dei agatur, juxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeant subdere non praeferre (1).

30. Ecclesia absque civilis gubernii venia et assensu auctoritatem suam exercet, et Romanus Pontifex sive per se, sive per Episcopos jus habet literas apostolicas libere promulgandi (2).

31. Gratiae a Romano Pontifice concessae non indigent assensu civilis gubernii ut validae sint et effectum habeant; neque oportet ut per ipsius medium sint imploratae (3).

32. Statuta omnia quae fieri contigerit a quacumque potestate contra fidei integritatem et incrementum, nec non contra apostolica mandata et patrum decreta et ecclesiasticam hierarchiam et disciplinares Ecclesiae leges et jura, et contra temporalem Papae dominationem in statu ecclesiastico omnino sunt irrita nec ullum producere possunt effectum (4).

33. Semper expedit Catholicam religionem haberi tamquam unicam status religionem caeteris quibuscumque cultibus exclusis (5). Injuriosum est Deo in catholicis regionibus lege permittere ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere; verissimum enim est civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones et cogitationes palam publiceque manifestandi ad animos populorum corrumpendos conducere et indifferentismi pestem propagare (6).

34. Reges et principes catholici sunt jurisdictioni Ecclesiae subjecti. Ecclesia a Statu, et Status ab Ecclesia sejungi nequit. Licet enim principes praesideant rebus civilibus, devoti tamen oportet catholicis praesulibus sint subjecti in rebus religionis, atque ab eis causas propriae salutis expetere, eisque, ut competit ordine religionis, obedire; nec eosdem praesules existiment posse ad regiam redigere voluntatem. Antistites vero parent legibus civilibus honestis, atque Status tranquillitatem et prosperitatem promovent; verum si contra leges divinas et ecclesiasticas quidquam civiles potestates promulgaverint nulla pati id ratione poterunt Episcopi (7).

35. Laica potestas non habet per se jus praesentandi Episcopos, nec potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem et administra-

(1) S. Felix in epist. ad Zenonem imperatorem. Pius VII in Encycl. *Diu satis*, 17 maji 1800.

(2) Pius IX *Memineritis episcopi*, alloc. 30 sept. 1861 et in alloc. 19 dec. 1856.

(3) Ibidem.

(4) Gelasius cp. 9. 25 q. 1. c. *Primam sedem* 25 q. 1 c. *Omne*. Pius IX in plur. encycl.

(5) Pius IX in alloc. *Nemo vestrum*, 26 julii 1855.

(6) Pius IX in alloc. citata et in alia *Acerbissimum*.

(7) Pius IX Epist. Apostol. *Multiplices inter*, 10 junii 1851 et saepe in decretal.

tionem antequam ipsi canonicam a Sancta Sede institutionem et apostolicas literas accipiant. Sacrilegum est laicum gubernium, qui deponere audet ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos: et temerarium est adversari Romano Pontifici in iis, quae Episcopatus et Episcoporum respiciunt institutionem. Sub anathematis poena a Concilio Lateranensi IV sub Alexandro III celebrato interdicitur saecularibus potestatibus Episcoporum jurisdictionem quacumque ratione minuere sibive usurpare. Item sub ejusdem anathematis poena, prohibitum est ipsis onera super Ecclesias et clericos inconsulta Sancta Sede imponere. Permittitur Episcopis et clero subsidia quaedam communitatibus conferre dummodo necessitas communis et nulla coactionis species existat.

36. In ordinatione Episcoporum, sacerdotum et caeterorum ordinum nec populi, nec cujusvis saecularis potestatis et magistratus consensum seu vocationem sive auctoritatem ita requiri credendum est, ut sine ea irrita sit ordinatio; quin potius qui tantummodo a populo vel a saeculari potestate ac magistratu vocati et instituti ad haec ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiae ministros, sed fures et latrones per ostium non ingressos habendos esse Concilia decreverunt (1).

37. Civilis potestas non habet facultatem inducendi impedimenta matrimonium dirimentia seorsim ab Ecclesiae auctoritate, quae jure suo habet hanc facultatem; nec civilis potestas impedimenta existentia tollere unquam potest. Soli enim Ecclesiae datum est solvere et ligare quaecumque in terris, quae soluta et ligata erunt in coelis (2). Si quis enim dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit (3). Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere ut plures impediant et dirimant, anathema sit.

38. Causae matrimoniales, et sponsalia suapte natura non ad forum civile, sed ad ecclesiasticum pertinent. Concilium enim Tridentinum definivit: « Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit (4). »

Forma Tridentinae Synodi sub infirmitatis poena obligat in celebratione matrimonii; irrita erit quaecumque formae substitutio a civili lege statuta, qua civilis potestas velit matrimonium valere. Non potest enim inter Christianos vi contractus mere civilis constare veri nominis matrimonium. Contractus enim matrimonii inter Christianos est sacramentum, et nullus est contractus matrimonii si sacramentum excludatur (5).

(1) Conc. Lateran. III sub Alex. III const. 19.
(2) VI Decr. In variis constit. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 17.
(3) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. IV, de Eccl. Hierarchia.
(4) Pius IX in Syllabo.
(5) Ibid.

39. Laica potestas non habet jus immutandi aetatem pro religiosa professione tam virorum, quam mulierum ab Ecclesia praescriptam. Nec familiis religiosis potest indicere ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant. Sacrilegum est religiosas familias ab eorum domibus expellere earumque bona rapere et (quamquam invalide et nulliter) vota a religiosis emissa solvere (1).

40. Civilis potestas abrogare nequit leges, quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, et ad earum jura et officia pertinent; nec potest iis omnibus auxilium praestare qui a suscepto vitae religiosae instituto deficere, ac solemnia vota frangere velint; nec religiosas familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus penitus extinguere: illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

41. Civilis auctoritas non potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc non potest de instructionibus judicare quas Ecclesiae Pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; imo minus de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere (2). Sacrorum enim mysteriorum administratio, ita jure proprio ac peculiari est auctoritatis Ecclesiae, ut ejusdem auctoritatis proprium ac peculiare sit regulas istas statuere, tum circa personas, quibus Sacramenta administranda sunt, quaeve ab iis arceri debeant. Hinc si quis sacro charactere, vel Ecclesiastica dignitate destitutus, aut ab iis, qui hujusmodi auctoritate pollent, non requisitus, aut, quod pejus est, animo ductus ut obedientiam Ecclesiasticis sanctionibus debitam impediat, et his rebus se commisceat, ille profecto in Sanctuarium manus injicit, facit quod illicitum est ac nefas; evertit Ecclesiae disciplinam in sacris literis in Ecclesiastica traditione, in communi omnium consensu fundatam (3).

42. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus Reipublicae instituitur, nec potest nec debet attribui auctoritati civili, sed auctoritati Ecclesiasticae, quae recognosci oportet in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in moralitate instructionis, in graduum collatione, in delectu et approbatione magistrorum (4).

43. Optima civilis societatis ratio postulat ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae literis severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, subjiciantur Ecclesiae auctoritati moderatrici, potestati et ingerentiae; quia Ecclesia magistra veritatis et moralitatis jus habet dirigendi et informandi mentes et corda hominum, et in scientias animadvertendi. In-

(1) Pius IX in Syllabo.

(2) Pius IX in Consistoriali 1 nov. 1850.

(3) Bened. XIV in Brevi 17 oct. 1756 ad regem Galliae.

(4) Pius IX *Quibus auctoritatibus*, Const. 5 sept. 1851.

justum sane est instituta juventutis arbitrio politicae auctoritatis et ad communium aetatis opinionum amussim relinquere (1).

44. Seminaria clericorum omnino debent auctoritati Ecclesiae subesse in rebus administrandis, in methodo studiorum adhibenda, in selectione magistrorum, in disciplina, in acceptando vel expellendo juvenes alumnos, et in aliis quibuscumque rebus (2).

45. Principes temporales, si quid pro eorum pietate, et erga Apostolicam Sedem observantia, Romano Pontifici voluerint significare, aliquos sive Episcopos, sive alios, ab eis mittantur, quos fidos habebunt nuntios, ac relatores, quorum opera ab eadem Sede pro illorum dominiis, ditionibus et rebus firmandis ac stabiliendis, et cum Dei et sanctae religionis causa, sine qua tuto consistere haud possunt, conjungendis, opportuna sincerae charitatis officia, consilia atque subsidia expectare certo poterunt (3).

(1) Epist. ad Archiep. Fribur. *Quam non sine*, 14 julii 1864.

(2) Pius IX *Numquam fore*, 15 dec. 1856.

(3) Sixtus V *Romanus Pontifex*, Constitut. 20 dec. 1585.

LIBER SECUNDUS

De Ecclesiastica Hierarchia.

CAPUT I.

DE PONTIFICE ROMANO.

46. Divina ordinatione in Ecclesia catholica instituta est hierarchia, quae constat Episcopis, Presbyteris et Ministris. In Sacramento Ordinis sicut in Baptismo et Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest: merito Tridentina Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatus, iterum laicus effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceat (1).

47. In Ecclesia existit hierarchia: anathemate irretitus est qui hoc negare praesumpserit. Ecclesiae hierarchia est a Christo Domino constituta velut castrorum acies ordinata; hinc praeter caeteros ecclesiasticos gradus, Episcopi, qui in Apostolorum locum successerunt ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinent, et positi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, iique superiores presbyteris sunt ac Sacramentum Confirmationis conferre et ministros Ecclesiae possunt ordinare atque alia pleraque peragere, quarum functionum potestatem nullam habent inferioris ordinis ministri (2).

48. Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset et per cohaerentes sibi invicem Sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, Pastor Aeternus Christus Dominus, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium, ac visibile fundamentum super cujus fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret... Si quis igitur dixerit beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput, vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit (3).

49. Quod autem in beato Apostolo Petro Princeps pastorum et Pastor Magnus ovium Dominus Christus Je-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIII. cap. IV. de Sacramento ord.

(2) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. IV, de Eccl. Hierarch.

(3) Pius IX Constit. *Pastor Aeternus* in Conc. Vaticano Sacro approbante Concilio.

sus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis ac Redemptore claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus Episcopis S. Romanae Sedis ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine vivit et praesidet, et judicium exercet. Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis et beatus Petrus in accepta fortitudine Petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea sede, e qua venerandae communionis jura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent. Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit (1).

50. Credendum ab omnibus Christi fidelibus est, Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et doctorem infallibilem existere: et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse (2).

51. Credendum quoque est Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli, quam simul omnes officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent: ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo Pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest (3).

52. Tantum autem abest, ut haec

(1) Pius IX Constit. *Pastor Aeternus* in Conc. Vaticano sacro approbante Concilio.

(2) Ibid.

(3) Ibid.

Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur (1).

53. Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnata et reprobata est sententia illorum, qui supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere nisi potestatis saecularis placito confirmentur (2).

54. Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex Universae Ecclesiae praeest, definitum est etiam et declaratum, eum esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri. Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant qui affirmant licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad Oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare (3).

55. Si quis itaque dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent, aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis, aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes ac singulos pastores et fideles; anathema sit.

56. Credendum quoque est Romanum Pontificem cum ex cathedra loquitur, idest, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex se se, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse (4).

(1) Pius IX Constit. *Pastor Aeternus*, in Conc. Vaticano sacro approbante Concilio.

(2) Ibid.

(3) Ibid.

(4) Ibid.

CAPUT II.

DE CARDINALIBUS.

57. Postquam verus ille atque aeternus Pastor et Episcopus animarum Christus Dominus ad gubernandam universalem Ecclesiam, quam suo pretioso sanguine acquisivit Apostolorum Principi B. Petro coelestis simul ac terrae tradidit plenitudinem potestatis, eique suas in terris vices commisit, sicut in cathedra ipsius Petri successor et verus Christi Vicarius Romanus Pontifex divina praeordinatione, ejusdem Supremae Apostolicae dignitatis fastigium et locum in terris tenet, ita etiam sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinales repraesentantes personas Sanctorum Apostolorum dum Christo Salvatori regnum Dei praedicanti atque humanae salutis mysterium operanti ministrarent, eidem Pontifici in executione sacerdotalis officii et in dirigenda ipsa Ecclesia catholica cui praeest consiliarii et coadjutores assistant, quasi oculi et aures ac nobilissimae Sacri Capitis partes et praecipuae illius membra a Spiritu Sancto constituta, qui in hac ipsa Ecclesiastica hierarchia divina dispositione, instar illius coelestis, cui ex altera parte respondet, ordinata, ad altissimum gradum erecti, cum ipso Romano Pontifice communi Patre ac Pastore ad quem ex omnibus undique gentibus ac nationibus, in gravissimis, maximeque arduis rebus fideles omnium generum, omnium ordinum, summi, infimi quotidie confluunt, tanti ponderis molem atque onus populorum sustineant, et pro animarum salute, pro fide, pro justitia, pro unitate assidue vigilent ac laborent, qui circa ipsum universali Ecclesiae serviendo singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendant, quorum consilio idem Pontifex agenda disponat, quorum opera et necessaria et plurimum fructuosa universae Reipublicae Christianae in secundis ornamento et commodo in dubiis praesidio et adjumento esse possit, denique pro exaltatione catholicae Religionis, pro pace et quiete Christiani populi pro augmento et honore Sanctae Sedis Apostolicae sanguinem, si ita res ferat et Spiritum constanter effundant (1).

58. Ex eorum corpore, numero et collegio ille ipse, qui cunctis pastoribus est praeficiendus, ac totius Dominici gregis curam habiturus Summus Pontifex deligitur, iidemque illum suis suffragiis creant; qui tunc demum publico bono Christiani populi optimus sine ulla dubitatione existet, si e numero et suffragiis bonorum deligetur; in hac sacra electione censendi sunt veri interpretes atque internuntii voluntatis Dei, cujus spiritu sicut universum Ecclesiae corpus sanctificatur et regitur, ita maxime hoc totum hujusmodi electionis opus ejusdem afflatu et instinctu absolvi certissimum est atque ab omnibus exploratum, ut vel ex hoc ipso perspici possit, quanta in eis requiratur puritas et sinceritas ab omni carnis affectu privatorum commodorum cura et factionum studiis aliena quorum pectora et voces, templa et organa fu-

(1) Sixtus V in const. *Postquam*, 9 dec. 1586.

tura sint Spiritus Sancti, et ex quibus quasi seminibus is sit proditurus in quem totius Apostolicae potestatis plenitudo, Deo annuente, merito conferatur.

59. Cuncti Cardinales simul numerum septuaginta nullo unquam tempore excedant. Ex hoc numero Cardinalium Diaconi quatuordecim, reliqui omnes praeter sex Episcopos Presbyteri sint et esse debeant, Diaconorum autem numerus sic praefinitus, perpetuo retineatur, ac Diaconi in eorum ordine semper remaneant, et si qui eorum ex devotionis fervore ad Presbyteratus ordinem promoti fuerint, semper tamen in eodem Diaconatus ordine et officio ministrent et suum locum inter Diaconos Cardinales teneant, donec ex Cardinalibus de novo creandis sive eligendis alii Diaconi praedictum numerum suppleant, et in eorum locum subrogentur ac substituantur.

60. Quo casu antiquiores Diaconi ad Presbyteratus ordinem promoti, ad Presbyteros Cardinales transire, atque inter eos sedere valeant et connumerari. Ut vero Diaconos Cardinales, qui in sua vocatione permanserint et in ministerio ordinis sui perseveraverint, majoribus honoribus afficiantur a Sixto V statutum fuit, ut cum aliquam e sex cathedralibus ecclesiis, quibus Episcopi Cardinales praesunt, primo, secundo et tertio per obitum vel translationem, aut alias pro tempore vacare contigerit, antiquior quidem Presbyter Cardinalis praesens, salvo cuique Episcopo Cardinali jure transeundi ad eam, dimissa priore, cui praeerat, ut moris est promoveatur, sed ubi post tres vacationes, tres ibidem ex ipsis Presbyteris Cardinalibus in Episcopos praefecti fuerint, tunc si quarta alicujus harum ecclesiarum vacatio contigerit, excluso ea tantum vice antiquiore Presbytero, prior Diaconorum Cardinalium, qui praesens fuerit, et in aetate legitima constitutus, vel si ille noluerit, aut nequiverit assumi, sequens Diaconus eisdem qualitatibus praeditus, ad eam promoveatur, et ita deinceps in hujusmodi vacationibus sex ecclesiarum praedictarum perpetuo observetur, ut post tres Presbyterorum ad dictas ecclesias promotiones quarta occurrente vacatione prior Diaconorum aut sequens ut praefertur in Episcopum praeficiatur (1).

61. Prior Diaconorum Cardinalium, seu alius sive immediate, seu successive sequens Diaconus Cardinalis, quarta occurrente vacatione ut praemittitur ad dictam ecclesiam, seu Episcopatum ex sex praedictis vacantem assumi, seu promoveri possit erigi et requiri debere, ut integros annos saltem decem et non pauciores in suo Diaconatus ordine permanserit, et in illius ministerio perseveraverit etiamsi numerus quatuor Cardinalium Diaconorum non sit expletus, dummodo ad minus decem Diaconi tunc existant (2).

Statutum est atque ordinatum has tantum, quae infra descriptae sunt, ecclesias, neque alias in titulos assi-

(1) In citata Bulla.

(2) Sixtus V in declaratione citatae constitutionis habitae in consistorio secreto, die 15 nov. 1589.

gnari debere, videlicet ex antiquis S. Crucis in Jerusalem, SS. Marcellini et Petri, SS. Quatuor Coronatorum, SS. Joannis et Pauli, Sanctae Anastasiae, S. Sabinae, S. Stephani in Coelio Monte, S. Clementis, SS. Nerei et Achillei, S. Susannae, S. Pudentianae, S. Sixti, S. Petri ad vincula, S. Martini in montibus, S. Eusebii, S. Priscae, S. Vitalis, Sancti Marci, S. Marcelli, S. Laurentii in Damaso, quae sanctae Romanae Ecclesiae Vice Cancellario pro tempore existenti perpetuo concessa et assignata est, S. Balbinae, S. Caeciliae et Chrysogoni, S. Praxedis, S. Mariae Transtiberim. Ex posterioribus vero SS. Quirici et Julitae, S. Joannis ante Portam Latinam, S. Agnetis in Agone, S. Laurentii in Palisperna, S. Thomae in Parrione, S. Sylvestri in Campo Martio, S. Pancratii, S. Bartholomaei in insula, S. Matthaei in Merulana, S. Mariae de Aracoeli, S. Mariae in Via, S. Mariae super Minervam, S. Mariae Angelorum in Thermis, S. Hieronymi Illyricorum, S. Honufrii in Janiculo, S. Augustini, S. Mariae de populo, S. Alexii in Aventino, S. Blasii de Annulo, Sanctae Mariae de pace, S. Salvatoris de Lauro, S. Petri in Monte Aureo, Ss. Trinitatis in Monte Pincio, S. Mariae Traspontinae.

62. Ex Diaconibus vero antiquis retinentur tantummodo quatuordecim; videlicet: S. Mariae in Aquiro, S. Mariae in Cosmedin, SS. Cosmae et Damiani, S. Mariae Novae, S. Hadriani, S. Mariae in via Lata, S. Mariae in Porticu, S. Angeli in foro Piscario, S. Nicolai in carcere Tulliano, S. Mariae in dominica, S. Eustachii, S. Viti in Marcello, S. Agathae ac S. Georgii ad velabrum, ecclesias quae insigniores existunt, et praescriptum Diaconorum Cardinalium numerum exaequant (1).

63. Ita ut computatis ecclesiis cathedralibus, videlicet Ostiensi et Veliterna invicem unitis, Portuensi et S. Rufinae ibidem unitis Albanensi, Sabinensi, Tusculana, Praenestina, quibus sex Episcopi Cardinales praesunt, et titulis presbyterorum superius designatis, numerum septuaginta ecclesiarum constituunt. Et alter praeterea titulus supra numerum additus sit, ut si quando contingat Diaconum vel Episcopum Cardinalem vice cancellarium esse et ideo eumdem dictae ecclesiae S. Laurentii in Damaso, quae vice cancellario pro tempore existenti per literas Clementis Papae VII perpetuo concessa et assignata fuit, praeesse alicui Presbytero Cardinali proprius titulus non desit (2).

64. Sic igitur ipsi Cardinales, quibus hujusmodi ecclesiarum regimen, cura et administratio pro tempore commissa erunt, eos in spiritualibus et temporalibus sollicite, fideliter et prudenter regant et gubernent, ac juxta constitutionem piae memoriae Leonis Papae X frequenter visitent circa cultum divinum invigilent, mores ac vitam Cleri et populi ejus subjecti diligenter explorent, eosque ad recte et honeste vivendum paterno moneant affectu, bonorum ac temporalium reddituum curam ge-

(1) Sixtus V in constit. *Religiosa sanctorum*, die 13 maji 1587.

(2) In citata constit.

rant, sic ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem pia et magnifica structura et fabrica suas quique ecclesias instaurare studeant et exornare; et tam in vita, quam in mortis articulo pro divini cultus augmento et salute animarum suarum, ad congrue sustendandum aliquem Presbyterum, qui inibi in divinis deserviat, sive alias erga ipsas ecclesias si reparatione indigeant, vel alia subventione de bonis sibi a Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conscientia dictaverit, munificos se exhibeant, et liberales ut earumdem ecclesiarum decora et ornamenta tantorum praesulum respondeant dignitati, ac ipsae Ecclesiae tam sublimibus personis gaudeant se commissas, et eorum amplitudine illustratas, iidemque Cardinales exinde ipsius S. R. E. cujus nobilissima membra sunt, majestatem sua pietate, sollicitudine et prudentia in dies magis extollant et reverentiam omnium gentium erga illam exemplis bonorum operum insigniter augeant, ac denique praeter aeternae retributionis praemia, digna quoque laudum praeconia ab Apostolica Sede valeant promereri (1). Cardinales apud Pontificem in Romana Curia residere tenentur nec nisi obtenta ipsius Pontificis licentia a statu ecclesiastico discedant (2).

CAPUT III.

DE CONGREGATIONIBUS CARDINALIUM.

65. Jure optimo Romanus Pontifex, quem Christus Dominus corporis sui, quod est Ecclesia, visibile caput constituit, omniumque Ecclesiarum sollicitudinem gerere voluit, multos sibi tam immensi oneris adjutores advocat, atque adsciscit, cum venerabiles Episcopos fratres suos, quos toto terrarum orbe ad singulos greges pascendos mittit, tum amplissimum ordinem S. R. E. Cardinalium, qui tamquam nobilissima membra (ut dictum est) capiti propius cohaerentia, eidem Summo Pontifici, sicut Christo Domino Apostoli, semper assistunt, quique primi laborum et consiliorum socii sunt, et participes; ut partita inter eos, aliosque Romanae Curiae Magistratus ingenti curarum negotiorumque mole, ipse tantae potestatis clavium tenens, divina gratia adjutrice, non succumbat (3).

66. Pontificium igitur onus inter senatores orbis terrae scilicet Cardinales apta quadam distributione, pro tempore conditione, negotiorum multitudine et varietate, ipsaque utilitatis ratione salubriter partiri statutum est. Eo in primis fine ut qui ex omnibus nationibus ad Sanctam Romanam Ecclesiam matrem, magistram, perfugiumque fidelium devotionis, salutisque studio, juris persequendi, gratiae impetrandae, aliasve multiplices ob causas frequentissimi confugiunt ii, qui et tuto et commode Romam perveniunt; et ut facilius celeriusque expediantur, distinctos Cardinalium conventus et Congregationes, ad certas rerum, negotiorumque tractationes paratas habeant, Cardinalesque ipsi distributi muneris partem levius

(1) In citata constit.
(2) Innocentius X constit. *Cum juxta*, 1646.
(3) Sixtus V const. *Immensa*, 1588.

ferant, diligentius administrent, commodius consulant Pontificem, et viri primarii publicis in rebus exercitati nullo unquam tempore desint. Congregationes variae constitutae sunt, singulisque certa negotia sunt assignata, ita ut graviores difficilioresque consultationes ad Pontificem referant, ac unicuique earum suas facultates et auctoritatem in eum modum, qui infra descriptus est, Summus Pontifex definiat (1).

Congregatio Supremae Inquisitionis.

67. In primis igitur quoniam fides, sine qua impossibile est placere Deo, totius spiritualis aedificationis fundamentum est, ut possit hoc pretiosum depositum quod Summo Pontifici potissimum a Christo Domino in beato Petro Apostolo est creditum, adversus omnes inferorum portas integrum inviolatumque custodire, Congregatio Sanctae Inquisitionis haereticae pravitatis in Urbe instituta est ex Cardinalium aliquo numero composita, cui ob summam rei gravitatem Romanus Pontifex praesidere solet. Auctoritate pollet haec Congregatio et gaudet facultate inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi et definiendi in omnibus causis tam haeresim manifestam, quam schismata, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, Sacramentorum abusus, et quaecumque alia, quae etiam praesumptam haeresim sapere videntur concernentibus, non solum in Urbe et statu temporali Sanctae Sedi subjecto, sed etiam in universo terrarum orbe, ubi Christiana viget religio super omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et alios inferiores ac Inquisitores, et quoscumque regulares quocumque privilegio illi suffulti sint (2). Inquisitores etiam facultate ampla, libera et plena gaudent revidendi causas ad objectum Congregationis spectantes etiam a quibusvis decisas, easque in statu et terminis, in quibus ante praedictas sententias et decreta ac canonicas purgationes quomodolibet reperiebantur, reassumendi, fineque debito terminandi (3).

68. Insuper pro faciliori causarum expeditione et terminatione statutum est ut quidquid per majorem partem S. R. E. Cardinalium qui in Congregatione pro dicto officio intervenerint, seu convenerint dictum, gestum, ordinatum, decretum, terminatum seu sententiatum exhibuerint sit validum et firmum, ita et taliter quod nullo modo impugnari possit, perinde ne si omnes et singuli Cardinales praedicti in dicta Congregatione convenissent, et major pars consensisset (4).

Huic Congregationi facultas data est omnia negotia ad fidem pertinentia et causas pertractare, propositiones judicare, deque eis censuram pronuntiare, et libros condemnare scelestos, de sacramentorum administratione et de moribus peragere.

Congregatio pro Indice Librorum.

69. Congregatio pro Indice librorum prohibitorum, appendix est Sacrae Inquisitionis; Cardinalibus itidem

(1) Sixtus V in citata constit.
(2) Pius IV const. *Cum nos*, 1564.
(3) Pius V *Inter multiplices*, 1566. Quoad regulares P. IV in constit. *Pastoris Aeterni*, 1562.
(4) Pius IV *Cum nos*, constitut.

constat, ut qui ad libros prohibendos expurgandosve delecti sunt, in ea cura diligenter ac majori cum fructu versentur; illis facultates tributae sunt ut librorum ejusmodi catalogos, et indices, eorumque regulas editas recognoscant atque examinent; et certorum auctorum libros prohibitos aut quovis modo in prioribus indicibus suspensos diligenter excutiant, et prout expedire videatur judicent; libros vero qui post Indicem Tridentini Concilii jussu editum prodierunt, catholicae doctrinae, christianorumque morum et disciplinae repugnantes expendant et recognoscant, ac ubi Pontifici Romano retulerint, ejus auctoritate rejiciant: hominum vero injurio et dolo depravatos emendent; eos libros, qui paucis erroribus rejectis, alioquin utiles studiosis esse possent, expurgandi atque corrigendi modum ineant, indicesque expurgatorias conficiant, novos praeterea libros approbandi et imprimendi rationem praescribant.

Congregatio Sacrorum Rituum.

70. Jam vero cum sacri ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta ex Apostolica traditione et disciplina utitur, in Sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei et Sanctorum veneratione magnam christiani populi eruditionem, veraeque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum majestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant et devotionis etiam igne inflamment, ut filiorum Ecclesiae pietas et divinus cultus sacris ritibus et caeremoniis conservandis magis augeatur, Congregatio rituum constituta est, cujus est praecipue cura incumbere ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus urbis orbisque ecclesiis, etiam in capella Pontificia, in Missis, divinis Officiis, Sacramentorum administratione, caeterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur; caeremoniae si exoleverint, restituantur, si depravatae fuerint reformentur, libros de sacris ritibus et caeremoniis prout opus fuerit reformet et emendet, Officia divina de sanctis Patronis examinet, et consulto prius Pontifice concedat. Diligentem quoque curam adhibeat circa Sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite et recte et ex Patrum traditione fiant. Controversias de praecedentia in processionibus, aut alibi, caeterasque in hujusmodi sacris ritibus et caeremoniis incidentes difficultates cognoscat, summarie terminet et componat (1).

Congregatio Signaturae.

71. Congregatio pro Signatura Gratiae, cui Pontifex praesidet, instituta est quia cum e diversis Orbis terrarum partibus, ob multiplices gratias obtinendas, magni concursus fiant, supplicesque libelli referantur, quae judicum ordinaria facultate expediri nequeunt, potestate principis, qui viva est lex, justis de causis explicentur et concedantur. Sane pro loci dignitate et rerum ratione, magna circumspectio adhibenda est, ut et

(1) Sixtus V in citata constitut.

honestae supplicationes, quantum cum Domino licet, exaudiantur, et multorum petentium importunitas coërceatur.

72. Cardinales adscripti Signaturae sunt ad hoc, ut omnes signaturam Pontificis quavis de causa adeuntes, benigne audiant, porrectasque oblatorum petitiones informatione excipiant, Pontifici vero dum supplices libelli referuntur assistant, opportunumque consilium afferant, omnique deposito humano affectu sincere suam quisque sententiam etiam non rogatus ex conscientia dicat. In praedictam Congregationem adscribendi semper Cardinales sunt qui his muneribus et officiis praefecti sunt; videlicet Major Poenitentiarius, Praefectus Signaturae gratiae, Praefectus Signaturae Brevium, Praefectus Signaturae Justitiae, et qui Datarii munere fungitur, si Cardinalis fuerit. Qui omnes simul atque eas Praefecturas et Officia adepti erunt, statim in ipsam signaturam adnumerati censeantur.

Congregatio pro Consultationibus Episcoporum et Regularium.

73. Congregatio pro Consultationibus Episcoporum et Regularium Cardinalibus constat, quibus facultas data est ut Regularium, Claustralium Mendicantium et non Mendicantium, Hospitaliorum et Militarium possidentium et non possidentium, cujusvis demum Ordinis sint, controversiis, dubitationibus, consultationibusque propositis respondeant. Causas vero, quas inter ipsos Religiosos oriri contigerit juxta quarumcumque Religionum instituta, eorumque dispositionem, velut superiores illorum definiant atque terminent. Dum autem inter Episcopos et Regulares dubitationes inciderint, quae sub decretorum Concilii Tridentini dispositione aut interpretatione comprehendantur, eos ad eamdem Congregationem Concilii remittant. Audiant ibidem ac decidant praedicti Cardinales causas et controversias inter praedictos Ordines vertentes, sive in universum, sive ratione particularium locorum dummodo formam judiciariam non requirant. Conceditur etiam ut dictis regularibus, non ad laxiorem, nec ad parem, sed ad arctiorem Religionem transeundi, iis quos fervore spiritus incensos ad perfectionis vitae statum transire velle constiterit licentiam dare possint. Apostatarum quoque, ejectorum et praeterea extra monasteria degentium aut vagantium causam iidem Cardinales audiant, et cognoscant, eosque coërcendi potestatem habeant (1).

74. Curent praeterea visitationis apostolicae jussa et constitutiones editas a Romanis Pontificibus circa ipsos Regulares exequendas, et in usum introducendas. Provideant insuper Regulares laudatae vitae, zelo Dei et salutis animarum et prudentiae spiritu praeditos, institutorumque Regularium ordinis et laudabilium consuetudinum peritissimos, qui cum necessitas exegerit, provincias sui ordinis, et non alterius, receptis a Pontifice literis, ad Omnipotentis Dei laudem et locorum utilitatem salubriter visitare valeant. Sub nomine autem

(1) Sixtus V in cit. constitut.

Regularium etiam Moniales cujusvis sint regulae et observantiae comprehendi intelliguntur. Omne denique studium Cardinales ipsi impendant, ut ab inferioribus erga superiores debita humilitas et obedientia, ac vicissim a superioribus erga illos paterna benevolentia in multa charitate disciplina, et in spiritu lenitatis adhibeatur, neve superiores dominentur inter fratres, sed paterno officio fungentes se esse meminerint. Postremo eosdem Cardinales quasi Religiosorum omnium tutissimum perfugium, esse optatur, ut eorum auctoritate et auxilio recreati, fratres stadium Religiosae vitae, et Regularis perfectionis sine impedimento strenue percurrant (1). Eadem sacra Congregatio pro Consultationibus Episcoporum et aliorum Praelatorum et Regularium facultatem habet, ut Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Praelatorum et Ordinariorum quorumcumque, etiam inferiorum, non tamen Regularium, petitiones audiant, propositisque difficultatibus, quaestionibus ac controversiis, aliisque super quibus consulti fuerint, etiam per literas sedulo, humaniterque respondeant, dubia, rationes, et causas Ecclesiarum, earumque dignitatis, jurisdictionis, exemptionis, immunitatis jurium, privilegiorum et laudabilium consuetudinum conservationem concernentes summarie cognoscant, atque tam ex partium petitione quam ex officio componant prout honestum opportunumque eis videbitur. Causas item et controversias inter eosdem Praelatos de jurisdictione, aliave de causa exortas, item inter capitula, aut obtinentes dignitates, ac inter quascumque singulares personas, et universitates aut locorum in temporalibus dominos, praeter eas, quae Concilii Tridentini interpretationum exigunt, vel ordinem judiciarium reipsa requirunt, examinent, atque amicabiliter desuper transigere, etiam per alios, si ita consultum videbitur, etiam extra dioecesim curent.

(1) Sixtus V in cit. constitut.

75. Ac praeterea ad Ecclesias visitandas ubique locorum, in quibus Christiana viget Religio, visitatores Sedi Apostolicae praesentent, ut cum in domino expedire videbitur destinari valeant. Visitationis item formam illis praescribant, ut multo cum spirituali fructu et fidelium aedificatione munus suum obeant, negotiorumque omnium tractationis modum assignent, ac negligentiam, si quando opus erit emendent. Insuper ubi necessitas exegerit, viros usu et doctrina idoneos rectos et timentes Deum deligant, qui literarum apostolicarum auctoritate suffulti, Ecclesias ut Vicarii apostolici regant, denique iidem Cardinales immunitates Ecclesiarum defensores ad tuendum ipsorum Praelatorum personas et bona quaecumque Ecclesiarum ab omnium injuriis atque oppressionibus adversus quoscumque quavis auctoritate praefulgentes constituti sunt.

Congregatio pro interpretatione et executione Concilii.

76. Facultas Congregationi Cardinalium pro executione et interpretatione decretorum Concilii Tridentini, non ea, quae ad fidei dogmata per-

tinent, quorum interpretatione Summo Pontifici est reservata extenditur, sed ad ea quae de morum reformatione, disciplina, ac moderatione et Ecclesiasticis judiciis aliisque hujusmodi statuta sunt, si dubietas aut difficultas emerserit, Pontifice consulto et apostolica approbatione. Provincialium vero ubivis terrarum illa celebrentur, decreta ad se missa recipit eaque singula expendit, recognoscit. Patriarcharum praeterea, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum (quibus beatorum Apostolorum limina certo constituto tempore visitare jussum est) postulata audit, et quae congregatio ipsa per se poterit, ex charitatis et justitiae norma expediat, majora ad Pontificem referat, qui Episcopis quantum cum Domino licet, gratificatur. Item ab iisdem praesulibus Ecclesiarum exposcit quae in Ecclesiis eorum curae ac fidei commissis Cleri, Populique morum disciplina sit, quae Conciliorum decretorum cum in omnibus, tum praesertim in residentiae munere, executio, quae item piae consuetudines, et qui omnium denique in via Domini sint, progressus, ipsisque ut literas ex formula praescripta in testimonium habitae per eos visitationis liminum sanctorum eorumdem Apostolorum praescribit. Habeat Congregatio auctoritatem promovendi reformationem Cleri et populi, nedum in Urbe et Statu Ecclesiastico temporali, sed etiam in universo Christiano Orbe, in iis quae pertinent ad divinum cultum propagandum, devotionem excitandam, et mores Christiani populi ad praescriptum Concilii universalis componendos atque ad rationes temporibus necessarias in Deo conformandos.

Congregatio pro Consistorialibus Provisionibus.

77. Congregatio Cardinalium pro erectione Ecclesiarum et provisionibus Consistorialibus cognoscit in primis de legitimis causis erectionum novarum Ecclesiarum quarumcumque, Patriarchalium Metropolitarum et Cathedralium, ac de cujusque earum dote, Capitulo, Clero, et populo, et aliis quae ad ejusmodi erectiones, juxta praescriptum Sacri Concilii Tridentini et Sanctorum Patrum Decreta, necessaria erunt. Examinent praeterea omnes difficultates de his incidentes, controversias quoque inter eas, quae jam erectae sunt, nec non dictarum Ecclesiarum, dioecesium vel monasteriorum uniones dismembrationes, cessiones, permutationes, translationes, pensionum super illorum redditibus assignationes, monasteriorum pluralitatem, dignitatum incompatibilitatem, praesentationes, nominationes, electionum sive postulationum confirmationes, seu admissiones, suffraganeorum coadjutorumque deputationes cum futura successione, sive absque eadem successione, curamque adhibebunt solertem circa aetatem et qualitatem promovendorum, eaque discussa et examinata ad Summum Pontificem referant, ut pro ejus arbitrio, in Consistorio secreto juxta formam ordinariam proponantur (1).

(1) Sixtus V in cit. constitut.

Congregatio de Propaganda Fide.

78. Ut majori cum vigilantia, cura et fervore opus de conversione infidelium prosequi detur, in unum consilia Cardinalium congregantur adhibitis etiam aliquot Romanae Curiae Praelatis et Religiosis viris, ac Secretario. Quod opus ut commodius praestari queat, semel coram Pontifice, ac bis saltem in domo Congregationis quolibet mense membra hujus Congregationis conveniant, omniaque et singula negotia ad fidem in universo mundo propagandam pertinentia cognoscant, et tractent, et graviora, quae in praedicta domo congregati tractaverint ad Pontificem referant: alia vero per se ipsos decidant, et expediant pro eorum prudentia. Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium et Catholicam doctrinam superintendant, ministros necessarios constituant, et mutent: omnia et singula alia desuper necessaria et opportuna, etiamsi talia fuerint, quae specialem, specificam et expressam requirant mentionem faciendi, gerendi, tractandi, agendi, et exequendi plena, libera et ampla facultate, atque auctoritate Congregatio potiatur (1).

Congregatio de Immunitate

79. Congregatio de Immunitate Ecclesiastica advigilare tenetur ne hoc Ecclesiarum et Ecclesiasticorum privilegium reale locale et personale immunitatis violetur a laica quavis potestate. Jus habet insuper causas cognoscendi, componendi, atque terminandi, quae ad hujusmodi immunitatem pertinent.

Congregatio de Indulgentiis ac Reliquiis.

80. Congregatio de Indulgentiis et Reliquiis a Clemente IX instituta curam habet ne abusus aliquis introducatur in publicatione indulgentiarum a scriptoribus vel a praedicatoribus falsa jactantibus testimonia, et ne thesauri Ecclesiae spirituales aspernentur. Haec insuper Congregatio officium habet declarandi veras Sanctorum reliquias, et rejiciendi falsas.

Congregatio pro Fabrica S. Petri.

81. Congregatio fabricae templi divo Petro dicati non solum materialis manutentionis templi divi Petri in Vaticano curam habet, verum etiam invigilat ut ubique obligationes circa Missarum celebrationem observentur, et ubi nequit capellania, aut alius numerus Missarum adimpleri, potestate gaudet eas reducendi ad minorem numerum, vel stipendium pro Missis modificandi.

Appendix
Congregationis pro interpretatione Concilii.

82. Tamquam appendix Congregationis pro interpretatione Concilii instituta est a Benedicto XIV alia Congregatio Praelatis constans, qui respondere valeant Episcopis in rebus parvi momenti, et materiam Congregationi pro Interpretationi Concilii examinandam praeparare.

Appendix
Congregationis Episcoporum et Regularium.

83. Congregationis Episcoporum et Regularium appendix est alia Con-

(1) Greg. XV *Inscrutabili*, constit. edit. 1622.

gregatio ab Innocentio XII instituta, de Disciplina scilicet Regulari, quae principalem Regularium Congregationem coadjuvare debet et possit. Cardinalibus quoque constat; et praesertim de rebus ad disciplinam regularem spectantibus pertractat.

84. Ut Congregationum praedictarum expeditiones validae existant, Cardinales in qualibet Congregatione non sint pauciores tribus. Ad judiciorum vero confusionem evitandam unaquaeque congregatio quando aliqua causa, quaestio vel consultatio ad eam delata fuerit, diligenter perpendat an ad ipsam proprie ejus causae cognitio et expeditio pertineat, et si ad se minime spectare cognoverit, eamdem ad judices ordinarios vel ad propriam congregationem remittat.

85. Itidem Cardinales dictarum Congregationum proprios sigillatim habeant Secretarios et ad res, quae in dies geruntur, adnotandas, et in publicam formam si opus fuerit redigendas.

Praedictae Congregationes viros sacrae Theologiae, Pontificii, civilisque juris peritos et rerum gerendarum usu pollentes in consultationibus advocent, atque adhibeant, ut causis, quaestionibus, et negotiis optime discussis, quae Dei gloriae, animarumque saluti et justitiae, atque aequitati consentanea maxime erunt, decernantur, graviora vero quaecumque ad Pontificem deferantur, ut quid secundum Deum expediat, ejus gratia adjuvante mature statuatur (1).

Si ante inchoatum judicium coram aliquo judice, pars coram Congregatione conventa renuerit in illam consentire, et noluerit causam a Congregatione terminari, tunc ad judicem competentem remittatur.

Quod si coram aliquo judice inchoatum fuerit judicium, et deinde partes concordes Congregationem adjuverint, tunc Congregatio causam decidat, et acta ad se transportari faciat.

86. Quod si causa coram Congregatione coepta fuerit, et deinde aliquod emergens supervenerit, tunc nedum illa causa coepta, verum etiam illud emergens a Congregatione expediatur.

87. Quod si causa in ipsa Congregatione decisa requirat ut super illa expediatur supplicatio vel Breve, tunc in ipsa supplicatione vel in ipso Brevi fiat mentio causam de ordine Congregationis fuisse terminatam.

De Sacra Poenitentiaria.

88. Poenitentiariae officium est se vertendi ad morum censuram et animarum salutem. Major Poenitentiarius Cardinalis esse debet, et Praefectus Poenitentiariae. Ipsi facultas est a Sancta Sede concessa ab excommunicationis vinculo irretitos absolvendi, nec non occulta impedimenta matrimonium vel impedientia vel dirimentia dispensandi, et occultas irregularitates, in quas spretu censurarum incurrerint ecclesiastici, nec non communicandi confessariis singulis petentibus, in actu, ejusmodi facultates officio potitur, per Constitutionem Pii IV. Abstinere autem tenetur a commutationibus ultimarum voluntatum, et eorum deroga-

(1) Declar. Sixti V post citat. constit.

tionibus; nec non ab unionibus perpetuis et suppressionibus beneficiorum ecclesiasticorum et applicationibus unius beneficii alteri beneficio, et illarum confirmationibus.

89. Item a concessione juris patronatus, seu praesentandi ad beneficia Ecclesiastica propter augmentum fructuum, sed tantum ex causa fundationis, vel donationis illud concedere possit. Similiter abstinent a licentiis standi extra claustra pro monialibus ex quacumque causa. Nec non a declaratoriis pro religiosis propter vim et metum, quos in ingressu religionis vel emissione professionis sibi illatos fuisse praetendant, quando post emissam professionem hujusmodi susceperunt sacros ordines in religione, etiamsi asseratur, quod eisdem vi et metu durantibus illos susceperint. In aliis autem casibus declaratoriae ipsae committantur ordinario loci et vocato Priore monasterii in quo fuerit emissa professione, et numquam in Curia etiamsi pars et testes praesentes essent. Nec concedat religiosis licentias standi extra claustra propter infirmitates et similia impedimenta, et nec etiam pro subventione parentum aut pupillorum vel aliorum consanguineorum, nisi obtenta licentia suorum superiorum, et in facultatibus pro religiosis eisdem transeundi de ordine ad ordinem, etiam in casibus a jure permissis apponatur semper clausula quod perpetuo ibidem in claustro Domino famulari teneantur.

90. Apostatis vero absolutionem non concedat, nisi ea lege expressa, ut statim ad claustrum proprii ordinis redeant, vel ad alium ordinem transeant aequalis vel arctioris observantiae, ut ibi perpetuam vitam agant. Nec illis aut aliis translatis praedictis indulgeatur ut beneficia ecclesiastica obtinere, vel illis, uti mercenarii deservire, aut alias etiam de superiorum suorum licentia extra claustrum quoquo modo degere valeant. Similiter non concedat commissiones alienationum vel permutationum, aut affrancationum aut illarum confirmationum de bonis ecclesiasticis in forma quae dicitur: SI IN EVIDENTEM, pro rebus quorum redditus annuus summam viginti ducatorum auri de Camera excedat et commissiones hujusmodi semper ordinario loci, et alteri personae in dignitate Ecclesiastica constitutae conjunctive committantur. Et si de ipsius ordinarii interesse vel praejudicio agatur, tunc loco ipsius committantur Metropolitano. Et si res ad ipsum Metropolitanum pertineat ordinario viciniori; et numquam similes concedantur commissiones, quando agitur de alienatione jurisdictionum, vel vassallorum ad Ecclesiam quovismodo pertinentium.

91. Praeterea, ne Ordinarii in corrigendis subditorum excessibus impediantur, et delicta impunita remaneant, non concedat absolutiones vel mandata de absolvendo ab homicidiis, vel aliis gravibus delictis etiam occultis, pro quibus de jure civili poena capitalis imposita sit, praeterquam in foro conscientiae dumtaxat. In reliquis vero minoribus et levioribus excessibus, de quibus tamen delinquens non fuerit citatus vel inquisitus, committere possit Ordinario,

ut imposita illi poena ejus arbitrio, eum etiam in foro fori absolvat, ipsumque ab executione ordinum, si secum super irregularitate dispensatum fuerit, similiter ejus arbitrio suspendat. Episcopis tamen vel eorum superioribus aut aliis Praelatis Sedi Apostolicae immediate subjectis et quibusvis personis in terris Ecclesiae et multo minus in Urbe delinquentibus, ab aliquibus delictis extra forum conscientiae absolutionem minime concedere possit.

92. Caveat etiam Poenitentiarius, ne in absolutionibus a simonia reali vel confidentiali, etiam occulta unquam concedat ut ipsi simoniaci beneficia, super quibus simoniam commiserunt, seu pecunias, vel alia pro illis accepta, aut fructus exinde post commissam simoniam perceptos in toto vel in parte retinere possint; quin imo in absolutionibus hujusmodi apponatur clausula, quod uterque ad beneficium, super quo fuit commissa simonia perpetuo inhabilis existat. Et insuper reo homicidii voluntarii, etiam alias canonice absoluto, altaris ministerium, aut ascensum ad superiores ordines, et restitutionem aut retentionem beneficiorum, quibus ipso jure quis privatus vel privandus sit concedere minime valeat. Nec minus literas de promovendo ad sacros ordines, ac etiam ad primam tonsuram a quocumque catholico antistite nisi allegetur justa causa, propter quam ab Ordinariis suis promoveri, nec ab eis, aut eorum officialibus literas dimissorias obtinere valeant, et tunc concedi possint a quocumque Ordinario, vel pro eo pontificalia exercente, et si causa allegata falsa fuisse deprehendatur, sic promoti ab executione ordinum per suos Ordinarios suspendi, vel illis etiam perpetuo privari possint.

93. Similiter idem Poenitentiarius non concedat absolutiones a juramento, nisi ad effectum agendi dumtaxat. Nec dispensationes matrimoniales in forma gratiosa, sed semper committantur Ordinariis. Neque concedat religiosis licentiam suscipiendi gradum doctoratus vel magisterii contra statuta ordinis, nisi ex aliqua probabili causa et nisi de licentia suorum superiorum. Nec a fructibus absolutionem, concedat indebite perceptis ratione intrusionis beneficio, vel ob promotionem, aut alium tituli defectum, etiam in foro conscientiae, nisi facta restitutione fructuum hujusmodi. Nec etiam absolutionem concedat pro usurpata jurisdictione vel violata libertate ecclesiastica etiam in foro conscientiae nisi cum clausula satisfacto prius de damnis et expensis partis lesae.

94. Neque facultates testandi juxta formam quinterni simpliciter, sed cum clausula « dummodo non supra summam centum ducatorum etiam ad pias causas ac pro servientibus. » Religiosis vero extra claustrum etiam cum apostolica dispensatione degentibus, facultates testandi nullo modo concedatur. Insuper non confirmet gesta per Ordinarios aut alios inferiores, illis de jure communi non concessa, nec suppleat eorum defectus. Minus etiam dispenset super aetate promovendorum ad sacros or-

dines de jure requisita, nec tempus praefatis ad munus consecrationis suscipiendum a jure statutum ultra tres menses et terminum anni Rectoribus Parochialium Ecclesiarum, et aliis quibusvis ad sacros etiam presbyteratus, ordines suscipiendos, a jure aut in fundatione beneficiorum quomodolibet constitutum, extra casus a jure permissos, ultra sex menses minime prorogare valeant. Et ultra praemissa, abstineat etiam ab expeditionibus quibuscumque, quae sibi per literas suarum facultatum expresse non conceduntur, nisi alias de jure communi in casibus, de quibus agetur ordinario concessae reperiantur.

Insuper officium Sacrae Poenitentiariae Sede Apostolica vacante in omnibus et singulis, quae ad forum fori quomodolibet pertinent, penitus et omnino conquiescat. Quodque ea tantum pro animarum salute expedire valeat, quae forum conscientiae respiciuntur (1).

CAPUT IV.

DE PATRIARCHIS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, PRESBYTERIS ET ALIIS ECCLESIAE MINISTRIS.

95. Inter beatissimos Apostolos in similitudinem honoris fuit quaedam discretio potestatis, ut cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut caeteris praemineret, de qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidem in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiae cura conflueret, et nihil a suo capite dissideret (2).

Hinc hierarchia jurisdictionis, cujus plenitudo in Romano Pontifice existit, inter Episcopos sic constituta est ut Patriarchae primum post Romanum Pontificem teneant locum. Appellantur autem Patriarchae quia summo honore funguntur, quasi Patrum Principes (3).

96. Ad antiqua Patriarcharum sedium privilegia confirmanda sancitum est, ut post Romanam Ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christifidelium et magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Jerosolymitana quartum locum obtineant, servata cuilibet propria dignitate, ita quod postquam eorum antistites a Romano Pontifice receperit pallium, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, praestito sibi fidelitatis et obedientiae juramento, licite et ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, et pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiae ab iisdem (4).

(1) Pius IV in constit. (In sublimi B. Petri anno 1561).

(2) S. Leo M. Ep. 84 ad Anast. Thessalon.

(3) C. In illis vero civitatibus 2 per tot. dist. 80 C. antiqua 25 de privileg. dist. 22.

(4) Concil. Lateran. sub Innocent. III, cap. 5.

Dominicae vero crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, et ubicumque Summus Pontifex praesens extiterit vel ejus legatus utens signis apostolicae dignitatis (1).

In omnibus autem provinciis eorum jurisdictioni subjectis, ad eos cum necesse fuerit provocetur: salvis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum (2).

97. Metropolitani sive Archiepiscopi Episcopis praesident; a curia episcopali ad Curiam Metropolitanam licet appellare, salva semper appellatione ad Sanctam Sedem Romanam. Ipsius officium est denunciare Romano Pontifici Episcopos a propria dioecesi absentes (3) et probare ac judicare legitimas ipsorum Episcoporum absentias (4) et cogere Synodum provincialem (5). Post visitatam propriam dioecesim potest Metropolitanus visitare cathedrales Ecclesias et dioeceses suorum comprovincialium, tantum causa cognita et probata in concilio provinciali (6).

98. Episcopi a Spiritu Sancto positi regere Ecclesiam Dei, in locum Apostolorum successerunt, patres sunt ac pastores supra omnes gradus constituti, principibus et caeteris honorandi supra omnes inferiores gradus constituti, pascunt et gubernant populum sibi commissum. Ipsis subjecti sunt presbyteri. Ipsis tamen non licet pontificalia in alterius dioecesi exercere (7).

99. Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in novo Testamento sanctum Eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque ab Apostolis eorumque successoribus sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, nec non et peccata dimittendi et retinendi presbyteri facultate hac potiuntur; sed in hujus potestatis exercitio Episcopi dioecesani permissio requiritur (8).

100. Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, et majore cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio et officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de Diaconis sacrae literae apertam mentionem faciunt, et, quae maxime in illorum attendenda sunt, gravissimis verbis docent et ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque

(1) Concil. Lateran. sub Innocent. III, cap. 5.
(2) Ibid.
(3) Conc. Trid. Sess. VI, de Ref., cap. 1.
(4) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 1.
(5) Sess. XXIV, cap. 2.
(6) Sess. XXIV, cap. 3.
(7) Persaepe in Concilii Tridentini sessionibus de Reformatione.
(8) Conc. Trid. Sess. XXIII, quae est VII sub Pio IV, cap. 1.

eorum propria ministeria, Subdiaconi, scilicet Acolythi, Exorcistae, Lectores et Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legitur (1).

101. Diaconus proxime Presbytero ministrat in sacrificio eucharistico, Evangelium solemniter legit in ecclesiis, legitima missione habita, absente sacerdote privatim baptizat atque verbum Dei praedicat. Subdiaconus inferior Diacono munus habet ministrandi Diacono, ferendi calicem ad altare et necessaria debet ad Eucharistiam praeparare et legere Apostolorum epistolas inter solemnia Missarum (2).

102. Acolythi inserviunt Missae, luminaria altaris accendunt, vel ad Evangelia canenda lumina ferentes Diacono assistunt, vasa pro eucharistico sacrificio praeparant atque disponunt. Exorcistae, Episcopi accedente licentia, facultatem habent manus imponendi super energumenos, sive baptizatos, sive cathecumenos. Exorcistis inferiores sunt Lectores, quibus datum est legere in ecclesiis oracula prophetarum in Scripturis Sanctis recensita, et novos fructus ac panem benedicere. Ostiarii sunt Lectoribus inferiores, et ad ecclesias custodiendas et ad arcendum e templo indignos sunt ordinati (3).

(1) Concil. Trid. sess. XXIII, quae est VII sub Pio IV, cap. 2.

(2) Pontif. Rom.

(3) Ibid.

(4) Can. *Multi*, distinct. XVII can. Synodum dist. XVI. Leo IX constit. Cum Bullas, Tom. 2.

(5) Pius II.

CAPUT V.

DE CONCILIIS.

103. Apostolicis, canonicis, aliisque ecclesiasticis regulis firmiter sancitum est neminem, quavis potestate pollentem, praeter Romanum Pontificem Concilia oecumenica posse indicere atque convocare (4). Nullum enim inter Concilia generalia invenitur unquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Praesule, absque ipsius auctoritate celebratum fuerit; quia corpus Ecclesiae stare nequit sine suo capite, et omnis ex capite defluit in membra potestas (5). Solus Romanus Pontifex, quia super omnia Concilia pleno jure et potestate gaudet, potest non solum Concilia convocare et praesidere, sed etiam ea transferre, prorogare atque dissolvere. Hoc nedum ex Sacrae Scripturae testimonio atque dictis Ss. Patrum et Pontificum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam constat eorumdem Conciliorum manifestis declarationibus (6).

104. Concilium Generale conventus est omnium totius orbis Episcoporum, qui sub Romani Pontificis auctoritate de dogmatum doctrina et de moribus reformandis definiunt atque decernunt. Tantum Episcopi de jure divino facultatem habent tamquam veri judices in Concilio sedendi. Sed post elatam Cardinalium S. R. E. dignitatem ecclesiastico jure data est omnibus Cardinalibus praerogativam

(6) Leo X constit. *Pater Aeternus*, in Conc. Lateran. V.

suffragii et subscriptionis, una cum praerogativa sedis supra Episcopos in Conciliis Lugdunensibus primo et secundo, nec non in Florentino et aliis, nuperrime in Vaticano. Abbates item et Praepositi Generales ordinum regularium ob adeptam administrationem jurisdictionemqe quasi Episcopalem in subjectos, vocem definitivam post Episcopos obtinuerunt in Conciliis (1).

105. Pontifex Romanus potest mittere legatos, qui suas vices gerendo praesideant Concilio generali, sive Episcopi sint, sive Presbyteri, sive Diaconi, quia auctoritate apostolica praesidendi officio funguntur. Ipsi sessiones proponunt, disputationes dirigunt, et directe cum Romano Pontifice communicant in rebus in Concilio pertractandis (2).

106. Ad Romanum Pontificem spectat Conciliorum singulas definitiones et singula decreta approbare et Synodos ipsas confirmare, earumque sanctionibus dare firmitatem. Imperatores, reges et cujuscumque reipublicae praesides nullum habent jus modificandi ea, quae in Conciliis sancita sunt, nec obstare decretis, cum nec generalibus nec particularibus Synodis interesse possunt. Nullam enim in spiritualibus rebus jurisdictionem habent, nec ullam in Ecclesia potestatem nec jus cognoscendi de externa omni ac sensibili ejus gubernatione, nec possunt judicare quae ad ecclesiasticum spectant ministerium (3).

107. Provincialia Concilia pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque convocantur. Metropolitani per seipsos, seu illis legitime impeditis co-episcopus antiquior, intra annum ad minus a fine Synodi generalis, et deinde quolibet saltem triennio post octavam Paschae resurrectionis Domini nostri Jesu Christi seu alio commodiori tempore pro more provinciae non praetermittat Synodum in provincia sua cogere, in qua Episcopi omnes et alii qui de jure vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino tenentur. Neque Episcopi comprovinciales praetextu cujuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam accedere recusent; sed inviti compellantur. Itidem Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cujus Synodo provinciali cum aliis interesse debeant, et qui ibi ordinata fuerint observent ac observari faciant in reliquis omnibus eorum exemptio et privilegia salva atque integra maneant (4).

108. Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium aut aliorum saecularium ecclesiarum etiam debeant ii qui il-

(1) Benedictus XIV in Tr. de Synodo dioeces., lib. 8, cap. 2.

(2) Pius IV in Bulla celebrationis Conc. Trid.

(3) Conc. Calcedon. Bened. XIV in costitut. *Ad assiduas*, 4 martii 1755.

(4) Conc. Trid. sess. XXIV de Ref., cap. 2.

larum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse. Quod si in his tam Metropolitani quam Episcopi et alii suprascripti negligentes fuerint, poenas a sacris canonibus sancitas incurrunt (1).

109. Concilia tam provincialia quam dioecesana debent examinari et approbari a Romano Pontifice, ut eorum decreta vim legis habeant. Hinc ante promulgationem sunt mittenda ad Congregationem Concilii omnia decreta et acta celebrata (2).

Concilia nationalia, quae plures provinciarum Episcopos complectuntur auctoritate Romani Pontificis celebrata, et Concilia provincialia ac dioecesana non gaudent privilegio infallibilitatis. Hinc merito damnata est propositio asserens: « Convocationem Concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiae ad religionem spectantes (3). »

110. In Conciliis dioecesanis omnes, qui interesse debent non sunt ejusdem conditionis qua fungitur Episcopus, qui solus legislativam et definitivam habet potestatem. Hinc merito damnata est doctrina, quae statuit: « Reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis dioecesanis ab Episcopo et Parochis aequaliter pendere ac stabilire debere. » Itemque damnata est doctrina quae tenet quod « Parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo in causis fidei, ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto (4). »

111. Quicumque Conciliis oecumenicis non intersunt cum ad hoc obligati sint, non solum laetali culpa rei sunt, verum etiam poenis mulctandi spiritualibus nisi forte impedimento fuerint legitimo praepediti; quod tamen impedimentum legitimos procuratores Synodo probare debebunt (5). Qui igitur convenire noluerint Episcopi constituti in suis civitatibus, et hoc maxime cum sui corporis sanitate consistentes, etiam ab omnibus aliis urgentibus necessitatibus, et inescusabilibus negotiis liberi sunt, licere eos fraternae charitatis admonitionibus corripi (6). Quod si defuerint (sicut prisca canonum praecipit auctoritas) usque ad proximam Synodum charitate fratrum et Ecclesiae communione priventur (7). Quod si quispiam parvi pendenda crediderit sua voluntaria praesentia excommunicationis sententia duorum mentium curriculo persistat usque quoque mulctatus (8). At si forte inter ipsos, qui praesunt, de majoribus (quod absit) peccatis causa nascatur, quae provinciali nequeat examine definiri, ad cognitionem Romani Pontificis, quidquid illud est, transferatur (9).

112. In singulis Conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquae personae eligantur, ut praeter Ordinarios lo-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV de Reform., cap. 2.
(2) Sixtus V in constit. *Immensa*.
(3) Pius VI const. *Auctorem fidei*. (4) Ibid.
(5) Pius IV in Bulla celebr. Conc. Trident. Ad Ecclesiae regimen.
(6) Dist. 18, can. VI ex Conc. Calced., c. 19.
(7) Ibid. can. X ex Conc. Carthag. V, c. 10.
(8) Ibid. can. XXIII ex Conc. Agath., c. 35, et can. 17 ex Conc. Tolet. XVI, c. 6.
(9) Ibid. can. II ex S. Leonis I. Epist. 82, cap. 7.

corum, iis etiam causae ecclesiasticae, ac spirituales, et ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur, etsi aliquem interim ex designatis mori contigerit substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem, aut dioecesanam Synodum; ita ut habeat quaeque dioecesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas ac qualificatas, quibus hujusmodi causae a quolibet Legato vel Nuntio atque etiam a Sede Apostolica committantur; alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quaecumque aliorum judicum aliis quam his factae subreptitiae censeantur (1).

113. Admonentur tam Ordinarii quam alii quicumque judices ut in terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant, ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini praefixione, aut competenti alia ratione occurrant (2). Statutum, quod circa judices a Sede Apostolica deputandos nullis, nisi dignitate praeditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum cathedralium Canonicis causae auctoritate literarum Sedis Apostolicae, vel Legatorum ejus de caetero committantur, nec audiantur alibi, quam in civitatibus vel locis insignibus ubi possit commode copia peritorum haberi (3).

(1) Conc. Trid. Sess. XXV de Ref., cap. 10.
(2) Ibid.
(3) In sexto lib. I, Tit. III, de rescriptis, cap. 10.
(4) C. Legatos; 2 hoc tit. in 6 in princ.

CAPUT VI.

DE LEGATIS.

114. Legati sanctae Romanae Sedis quibus in certis provinciis legationis officium a S. Sede committitur, tamquam ordinarii judices constituuntur, ut ad instar praesidum quibus certae provinciae moderandae sunt decretae, in provinciis, sibi commissis, dissipent et evellant (vitia), aedificent et plantent (virtutes) (4). Triplicis generis Legati sunt, scilicet: a *Latere*, *Missi* (Nuntii Apostolici) et *Nati* (5).

Legati a Latere ex usu Romanae Sedis, sunt soli Cardinales, sic nuncupati, quia, quasi a latere Pontificis, cui in consiliis et negotiis arduis assistunt, et veluti ex ejus senatu mitti solent. His aequiparantur illi, qui, etsi Cardinales non sint, cum potestate tamen Legati a Latere mittuntur (6).

Legati missi, seu Nuntii Pontificii a Papa mittuntur ad aliquam provinciam, unam vel plures, destinati, ut ibi munus Legatorum obeant. Legati nati dicuntur, qui praelaturae seu dignitati suae ecclesiasticae officium et munus Legati Apostolici perpetuo annexum habent: ideoque Nati appellantur, qui simul, atque consequantur talem dignitatem, una etiam Legati nascuntur seu consequuntur munus apostolicae Legationis. Omnes Legati apostolici vices Papae gerunt, et ut Ordinarii, loco ipsius, ordinariam jurisdictionem in omnes de pro-

(5) Ex c. 1 et ibi Gloss. I et V. Legati hoc tit. in 6.
(6) Gloss. fin. in c. 1 hoc tit.

vincia exercent, atque Apostolica auctoritate funguntur, ideoque vicarii Papae sunt et dici possunt (1).

115. Non potest Legatus quamvis a Latere sit, aliquem Episcopum transferre ab una Ecclesia cathedrali ad aliam, sine speciali commissione, ac mandato Summi Romani Pontificis, nec eum deponere, ejusque cessiones admittere (2). Item Legatus a Latere, tametsi generalis Legationis officium in Regno aliquo sibi commissum habeat, non potest tamen, sine speciali mandato Papae, expedire ea, quae in signum specialis privilegii tantum Summo Pontifici sunt reservata. Et quamvis aliqua hujusmodi per longam consuetudinem specialiter Legatis a Latere fuerint concessa non tamen ideo sequitur, quod etiam alia, quae specialiter Papae reservata sunt, talibus Legatis sint commissa, eaque exercere queant: cujusmodi sunt, unum Episcopatum alteri subjicere, Primatem constituere, duos Episcopatus unire, vel unum in duos dividere sine speciali Papae licentia (3).

Legati circa eâ, quae ad jurisdictionem suam pertinent, possunt praecepta condere, et haec statuta a Legatis Sedis Apostolicae edita, in provincia sibi commissa durant in perpetuum; licet provinciam postea sint egressi. Secus autem si causas aliis delegarint; nam si ante illorum discessum (e provincia sibi commissa) citatio delegatorum a Legatis facta non sit, jurisdictio eorumdem delegatorum expirat (4).

116. Legati a Latere, ratione muneris, sive legationis suae, possunt beneficia conferre, quia, sicut honoris praerogativa aliis praecellunt, ita etiam par est eos majore fungi auctoritate. Alii Legati vero sive a Sede Apostolica missi fuerint, sive ratione Ecclesiarum legationis dignitatem sibi vindicent, ex munere ipsius legationis, nullam habent potestatem conferendi beneficia, nisi hoc specialiter alicui fuerit indultum (5). Statutum est reservationes quorumcumque beneficiorum ab Apostolicae Sedis Legato (a Latere) auctoritate suae Legationis factas, et decreta super ipsis imposita, nec non denunciationes, inhibitiones, et processus quoslibet per eum, vel per executores ab eo deputatos, factos, eo ipso, quod illius legatio finitur, invalidos esse, dummodo ad collationem eorumdem beneficiorum jam vacantium non sit processum; nec eosdem executores posse deinceps beneficia sic reservata conferre (6).

117. Prohibetur ne postquam Legatus in ecclesia aliqua Cathedrali, vel Collegiata, beneficium vacaturum suae collationi reservavit, illa pendente (hoc est, quamdiu beneficium non est collatum) aliam in eadem ecclesia reservationem faciat. Neque etiam postquam ex aliis beneficiis ad cujuscumque collationem spectanti-

(1) C. 1 et 2 in fine hujus tit. in 6.

(2) Ex c. *Nisi specialis* 3 hoc tit. et c. *Mutationes* 34 caus. 7, quaest. 1, cap. 1 et 2 supr. de Translatione Episc.

(3) Innocentius III ex c. Quod translationem 4 de Legatis.

(4) Gregorius IX in cap. *Nemini*, 10 et ult. tit. de Legatis.

(5) Innocentius IV c. Litteras 4, de suppl. negl. praelat.

(6) Bonifacius VIII in c. *Praesenti* 3 hujus tit. in 6.

bus, aliquod sibi reservavit, ea reservatione adhuc pendente, aliud beneficium, quod ad ejusdem collationem pertinet, sibi reservet. Quidquid autem contra praedicta attentatum fuerit, eo ipso sit irritum (1).

118. Limitatur autem praedicta Legati a Latere potestas circa beneficia conferenda. Quod non possit conferre aut collationi suae reservare ecclesias Cathedrales, Regulares, aut Collegiatas, vel etiam dignitates, quae in Cathedralibus, post Episcopatum, majores sunt, vel per electionem capitularem conferuntur: hos enim Legatus suae ordinationi, collationi, provisioni, aut dispositioni reservare, aut se immiscere, vel electores impedire non potest, quominus libere, cum vacabunt, eligere, vel postulare possint; et quidquid contra actum fuerit, eo ipso irritum sit, et inane (2).

119. Prohibetur Legatis a Latere in genere, vel in specie, ne concedant alicui potestatem, ut beneficiorum resignatione accepta ab iis qui beneficia intra legationem eorumdem obtinent, ea personis etiam idoneis valeant conferre, ne via illicita aperiatur ad beneficia vacatura, contra prohibitionem Concilii Lateranensis (3); alioquin irritum sid quidquid contra hoc fuerit attentatum (4). Jurisdictio et officium Legati non expirat morte Pontificis mittentis, quia Legatus Pontificius ordinariam et propriam habet jurisdictionem, quae morte concedentis non extinguitur. Facultates ab extraordinario profluentes jure, tametsi finito legationis tempore expirent, ordinarias autem exercet probe Legatus usque ad successoris adventum.

CAPUT VII.

DE ELECTIONE SUMMI PONTIFICIS.

Ex Constitutione Alexandri III Summi Pontificis Sacro approbante Concilio Lateranensi (5).

120. Licet de evitanda discordia in electione Summi Pontificis, manifesta satis a nostris praedecessoribus constituta manaverint: tamen quia saepe post illa per improbae ambitionis audaciam gravem passa est Ecclesia scissuram: nos etiam ad malum hoc evitandum, de consilio fratrum nostrorum, et sacri approbatione Concilii aliquid decrevimus adjungendum. Statuimus igitur, ut si forte inimico homine superseminante zizaniam inter Cardinales de substituendo Pontifice, non potuerit concordia plena esse et duobus partibus concordantibus, tertia pars noluerit concordare, aut sibi alium praesumpserit ordinare: ille Romanus Pontifex habeatur, qui a duobus partibus fuerit electus et receptus. Si quis autem de tertiae partis nominatione confisus, quia rem non potest, sibi nomen Episcopi usurpaverit; tam ipse, quam qui eum receperint excommunicationi subjaceant et totius sacris Ordinis privatione mulctentur,

(1) Item Pontifex loc. cit. in 6.
(2) C. *Deliberatione*, 4 in princ. hujus tit. in 6.
(3) In cap. 2 de concess. praebend.
(4) C. *Deliberatione*, § 4 hujus tit. in 6.
(5) Praemittendam existimamus animadversionem, scilicet, quod nos in referendo Constitutiones Pontificum circa electionem successoris Beati Petri Principis Apostolorum non sequimur ordinem chronologicum Constitutionum, sed ordinem dispositionis materiae.

ita ut viatici etiam, nisi tantum in ultimis, communio denegetur; et nisi resipuerint, cum Dathan et Abiron, quos terra vivos absorbuit, accipiant portionem. Praeterea si a paucioribus aliquis, quam a duabus partibus fuerit electus ad Apostolatus officium, nisi major concordia intercesserit, nullatenus assumatur, et praedictae poenae subjaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum canonicis constitutionibus et aliis ecclesiasticis praejudicium generetur, in quibus majoris, et sanioris partis debet sententia praevalere; quia quod in eis dubium venerit superioris poterit judicio definiri: in Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi.

Ex Constitutione Gregorii X
in Concilio Lugdunensi promulgata.

121. Ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum. Quam gravibus autem sit onusta dispendiis, quot et quantis sit plena periculis Ecclesiae Romanae prolixa vacatio exacte consideratio temporis edocet, et considerata prudenter illius temporis discrimina manifestant. Hinc evidens evocat nos ratio ut (dum reformandis etiam minoribus nostra solerter vacat intentio) ea quae periculosiora sunt, nequaquam absque remedio reformationis accommode relinquamus. Ideoque omnia, quae pro vitanda discordia in electione Romani Pontificis, a nostris sunt praedecessoribus, et praecipue a felicis recordationis Alexandro Papa III salubriter instituta: omnino immota in sua firmitate manere censentes: nihil enim detrahere illis intendimus: sed quod experientia deesse probavit, praesenti constitutione supplere.

122. Hoc Sacro Concilio approbante statuimus ut si eumdem Pontificem (in civitate, in qua cum sua curia residebat) diem claudere contingat extremum, Cardinales, qui fuerint in civitate ipsa praesentes, absentes expectare decem diebus tantummodo teneantur: quibus elapsis (sive absentes venerint, sive non) tunc omnes conveniant in palatio, in quo idem Pontifex habitabat: contenti singuli singulis, tantummodo servientibus clericis vel laicis, prout duxerint eligendum; illis tamen, quibus patens necessitas id suggerit indulgeri duos habere permittimus, eisdem electionis arbitrio reservato. In eodem autem palatio unum conclave (nullo intermedio pariete, seu alio velamine) omnes inhabitent in communi: quod (reservato libero ad secretam cameram aditu) ita claudatur undique, ut nullus illud intrare valeat vel exire. Nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat: vel facultas secrete loquendi cum eis, nec ipsi aliquos ad se venientes admittant: nisi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium inibi praesentium, per iis tantum, quae ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui nuntium mittere vel scripturam. Qui vero contra fecerit, scripturam mittendo vel nuncium, aut cum aliquo ipsorum secrete loquendo, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

123. In conclavi tamen praedicto aliqua fenestra competens dimittatur, per quam eisdem Cardinalibus ad victum commode necessaria ministrentur: sed per eam nulli ad ipsos patere possit ingressus; verum si (quod absit) intra dies tres postquam (ut praedicitur) conclave praefatum iidem Cardinales intraverint; non fuerit ipsi Ecclesiae de Pastore provisum: per spatium quinque dierum immediate sequentium, singulis diebus, tam in prandio, quam in coena, uno solo ferculo sint contenti: quibus, provisione non facta, decursis, ex tunc tantummodo panis, vinum et aqua ministrentur eisdem, donec eadem provisio subsequatur. Provisionis quoque hujusmodi pendente negotio, dicti Cardinales nihil de Camera Papae recipiant, nec de aliis eidem Ecclesiae tempore vacationis obvenientibus undecumque, sed ea omnia ipsa vacatione durante, sub ejusdem (cujus fidei et diligentiae camera eadem est commissa) custodia maneant; per eum dispositioni futuri Pontificis reservanda.

124. Qui autem aliquid receperint, teneantur ex tunc a receptione quorumlibet reddituum ad eos spectantium abstinere; donec de receptis taliter plenariam satisfactionem impendant. Iidem quoque Cardinales accelerandae provisioni sic vacent attentius, quin se nequaquam de alio negotio intromittant, nisi forsan necessitas adeo urgens incideret, quod eos oporteret de terra ipsius ecclesiae defendenda, vel ejus parte aliqua providere, vel nisi aliquod tam grande et tam evidens periculum imminneret, quod omnibus et singulis Cardinalibus praesentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum. Sane si aliquis ex praedictis Cardinalibus conclave praedictum (ut supra exprimitur) non intraverit, aut intrans absque manifesta causa infirmitatis exierit, ipso minime requisito, nec in ejusdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum Summum Pontificem libere procedatur.

125. Si vero infirmitate superveniente, idem conclave ex eis aliquem exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante, poterit ejus suffragio non requisito, ad electionem procedi; sed si ad alios, post sanitatem sibi redditam, seu ante redire voluerit, vel etiam si alii absentes, quos per decem dies diximus expectandos, supervenerint: re integra, videlicet antequam eidem Ecclesiae sit de Pastore provisum, in eodem negotio, in illo statu, in quo ipsum invenerint, admittantur, praemissa tam de clausura, quam de servientibus, cibo ac potu, et reliquis cum aliis servaturi.

126. Porro si quando Romanum Pontificem extra civitatem praedictam in qua erat cum sua curia residens, contigerit ab hac luce migrare, teneantur Cardinales in civitate, in cujus territorio, seu districtu idem Pontifex obiit convenire, nisi sit forsitan interdicta, vel contra Ecclesiam Romanam in aperta rebellione persistat, quo casu in alia viciniori conveniant, quae similiter nec interdicto subjaceat, nec sit (ut praedicitur) aperte rebellis. In hac etiam civitate, tam quoad expectationem

absentium, quam quoad habitationem communem, clausuram et caetera omnia in domo episcopali, vel alia quolibet eisdem Cardinalibus deputanda, eadem observentur, quae superius obeunte dicto Pontifice in ea, in qua cum sua curia residebat sunt expressa.

127. Praeterea, quia parum est jura condere, nisi sit qui eadem tueatur, adjiciendo sancimus, ut domini aliique rectores et officiales civitatis illius, in qua Romani Pontificis electio fuerit celebranda: auctoritate nostra, et ejusdem approbatione Concilii, potestate sibi tradita, praemissa omnia et singula plene, ac inviolabiliter sine fraude ac dolo aliquo faciant observari: nec Cardinales ultra, quam permittitur, arctare praesumant. Super his autem taliter observandis statim, audito Summi Pontificis obitu, coram clero et populo universae civitatis ipsius ad hoc specialiter convocandis, praestent corporaliter juramentum.

128. Quod si praemissa diligenter non observaverint, aut fraudem in eis, vel circa ea commiserint, cujuscumque sint praeeminentiae, conditionis aut status, omni cessante privilegio, eo ipso sententiam excommunicationis incurrunt, et perpetuo sint infames; nec unquam eis portae dignitatis pateant, nec ad aliquod publicum officium admittantur. Ipsos insuper feudis et bonis caeteris, quae ab eadem Romana Ecclesia, vel quibuslibet aliis ecclesiis obtinent, ipso facto decernimus esse privatos; ita quod ad ecclesias ipsas plene ac libere revertantur, administratorum earumdem ecclesiarum arbitrio sine contradictione aliqua disponenda. Civitas vero praedicta non solum sit interdicto supposita, sed et pontificali dignitate privata.

129. Caeterum, quia cum arbitrium vel inordinatus captivat affectus, vel ad certum aliquem obligationis cujusque necessitas adigit, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi, Cardinales eosdem obsecrantes per viscera misericordiae Dei nostri, per aspersionem sui pretiosi sanguinis obtestamur ut pensantes attentibus quid eis imminet, cum agitur de creatione Vicarii Jesu Christi, successoris Petri, Rectoris universalis Ecclesiae, gregis dominici Directoris, omni privatae affectionis inordinatione deposita, et cujuslibet pactionis, conventionis, obligationis necessitate; nec non condicti et intendimenti contemplatione cessantibus, non in se reciprocent considerationis intuitum, vel in suos; non quae sua sunt, quaerant; non commodis privatis intendant; sed nullo arctante ipsorum in eligendo judicium; nisi Deo puris et liberis mentibus nuda electionis conscientia utilitatem publicam libere prosequantur, omni conatu et solicitudine, prout possibilitas patitur, id acturi tantummodo; ut eorum ministerio acceleretur utilis, et per necessaria totius mundi provisio, idoneo celeriter eidem Ecclesiae sponso dato.

130. Qui autem secus egerint, divinae subjaceant ultioni eorum culpa (nisi gravi propter hoc peracta poenitentia) nullatenus abolenda. Et nos nihilominus pactiones, conventiones,

obligationes, condicta et intendimenta omnia sive juramenti, sive cujuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa, cassamus, irritamus, et viribus decernimus omnibus carere; ita quod nullus ad illa observanda, quomodolibet sit adstrictus; nec quisquam ex eorum transgressione notam vereatur fidei non servatae; sed non indignae laudis titulum potius mereatur; cum lex etiam humana testetur: Deo magis transgressiones hujusmodi, quam jurisjurandi observationes acceptas.

131. Quia vero fidelibus non est tam de solicita quantumcumque inventione fidendum, quam de instantia orationis humilis devote sperandum; huic adjicimus sanctioni, ut in omnibus civitatibus, caeterisque locis insignibus, ubi primum de memorati Pontificis obitu certitudo claruerit, a clero et populo solemnibus pro eo exequiis celebratis, singulis diebus (donec de ipsius ecclesiae provisione indubitanter rumor pertulerit veritatem) humiles preces fundantur ad Dominum, apud eum devotis orationibus instetur, ut ipse, qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo concordia, quod provisio celer, concors et utilis (prout animarum salus exigit, et totius orbis requirit utilitas) ex ipsorum unanimitate sequatur.

132. Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum ignorantiae negligi praetextu contingat, districte praecipimus, ut Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii Ecclesiarum praelati, caeterique, quibus concessum est proponere verbum Dei, clerum et populum propter hoc specialiter frequentius congregandos in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia pro celeri et felici exitu tanti negotii frequentanda solerter hortentur, et ipsis eadem auctoritate, non solum orationum frequentiam, sed observantiam, prout circumstantiae pensandae suaserint, jejuniorum judicant.

De Constitutione Clementis V
in Concilio Viennensi promulgata.

133. Ne Romani electioni Pontificis indeterminata opinionum diversitas aliquod possit obstaculum, vel dilationem afferre, nos inter caetera praecipue attendentes, quod lex Superioris per inferiorem tolli non potest; opinionem astruere (sicut accepimus) satagentem, quod constitutio felicis recordationis Gregorii Papae X praedecessoris nostri circa electionem praefatam edita in Concilio Lugdunensi per coetum Cardinalium Romanae Ecclesiae (ipsa vacante) modificari possit, corrigi, vel immutari, aut quidquam ei detrahi sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsam, seu aliquam ejus partem, aut eidem etiam renuntiari per eum tamquam veritati non consonam, de fratrum nostrorum consilio reprobamus; irritum nihilominus, et inane decernentes quidquid potestatis aut jurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis, nisi quatenus in constitutione praedicta permittitur, coetus ipse duxerit (eadem vacante ecclesia) exercendum. Eo tamen proviso, quod si ejusdem

Ecclesiae camerarium, aut majorem, vel alios aliquos ex poenitentiariis (quorum officium per obitum ejusdem Pontificis nolumus expirare) per mortem, vel alias deficere quovis modo contingat; valeat idem coetus ad tempus vacationis hujusmodi pro numero deficientium, vel ampliori etiam, quantum ad poenitentiarios (si hoc eidem coetui, concorditer expedire videbitur) alios subrogare.

134. Sane cum juxta constitutionem praedictam Papa extra civitatem, in qua cum sua erat curia, moriente in civitate, in cujus districtu seu territorio moritur, sit regulariter successoris electio celebranda; districtus, seu territorii nomine, dioecesim in hoc casu intelligendam fore censemus. Eo tamen adjecto, quod si in certo loco causarum literarum Apostolicarum audientia remanente, Papam alibi mori contingat, non ibi, sed ubi praedicta fuerit audientia memorata electio celebretur, etiamsi eadem audientia tempore mortis hujus vacare noscatur: nisi forte ante mortem eamdem, ordinatum esset per Papam de curia transferenda: quo casu servetur provisio Constitutionis praedictae. Porro si Romano non electo Pontifice, Cardinales omnes simul, vel successive (quod absit) exire contingeret conclave deputatum eisdem, hi (ad quos pertinet executio Constitutionis praedictae) illos ex ipsis, quibus infirmitas corporis, aut nota debilitas excusationem non dabit, idem conclave (quam cito poterunt) reintrare compellant: Poenas in praedicta constitutione contentas, nisi hoc fecerint, incursuri.

135. Cardinales autem hujusmodi conclave reintrantes ad electionem jam dictam procedant: et alias constitutionem praefatam observent secundum statum, in quo erant in eodem conclave, quando ipsum (ut praemittitur) exierunt. Caeterum ut circa electionem praedictam eo magis videntur dissentiones et schismata, quo minor eligentibus aderit dissidendi facultas: decernimus, ut nullus Cardinalium cujuslibet excommunicationis, suspensionis aut interdicti praetextu a dicta valeat electione repelli. Juribus aliis circa electionem eamdem hactenus editis plene in suo robore duraturis. Verum quia tam provisis remediis, quam ex orationibus ad Deum super hujusmodi negotio effundendis, quod breviter hujusmodi celebretur electio, praesumendum est probabiliter et sperandum, statuimus ut electi (qui ex quacumque causa ad Sedem Apostolicam venire, vel mittere sunt adstricti) ad ipsam cum vacat, ac si non vacaret venire, vel mittere teneantur.

Ex Constitutione Pii IV.

136. Nos, quantum cum Deo possumus, futuris casibus et periculis occurrere volentes, praedecessorum nostrorum constitutiones tum innovando, tum declarando, et pro rerum et temporum necessitate supplendo de fratrum nostrorum unanimi consilio atque assensu definimus, statuimus et declaramus, ut cum Pontificem de hac vita migrare contigerit Cardinales praesentes decem tantummodo diebus, juxta Gregorii praede-

cessoris constitutionem in Concilio Lugdunensi editam. Cardinales absentes expectare teneantur, et interim solitas novem continuorum dierum exequias omnino peragant, nec ullo praetextu alterius differant. Et ne quid impedimento esse possit, quominus exequiae ipsae nono die absolvantur, si quando per observantiam alicujus magni impedimenti, et praecipui festi, Cardinalibus videretur officium exequiorum intermitti debere, dies illi sic intermissi in numerum novem dierum nihilominus computari debeant; et impensa, quae in eis pro exequiis facienda esset, inter pauperes Christi distribuatur.

137. Hoc ut superfluis quoque sumptibus, qui jam in immensum excreverunt, modus imponatur, funus simplicius, quam consueverit, fiat; ita ut illius ratione (praeter regalia Populo Romano praestari solita)decem millia ducatorum summam, pannis lugubribus et regalibus tam Camerarii et clericorum ac aliorum cameralium, quam aliorum quorumcumque ministrorum et officialium, ac aliis omnibus omnino computatis impensa non excedat. Summa autem decem millium hujusmodi vel, si collegio visum fuerit, etiam minor aut nullo modo major per tres Cardinales antiquiores, unum videlicet de quolibet ordine, et Camerarium proportionaliter pro rata distributionis alias fieri solitas, inter praedictos omnes et singulos dividatur.

138. Lapsis vero decem diebus a die obitus Pontificis, ingressus Conclavis nullatenus prorogetur aut differatur, sed sequenti die Missa de Spiritu Sancto celebrata, sive Cardinales absentes venerint, sive non, qui fuerint praesentes statim conclave ingredi teneantur, et ingredientes ipsi, absque mora aliqua, omissa omnino capitulorum confectione primis diebus fieri solitorum, in electionis negotio procedant, et singulis diebus scrutinium fiat, et in primo scrutinio etiam accedere liceat.

139. Si qui vero forte intrare noluerint vel ingressi, absque manifesta infirmitatis causa, juramento medicorum, et a majori parte Cardinalium per secreta suffragia approbata exierint, dictae constitutionis Gregorii poenam incurrant.

140. Declarantes nihilominus quod postquam Cardinales praesentes aliis Cardinalibus etiam de latere legati, aut ex alia quacumque etiam publica causa, etiam cum licentia Romani Pontificis absentibus ulterius non expectatis, post tamen lapsum dictorum decem dierum a morte Pontificis electionem sive intra sive extra conclave fecerint, electio sic ex itineris aut alterius etiam probabilis, et notorii ipsorum Cardinalium absentium impedimenti praetextu impugnari minime valeat, cum publica utilitas ex matura electione proveniens cuivis alteri rationi praeferri debeat.

141. Sedis autem vacatione durante collegium Cardinalium in iis, quae ad Pontificem Maximum dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem aut jurisdictionem habent, neque gratiam, neque justitiam faciendi, ac factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, sed

ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur. Neque de statu temporali Ecclesiae Romanae, neque de pecuniis camerae apostolicae aut Datarii, vel pro solutione debitorum ante obitum Pontificis quomodolibet contractorum, aut alias ex quavis causa (casibus infrascriptis dumtaxat exceptis) quidquam disponere, nec contra dictam Gregorii constitutionem pro seipsis aliquid percipere, nec aes alienum ultra necessarios sumptus praesentibus comprehensos contrahere debeant, neque Camerarius, Thesaurarius, Datarius, Depositarius, Castellanus Arcis Sancti Angeli, aut alii officiales contra harum constitutionum tenorem, collegio obedire teneantur, sive debeant; quin imo si eis in talibus obtemperaverint, aut ipsi Cardinales vel officiales ex eorum officiis contra praemissa aliquid attentare praesumpserint, de suo proprio Camerae Apostolicae plenariae satisfacere, et pecunias erogatas restituere ac quaevis damna ad eligendi Pontificis arbitrium resarcire cogantur. Quod autem expendi possit, erit praefata decem millium ducatorum summa. Illud item quod pro victu Familiae Pontificiae ante conclavis ingressum ac post ingressum, pro pauperum officialium palatii tantum per Camerarium et Priores ordinum describendorum victu ac etiam pro eleemosynis Sede vacante fieri consuetis. Itemque pro defensione terrarum Ecclesiae vel partis earum; nec non pro regalibus populo Romano et illius magistratibus, ac custodia Urbis et conclavis illiusque provisionibus opportunis necessarium erit.

142. Quae vero impensa pro defensione terrarum, et locorum Ecclesiae et securitate, ac provisionibus conclavis facienda sit, Cardinales praesentes per secreta suffragia ordinare debeant, ita ut majoris partis sententia obtineat id quod observandum erit, etiam in gubernatoribus Urbis tam ultra pontem quam citra, et aliis officialibus, etiam pro status ecclesiastici regimine si opus fuerit eligendis. Si vero ultra praedicta aliquod grande periculum immineret, cui omnibus et singulis Cardinalibus praesentibus juxta ordinationem Gregorii X, aut saltem duobus illorum tertiis partibus per secreta suffragia videretur celeriter occurrendum, tunc collegium juxta majoris partis sententiam similiter per secreta suffragia de remedio opportuno, ac provvide de necessaria impensa providere possit et debeat.

143. Statuimus etiam quod tres Cardinales antiquiores, unus videlicet ex quolibet ordine una cum Camerario post Pontificis obitum, reliquos Cardinales congregandi, et occurrentes necessitates in congregationibus generalibus proponendi et ut conclave bene undique claudatur curandi jus habeant. Ipsorum autem officium tertia die post conclavis ingressum omnino expiret, eorumque loco tres alii sequentes in ordine, quolibet tertio quoque die, cum eodem Camerario in eadem potestate succedant.

144. Camerarii quoque, et Majoris Poenitentiarii officia, quae etiam Sede vacante durant, ita durare decernimus et declaramus, ut non so-

lum ea, quae praesenti constitutione prohibentur, si quae Pontifice vivente exercere non consueverunt, seu a quibus pro ejusdem Pontificis reverentia, aut alias quomodolibet abstinebant minime usurpent, sed Camerarius ac Praesidentes et clerici aliique ministri et officiales Camerae Apostolicae exactioni pecuniarum eidem Camerae debitarum ac provisionibus ratione sedis vacantis juxta praemissa necessario faciendis dumtaxat incumbere et propterea a solutione debitorum ante Pontificis obitum contractorum, aut illorum declaratione, rationum soliditatione extractionibus frumentorum, remissionibus delictorum, assecutionibus delinquentium et quibuscumque aliis expeditionibus tam gratiam quam justitiam, aut illorum executionem quomodolibet concernentibus omnino abstinere debeant.

145. Poenitentiarius vero et ejus officiales ea tantum facere et expedire valeant, quae ad forum conscientiae pertinent, in reliquis officium eorum conquiescat. Itaque a quibuscumque matrimonialibus et aliis dispensationibus ac absolutionibus et declarationibus, nec non quibusvis aliis expeditionibus formam quod ajunt *fori mixti* vel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineant. Alioquin in quibus tam Camerarius, Poenitentiarius et alii praedicti etiam de licentia aut mandato totius collegii contrafecerint ea nulla et irrita sint, ac nemini suffragentur. Et nihilominus eorum excessus et inobedientiae rationem arbitrio Pontificis quandocumque reddere teneantur. Literis etiam nostris super reformatione Camerae et Poenitentiariae hujusmodi editis in suo robore permansuris.

146. Datarii vero ministerium per ejusdem Pontificis obitum omnino expiret, ita ut non solum datas per eum antea notatas extendendi potestatem minime habeat, sed quascumque supplicationes gratiarum et justitiae penes eum, aut ejus ministros adhuc existentes, etiamsi datae fuerint collegio Cardinalium statim sub sigillo clausas praesentare teneantur futuro Pontifici reservandas. Quod si quis contra praemissa quidquam ad cujusvis etiam Cardinalis instantiam attentare praesumpserit, irritum et inane existat, et nihilominus falsi crimen incurrat rationem illius futuro Pontifici redditurus.

147. Prohibentes insuper ne Cardinales et Praelati signaturae gratiarum et justitiae praefecti, Sede vacante supplicationes et commissiones aliquas, etiamsi supplicantes parvas datas, ut moris est, antea obtinuerint, signare valeant, sed officia eorum omnino cessare intelligantur. Quod si aliter fecerint, pro excessibus hujusmodi futuri Pontificis arbitrio puniantur. Mandamus quoque quod cellae conclavis Cardinalibus sorte distribuantur, nec liceat eos etiam infirmitatis praetextu mutare aut desuper aedificare, vel illas dilatare, sed quilibet etiam Decanus sit sua sorte contentus. Post conclavis vero ingressum interdicimus et expresse prohibemus sub officiorum et beneficiorum privationis poena atque etiam sub alia arbitrio Gubernatoris

ad custodiam conclavis deputari soliti infligenda, ne quis immediate supra aut infra conclave seu a lateribus habitam vel morari possit. Quae loca muris claudi a praesidentibus custodiae conclavis ac a dicto Gubernatore saepius visitari debeant.

148. Et si qua fraus commissa fuerit, teneatur ipse Gubernator sub perjurii poena eo ipso incurrenda, et alia arbitrio futuri Pontificis infligenda, delinquentes hujusmodi Cardinalibus pro tempore deputatis revelare, curareque ut delinquentes ipsi carcerentur, et acriter puniantur. Teneantur quoque Cardinales pro tempore deputati dictas cellas Cardinalium, et alia conclavis loca saepius visitare et diligenter perquirere, ne in ipsius conclavis muris, aut laquearibus, seu pavimentis vetita foramina fiant. Et si quod tale deprehensum fuerit, auctores privationis officiorum et beneficiorum ac aliis etiam corporalibus et severissimis poenis, Gubernatoris ac etiam futuri Pontificis arbitrio afficiantur, et conscii de praemissis eisdem poenis teneantur, nisi statim, si intra conclave fuerint eisdem Cardinalibus deputatis, si vero extra conclave Gubernatori et Praelatis praepositis revelaverint. Qui quidem Gubernator et Praelati sub perjurii poena in hoc invigilare et opportune providere debeant.

149. Quilibet autem Cardinalis in conclavi duobus servientibus, clericis vel laicis contentus sit. Infirmis autem et graviter affectis a majori parte collegii per secreta suffragia tertius ad summum indulgere possit. Qui servientes familiares domestici, et continui commensales ipsius Cardinalis, et ab anno ante fuisse et tunc esse debeant et non mercatores ministri principum, domini temporales et jurisdictionem habentes, neque fratres aut nepotes Cardinalium etiamsi expensis eorum viverent. Et de qualitatibus conclavistarum Cardinales deputati ante conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere et eos approbare ac post ingressum denuo diligenter providere debeant. Sacrista quoque cum uno clerico coadjutore in officio sacristae, duo quoque magistri caeremoniarum conclave ingrediantur Missis celebrandis, et aliis, quae ad ipsos pertinent vocaturi.

150. Adsit praeterea unus religiosus pro confessionibus audiendis a majori parte Cardinalium per secreta suffragia eligendus, unius collegii secretarius tantum, duo medici, unus chirurgus, unus aromatarius, cum uno aut duobus servientibus, unus faber lignarius, unus caementarius, duo barbitonsores, cum uno aut duobus servientibus. Item octo, aut decem servientes publicae utilitati et commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, pro verrendo conclavi et similibus necessariis ministrandis, qui omnes a collegio Cardinalium, non tamen ex familia alicujus Cardinalis, per vota secreta eligantur; ita tamen ut is obtineat, qui plura vota tulerit, et in eis salaria de publico persolvantur.

151. Quod si ultra praefatas personas, in conclavi aliquis inventus fuerit, expelli statim debeat. Et si quis uspiam se occultasse deprehen-

datur, ignominiose expellatur, et infamia notetur, et officiis atque beneficiis privetur: conscii vero sub eadem poena illos collegio revelare teneantur, praemium reportaturi, si judicaverint.

152. Clauso conclavi nulli ad colloquium etiam extra portam conclavis, etiam Principum oratores, nisi ex magna et urgenti causa a majori parte collegii approbanda admittantur. Et si quis forte, quod absit, clam ipsum conclave et aliunde quam per ostium ingrediatur, omni honore, gradu ac officio et beneficio ipso facto privatus existat, et tradatur Curiae saeculari acerrimis poenis puniendus.

153. Literas vero, aut cujusvis generis scripta ad eos, qui in conclavi erunt, seu nuntium vel notam, aut signum mittere seu recipere, aut contra e conclavi ad eos, qui foris sunt, ullo modo liceat; qui contrafecerint quacumque dignitate etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, poenae excommunicationis latae sententiae subjaceant, absolvendi facultate, praeterquam in mortis articulo, soli Pontifici Maximo reservata, a quo nihilominus pro qualitate delicti ultra dictam excommunicationis poenam puniendi erunt.

154. Prohibentes etiam super futura electione Pontificis sponsiones, quas excommissas vocant, fieri, et si forte contra praesentium tenorem factae fuerint illas nullas et irritas, in judicio et extra, fore, et omnino censeri, et contrafacientes, ac proxenetas arbitrio Gubernatoris et futuri Pontificis puniri debere decernimus.

155. Cardinales autem primo ipso die, quo conclave ingressi fuerint, tam in prandio quam in coena solo ferculo unius speciei tantum eoque moderato, et alios juxta constitutionem Clementis VI qualificato contenti sint et esse debeant, nec quisquam in alterius cella vel de alterius ferculo vescatur.

156. Praelati quoque ad custodiam conclavis deputati, sub poena perjurii et suspensionis a divinis, maxima et exquisita diligentia utantur in inspiciendis ac perscrutandis epulis, et aliis rebus ac personis conclave intrantibus, et de eo exeuntibus, ne sub earum rerum volumine literae aut notae, vel signa aliqua transmittantur. Quod si tale inventum fuerit familiares Cardinalium, aut alii delinquentes poenam privationis officiorum et beneficiorum ac inhabilitatis ad obtenta et obtinenda incurrant. Et ulterius per Gubernatorem carceribus mancipentur, exinde nisi de mandato novi Pontificis minime relaxandi, sed ejus arbitrio acrius puniendi, omni facultate collegio Cardinalium in favorem quorumcumque in praemissis, vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta.

157. Conclavistae vero, et quicumque alii servientes conclavi ex causa infirmitatis manifestae et notabilis a medicis medio juramento probatae, et de consensu deputatorum, quorum etiam conscientiam desuper oneramus, et non aliter exituri, nullo modo reverti possint, sed eorum loco alii eodem prorsus tempore, quo infirmi exibunt ingrediantur. Statuimus etiam et declaramus, quod si forte

aliquis Cardinalis saltem in Diaconatus ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat.

158. Cardinales autem per viscera misericordiae Domini nostri Jesu Christi, enixe rogamus, et hortamur, ac eis nihilominus sub divini interminatione judicii praecipimus et mandamus, ut attendentes magnitudinem ministerii, quod per eos tractatur, in dandis suffragiis, ac aliis omnibus et singulis electionem quomodolibet concernentibus, omni dolo ac fraude, factionibus, et animorum passionibus remotis, ac Principum saecularium intercessionibus, caeterisque mundanis respectibus minime attentis, sed solum Deum prae oculis habentes, se se pure, sincere, quiete et pacifice gerere et habere debeant.

159. Nec pro ipsius Pontificis electione conspirationes, condicta, pactiones et alios illicitos tractatus inire, signa aut transigna votorum suorum alteri dare, minasve aliquibus inferre, tumultus excitare, aut alia facere, per quae electio retardetur, vel minus suffragia praestentur, per se vel alium, directe vel indirecte, quovis colore vel ingenio audeant vel praesumant. Quod si secus fecerint aut contra prohibita in praesenti constitutione aliquid admiserint, ultra divinam ultionem, arbitrio futuri Pontificis pro modo culpae in eos quandocumque animadverti possit.

160. Quia vero parum esset jura condere, nisi forent qui executioni ea demandarent statuimus et ordinamus ut Praelati, Rectores, Officiales Urbis ac Principum oratores, illustres viri, quos omnes a Collegio pro custodia conclavis eligi continget (eligere autem collegium debebit eos qui ad id magis idonei videbuntur), praemissa omnia plene et inviolabiliter, ac sine fraude et dolo aliquo observari faciant, de quo corpore juramentum coram ipso collegio ante ingressum conclavis, et quoties opus fuerit, praestare teneantur, quae quidem nisi fecerint, vel si in eis dolum et fraudem commiserint praedictas poenas, et caeteras in constitutione praedicta Gregorii X contentas incurrant.

161. Volumus autem neque per Praelatus, neque per Rectores, aut Officiales praefatos, ultra quam praemittitur, Cardinales arctari, neque praesentes has nostras constitutiones per collegium Cardinalium ullo modo alterari, corrigi, aut immutari posse, sed illas coram omnibus de verbo ad verbum in prima congregatione post obitum Pontificis fieri solitas, et deinde post conclavis ingressum legi et jurari eo modo, quo leguntur et jurantur constitutionem Julii II et aliorum praedecessorum nostrorum, quorum constitutionibus et poenis in eis contentis ultra praemissa per hanc nostram constitutionem derogare non intendimus, sed magis ea confirmare, innovare et comprobare.

162. Et ne dissensionis occasio, aut schismatis oriatur, volumus censurarum et excommunicationum praefatarum, et aliarum quarumcumque praetextu, Cardinales a Pontificis electione active vel passive excludi nullo modo posse, quas quidem excommunicationes, et censuras ad electionis

effectum tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus et suspensas esse volumus et declaramus. Decernentes quoque excommunicationes et censuras ipsas eum solum afficere, qui deliquerit, non autem alios, conclavi durante, cum eo conversantes. Ac praesentes nostras ubicumque electionem Summi Pontificis etiam extra urbem fieri contigerit locum habere, et observari debere.

Ex Constitutione Julii II edita 1413.

163. Cum tam divino quam humano jure, in spiritualibus praecipue, detestabiliter sit simoniae labes prohibita, et longe magis in electione Romani Pontificis vicarii Jesu Christi D. N. abominabilis sit, et universalis Ecclesiae, perniciosa. Nos qui regimini ejusdem universalis Ecclesiae, meritis imparibus annuente Domino praesidemus, cupientes, quantum cum Deo possumus, in praemissis pro tantae rei necessitate ac periculi magnitudine, ut tenemur in posterum salubriter providere, de fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et unanimi consensu, ac nostra, perpetuo valitura constitutione, apostolica auctoritate, et de potestatis nostrae plenitudine, statuimus, ordinamus, decernimus et definimus, quod si, quod Deus pro sua clementia et ineffabili bonitate avertat, contigerit postquam nos, vel successores nostros successive, ipse Deus ab hujusmodi universalis Ecclesiae regimine absolverit, humani generis inimico procurante, et ambitione vel cupiditate ad hoc inclinante, seu impellente, electionem Romani Pontificis, ab eo, quem eligi contigerit, vel ab aliquo, seu aliquibus de coetu Cardinalium quomodolibet votum dantibus per simoniacam haeresim in dando, promittendo, vel recipiendo pecunias, bona cujusque generis, officia, vel beneficia, seu promissiones, et obligationes commissam, per se vel alium, seu alios quomodocumque et qualitercumque, etiam in duarum partium, vel omnium Cardinalium unanimi concordia, quomodolibet, etiam per viam assumptionis unanimiter, nemine discrepante, etiam sine scrutinio factae, celebrari, vel fieri, non solum hujusmodi electio, vel assumptio eo ipso nulla existat, et nullam eidem sic electo, vel assumpto administrandi in spiritualibus et temporalibus facultatem tribuat, sed etiam contra dictum sic electum vel assumptum, de simoniaca labe, a quocumque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, apponi, et excipi, possit, sicut de vera, et indubitata haeresi, ita quod a nullo pro Romano Pontifice habeatur, quin imo ipse sic electus a priori suo Cardinalatus, et alio quocumque honore Ecclesiis cathedralibus, etiam Metropolitanis, et Patriarchalibus, Monasteriis, Dignitatibus, et aliis quibuscumque beneficiis et pensionibus, quae tunc obtinebat, in titulum vel in commendam, aut alias quomodocumque, eo ipso, absque alia declaratione, privatus existat: et idem electus, non apostolicus, sed apostaticus, et tamquam Simon magus et haeresiarca et ad praedicta omnia, et singula perpetuo inhabilis habeatur, et sit.

164. Nec hujusmodi simoniaca ele-

ctio per subsequentem ipsius inthronizationem, seu temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem seu obedientiam, ullo unquam tempore convalescat. Liceatque omnibus, et singulis Cardinalibus, etiam illis, qui huic simoniacae electioni, seu assumptioni consenserit, etiam post inthronizationem, et adorationem, seu obedientiam ac etiam universo clero, populo Romano, nec non subditis et S. Angeli de Urbe ac quarumvis aliarum Romanae Ecclesiae arcium praefectis; castellanis, capitaneis et aliis officialibus, quocumque homagio, seu juramento, vel cautione praestitis non obstantibus, a talis electi, etiam inthronizati obedientia et devotione, impune, et quandocumque discedere (ipsis, fidei Romanae Ecclesiae, et obedientiae futuri Romani Pontificis canonice intrantis, nihilhominus adstrictis permanentibus) et cum, ut magum, ethnicum, publicanum et haeresiarcham evitare.

165. Ad cujus quoque confusionem possint Cardinales, qui praefatae electioni se opponere voluerint, si praesumpserit se regimini universalis Ecclesiae, praetextu talis electionis ingerere, auxilium brachii saecularis contra eum implorare. Nec tales ab ejus obedientia discedentes, tamquam tunicae Domini scissores, aliquantum propter dictum discessum poenarum, seu censurarum ultioni subjaceant. Cardinales vero, qui eum sic simoniacae elegerint a suis ordinibus, et etiam Cardinalatus titulis et honore ac quibuscumque Patriarchalibus, Archiepiscopalibus, Episcopalibus et aliis praelaturis, ac dignitatibus, et beneficiis, quae in titulum, vel commendam tunc obtinebant, vel in quibus seu ad quae jus tunc habebant, absque alia declaratione, privati existant, nisi ab illo penitus, et cum effectu discesserint et reliquis Cardinalibus, quae hujusmodi simoniae non cesserint, intra terminum octo dierum postquam fuerint ab eis requisiti, personaliter si fieri poterit, alias per edictum publicum, se absque fictione, vel fraude univerint et conjunxerint. Et tunc si praefatis aliis Cardinalibus se univerint et conjunxerint, in pristinum statum, et ad pristinos honores et dignitates, etiam Cardinalatus ac Ecclesias et beneficia, quibus praesunt, et quae obtinebant, reintegrati, rehabilitati, ac restituti et repositi, ab hujusmodi simoniae labe, et censuris, ac poenis ecclesiasticis, quibuscumque absoluti eo ipso existant.

166. Mediatores vero, proxenetae, drapezitae tam clerici quam laici, cujuscumque dignitatis qualitatis et ordinis fuerint etiam Patriarchali, Archiepiscopali, sive Episcopali, vel alia peculiari mundana, sive ecclesiastica dignitate praediti, etiam quorumcumque regum et principum oratores, vel nuntii, hujus simoniacae electionis participes sint omnibus suis ecclesiis, beneficiis, praelaturis et feudis, ac aliis quibuscumque honoribus et bonis eo ipso privati, et ad similia inhabiles, ac etiam active et passive intestabiles, et eorum bona ipso facto, ad instar reorum criminum laesae majestatis, fisco Apostolicae Sedis applicentur et devolventur, si praedicti delinquentes ecclesiastici fuerint, vel

alias Romanae Ecclesiae subditi. Bona vero et feuda taliter delinquentium, non subditorum saecularium, in partibus existentia, fisco saecularis principis; in cujus territorio bona sita fuerint, ipso facto similiter applicentur. Ita tamen, quod si infra tres menses, a die quo notum fuerit, illos simoniam commisisse, vel participasse, principes dicta bona fisco suo actualiter non applicaverint, ex tunc illa fisco Ecclesiae Romanae applicata censeantur, et sint eo ipso absque alia similiter declaratione.

167. Promissiones quoque, et obligationes, sive sponsiones propterea quandocumque, etiam ante tempus dictae electionis, etiam extra personas Cardinalium, per quoscumque alios quomodocumque factae, cum quavis inexcogitabili solemnitate et forma etiam juratae, conditionales, sive exceptuales, et in forma excommissarum, et ex quacumque causa, etiam depositi, mutui, cambii, confessionis de receptis donationis, arrendamenti, vel venditionis, permutationis, vel alterius cujuscumque contractus, etiam in ampliori forma Camerae Apostolicae factae, sint nullae et invalidae, et ad agendum inefficaces, nullusque illarum vigore cogi, vel constringi possit, in judicio vel extra; liceatque omnibus, ab illis impune, absque aliquo metu, sine perjurii nota recedere.

168. Et insuper liceat Cardinalibus, qui electioni praedictae simoniacae interfuerint, et a praefato sic electo discesserint, adhibitis secum aliis Cardinalibus, qui hujusmodi simoniacae electioni consenserint, et postea eisdem Cardinalibus in dicta simonia non complicibus se univerint, si se cum eisdem unire voluerint alioquin sine eis, ad alterius nihilominus Pontificis electionem, non expectata alia sententia declaratoria simoniacae electionis hujusmodi, eadem tamen praesente nostra constitutione semper in suo robore permanente, libere alias tamen canonice devenire et Concilium etiam generale indicere et convocare in loco idoneo, prout eis videbitur expedire. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et praecipue felicis recordationis Alexandri Papae III et aliorum Summorum Pontificum praedecessorum nostrorum, etiam in Conciliis generalibus editis, caeterisque quibuscumque.

Ex Constitutione Gregorii XV ed. 1621.

169. Matura cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione habita; de eorumdem fratrum consilio pariter et assensu, ac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus decernimus ac declaramus, in posterum electionem Romani Pontificis fieri aliter non posse, quam in conclavi et eo clauso, ac post celebratum in eo prima die sacrosanctum Missae solitum sacrificium, cui Cardinales interesse, et in eo communicare consueverunt, ac per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclavi praesentium, praeter quam si omnes, et singuli Cardinales similiter in conclavi praesentes, nemine dissentiente aliquibus ex eorumdem collegio Cardinalium com-

mitterent eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae provideret de Pastore; aut nisi communiter ab omnibus, et singulis Cardinalibus, qui ibidem in conclavi praesentes erunt, nemine pariter dissentiente, quasi per inspirationem, nullo praecedente, de persona speciali tractatu, per verbum, *Eligo* intelligibili voce prolatum aut scripto, si voce fieri non potuerit expressum, fuerit celebrata.

170. Numerum autem suffragiorum duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclavi praesentium, ut electio per viam scrutinii, sive scrutinii et accessus valida sit, decernimus, et declaramus ita esse censendum, ut in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur, nec quisquam, sive scrutinii, et accessus, sive compromissi via procedatur, seipsum eligere, seu suffragium sibi dare nullatenus possit. Electi tamen persona, si in conclavi sit, debeat in numerum Cardinalium computari.

171. Rursus nemo per viam scrutinii, seu scrutinii et accessus habeatur pro electo, nisi publicatis omnibus suffragiis, et si electum, numerum tantummodo duarum ex tribus partibus habuisse compertum sit, etiam schedulis apertis. Ac si contingat plures in schedulis nominatos, duas tertias partes suffragiorum tulisse in suffragiorum paritate, neuter sit electus, in imparitate vero, qui numero suffragiorum superior erit, dummodo duas tertias partes etiam in uno suffragio excedat, electus censeatur. Insuper in unoquoque scrutinio antequam schedula in calicem mittatur, a quolibet Cardinale juramentum alta et intelligibili voce fiat his verbis: « TESTOR CHRISTUM DOMINUM, QUI ME JUDICATURUS EST, ME ELIGERE QUEM SECUNDUM DEUM JUDICO ELIGI DEBERE, ET QUOD IDEM IN ACCESSU PRAESTABO.» Et hoc juramentum a nullo omittatur.

172. Suffragiorum autem schedulae hujusmodi, tam scrutinii, quam accessus, ubi potuerit, impressae omnino esse debeant, ubi non potuerit, unius tantum manu scriptae sint; ita videlicet ut tam impressae, quam ita scriptae ea omnia, quae in schedulis hujusmodi exprimi solent, contineant, praeter sola nomina, seu denominationes eligentis et electi, et infrascripta signa, quae omnia manu ejusdem eligentis scribentur: et nomen quidem eligentis in prima parte schedulae, electi vero in sequenti et rursus electi, quantum fieri poterit charactere alterato, ita ut cognosci non possit: eaque schedulae pars, in qua erit eligentis nomen claudetur, ac sigillo ad hoc parato ac secreto, non autem eo quo quisque uti solet, obsignetur. Ut autem videri possit, ne qui alicui accessit, eisdem in scrutinio suffragium dederit, schedulae omnes duobus aliis signis in ultima parte signentur, numero nempe aliquo, et brevi dicto Sacrae Scripturae, vel alio hujusmodi, quae signa in utraque schedula tam scrutinii, quam accessus eadem sint.

173. Postea vero pars illa schedulae; ubi haec signa erunt, etiam complicetur, et obsignetur, ne a scrutatoribus videri possit, nisi postquam fuerit per scrutinium et accessum electio perfecta, quo casu schedulae

accessus a scrutatoribus ea in parte, ubi duo praedicta sunt signa, aperiantur, iisque inspectis, et earum sigillis, aliae schedulae cum iisdem signis notatae, et in scrutinio datae reperiantur, ut videlicet an duo haec signa, et sigillum eadem sint cognoscatur, et inde duo suffragia ab eodem Cardinali uni data non fuisse appareat. At si inter schedulas scrutinii nulla reperietur iisdem signis notata, quibus schedula accessus signata erit; aut si quis eidem accesserit, quem in scrutinio nominaverit, utroque casu suffragium accessus nullum sit.

174. Subscriptio autem, seu nomen eligentis resignari non possit, nisi contingat, ut sigillum et alia duo praedicta signa sint eadem cum signis, et sigillo alicujus alterius Cardinalis, aut alia difficultate cogente. Quod autem attinet ad nomen electi, illud eo modo a Cardinalibus scribatur, quomodo in folio impresso, ubi in conclavi notari suffragia solent. Praeterea ut secreto cautius consulatur schedulae suffragiorum conficiantur, una seu pluribus in mensis, in media cappella constitutis ita a Cardinalibus remotis, et circumspectis, ut quid scribatur ab aliis videri non possit. Si quis vero ad mensam accedere impeditus valetudine non poterit, is suffragium suum in loco suo secrete conficere debeat, et ad illud accipiendum ultimus scrutatorum accedat.

175. Et ut accessus secrete etiam peragatur, scrutinio publicato, si electio per consensum duarum partium in eo non fuerit celebrata, statim antequam ad alios actus deveniatur, Cardinales schedulam pro accessu formatam praedictis in mensis conficere, sicut in scrutinio teneantur. Porro usus schedularum pro accessu talis erit. Qui accedere alicui ex nominatis in scrutinio voluerit, ejus nomen scribet: qui noluerit, ne cognosci possit, eum nulli accedere, in loco nominis scribat, NEMINI. Nulli autem tam in schedula scrutinii, quam accessus, plures nominare liceat, alioquin suffragium in quo plures fuerint nominati, nullum sit; accedere tamen uni ex nominatis a se in dicta schedula, vel alii, dummodo aliquod aliud suffragium in eodem scrutinio tulerit, non prohibeatur, et in numerum Cardinalium in conclavi praesentium numeretur.

176. Neque in quolibet scrutinio, nisi semel accedere liceat: neque per accessum ab alterius nomine, in scrutinii schedula facta recedi decernimus et declaramus. Insuper antequam schedulae sive scrutinii, sive accessus a scrutatoribus aperiantur, omnes ab iis diligentissime palam numerentur, et si plures repertae fuerint, quam sint Cardinales in conclavi praesentes, omnes comburantur, et iterum ad suffragia statim deveniatur. Si quis autem aliquid ex supra expressis non servaverit, aut quomodocumque directe, vel indirecte in aliquo contravenerit, sententiam excommunicationis ipso facto incurrat. Praeterea statuimus et ordinamus, quod si aliquem infirmitas impediverit ad scrutinium venire, ad eum adire debeant tres Cardinales sorte ante scrutinium, ut infra, ad hanc

rem ex omnibus Cardinalibus per ultimum Diaconorum extracti, cum capsula perforata, sed inani et palam a scrutatoribus clausa, cujus clavis super altare remaneat, et schedulam impressam illi deferre, ipseque illam, sicuti alii Cardinales, praevio juramento suprascripto, secrete conficere teneatur, deinde in capsulam conjiciat, eaque per eosdem Cardinales relata, et aperta in calicem schedula mittatur.

177. Publicato deinde scrutinio, si accessus faciendus erit, ut etiam infirmi accedere possint, unum ex foliis in quibus nomina Cardinalium, et suffragiorum numerus notantur, a tribus Cardinalibus praedictis sumatur, et palam recognito numero suffragiorum, quae quisque in scrutinio tulerit, ad infirmum una cum alia impressa schedula, pro accessu parata, et cum eadem capsula ab iis deferatur. Infirmus vero alicui accedere, vel nemini accedere debeat, omniaque et singula serventur, quae de scrutinii schedula supra ordinata sunt, sub eadem excommunicationis latae sententiae poena. At si quis scribere valetudine impeditus, per alium praevio juramento, ab eo qui scribet praestando, de servando secreto, quod sub eadem excommunicationis poena servari mandamus, subscribere libere possit.

178. Ad haec scrutatores tres, sicut et tres alii Cardinales qui ad infirmorum suffragia deferenda proficiscentur, ex omnibus Cardinalibus praesentibus in conclavi, nulla ordinis servata distinctione, sorte immediate ante quodlibet scrutinium per ultimum Diaconorum extrahantur, et qui semel extracti fuerint, in eos iterum conficiantur; alioquin si quis contrafecerit, sicut si scrutatores, vel recognitores aliquid secreti in exercendo suo officio cognoverint et illud revelaverint, eamdem latae sententiae excommunicationem incurrant. Finito scrutinio, et accessu, sive electio secuta sit, sive non sit, tres alii Cardinales, sorte pariter, ut supra, extrahendi schedulas omnes recognoscere debeant, sigillo tamen et duobus aliis signis, si aperta non fuerint, intactis remanentibus. Quae omnes et singulae schedulae, sive secuta, sive non secuta electione, postmodum statim palam comburantur.

179. Similiter ne electio protrahatur, statuimus et ordinamus, ut sub simili excommunicationis poena eo ipso incurrenda, scrutinium bis singulis diebus peragatur, ita ut etiam perficiatur, mane scilicet post solitam Missam, et prima quidam die tantum post Cardinalium sacram peractam communionem, et pomeridiano tempore hora opportuna, post hymnum « Veni, Creator Spiritus » et orationem de Spiritu Sancto: idemque si compromissi, via eligatur, observari debeat, atque ad scrutinium, cum tertium pulsata per loca solita conclavis campanula de more fuerit, omnes et singuli Cardinales convenire debeant, valetudine non impediti, sub eadem excommunicationis latae sententiae poena.

180. Cardinales praeterea omnino abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus, in-

tendimentis, condictis, foederibus, aliisque quibuscumque obligationibus, minis, signis, contrasignis suffragiorum, seu schedularum aut aliis tam verbo quam scripto aut quomodocumque dandis aut petendis, tam respectu inclusionis quam exclusionis, tam unius personae, quam plurium aut certi generis, veluti creaturarum aut hujusmodi, seu de suffragio dando vel non dando: quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam juramento adjecto, nulla et irrita; neque ad eorum observantiam quemquam teneri, aut ex transgressione notam incurrere fidei non servatae decernimus et declaramus; et contrafacientes ex nunc excommunicationis poena innodamus, tractatus tamen pro electione habendos vetare non intelligimus.

181. Quod si electio hujusmodi alibi celebrata fuerit, quam in conclavi clauso, vel aliter quam per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclavi praesentium in scrutinio, seu scrutinio et accessu, electi suffragio non computato, vel per viam compromissi, ab omnibus Cardinalibus similiter in conclavi praesentibus nemine dissentiente initi, et ita ut nemo se ipsum elegerit: vel quasi per inspirationem, nullo praecedente de persona speciali tractatu, omnium pariter Cardinalium praesentium in conclavi communiter, nemine itidem dissentiente, per verbum *Eligo*, intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce non potuerit, expressum nulla sit et invalida eo ipso, absque ulla declaratione, et ita electo nullum jus tribuat: quin imo is non Apostolicus, sed apostaticus sit et habeatur, tam ipse quam eligentes, ejusque fautores et complices sententiam excommunicationis et anathema, aliasque censuras et poenas invasoribus Sedis Apostolicae a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis impositas pariter ipso facto incurrant, a qua sicut ab alia quacumque in hac constitutione imposita et irrogata, seu infra imponenda et irroganda poena excommunicationis, tam ipsi, quam cuilibet alius sive S. R. E. Card. sive alia persona cujuscumque gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae a nullo, neque etiam a Majori poenitentiario, cujuscumque facultatis vigore, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit, et tam ipse ejusque complices et fautores quam alii quicumque etiam S. R. E. Cardinales hujus constitutionis in aliquo transgressores aliis gravissimis poenis teneantur, futuri Pontificis canonice intrantis arbitrio irrogandis.

182. Postremo statuimus et districte praecipiendo mandamus, ut S. R. E. Cardinales, quaecumque secretum violare quomodolibet poterunt, omnia evitare et cavere omnino teneantur, cum intentio, et mens nostra sit ut electionis hujusmodi tam sanctum negotium, si fiat per scrutinium et accessum, ut praefertur, secretissime transigatur: ac proinde iisdem omnibus et singulis S. R. E. Cardinalibus, et eorum sacro collegio inhibemus, ne contra haec vel horum aliquod statuere, disponere vel ordi-

nare, seu in aliquo corrigere, alterare, mutare seu aliquo modo facere, tractare, moliri vel attentare praesumant quovis praetextu, causa vel exquisito colore, sub eadem excommunicationis poena ipso facto incurrenda. Ut autem hujusmodi nostra constitutio inviolabilius observetur, tres Cardinales qui singulis diebus congregationibus agendis praepositi sunt, et cum iis S. R. E. Camerarius illam in omnibus et per omnia observari procurent et faciant.

183. Volumus etiam et decernimus censurarum et excommunicationum praedictarum et aliarum quarumcumque praetextu vel causa Cardinales a Summi Pontificis electione activa et passiva excludi nullo modo posse, quas quidem censuras et excommunicationes ad effectum hujusmodi electionis tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus: decernentes easdem excommunicationes et censuras eos solum afficere qui deliquerint, non autem alios conclavi durante, qui cum iis conversati fuerint.

184. Caeterum, etsi opus non esse in Domino confidimus, tamen pro officii nostri debitum, et rei de qua agitur gravitate admonemus, hortamur et in Domino obsecramus S. R. E. Cardinales ut attente considerent personae quam sustinent officium et dignitatem, quam sacrum praeterea et quanti momenti sit opus quod tractant; et nihil quod se non deceat, nihil re alienum committant, sed cogitent quam perniciosum futurum sit universae Ecclesiae Christi sanguine acquisitae, si male administretur, ac proinde exuant omnes mundanas curas et induant solum Dominum nostrum J. Christum, memores nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur. Denique animum advertant, se in conclavi clausos editissima in specula constitutos esse et factos spectaculum Deo et hominibus, a Domino cujus negotium gerunt supplicii vel gloriae sempiternae retributionem citissime laturos. Volumus quoque praesentes nostras coram omnibus in prima congregatione post obitum Pontificis fieri solita, et deinde post conclavis ingressum, et cum quis ad Cardinalatus honorem promotus fuerit, cum aliis similibus constitutionibus legi et juramentum super illius observatione praestari: et ita praecipimus et mandamus (1).

PII PAPAE VI

DE SUCCESSORIS SUI ELECTIONE CONSTITUTIO ALTERA.

Pius Episcopus, servum servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quum Nos, superiori anno, invalescente in dies inimicorum Nostrorum potentia, eum in locum Romanam Ecclesiam adductam videremus, ut omnia Nobis metuenda essent quae ad ejus libertatem extinguendam pertinerent, nihil tam vehementer pertimuimus, quam ne, vacante post obitum Nostrum Sede Apostolica, impeditis per vim aut perturbatis comitiis quae de Succes-

(1) Urbanus VIII hanc constitutionem confirmavit et insertam de verbo ad verbum promulgavit, cum caerimoniali electionis hujusmodi ab ipsomet approbato.

sore Nostro eligendo futura sunt, aut impossibilis omnino ratio novi creandi Pontificis redderetur, aut saltem tantae rei celeriter expediendae infinita impedimenta opponerentur. Itaque, ut hinc periculo qua ratione per Nos fieri poterat occurreremus, per alias Nostras literas sub plumbo datas, III Cal. Januar. Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio, decrevimus ut esset penes arbitrium majoris partis Cardinalium qui praesentes essent, eum in locum ad Pontificem eligendum convenire qui iis opportunior videretur, iisdemque potestatem fecimus sive protrahendi sive contrahendi, si id opus esset, spatium decem dierum a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris ac praesertim a B. Gregorio X constitutum, quod a Pontificis obitu ad ingressum in conclave intercedere debet, haud derogantes tamen ulla ex parte ceteris caeremoniis atque solemnitatibus quae per eorumdem Pontificum Constitutiones in electione Romani Pontificis praescribuntur. Nec vero Nos inani malorum impendentium formidine perculsi fueramus: siquidem multo graviora ac detestabiliora contra Romanam Ecclesiam ejusque libertatem fieri vidimus, quam illa essent quae a Nobis metuebantur. Venerabiles enim Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, ad quos privativa Romani Pontificis spectat electio, vel Urbe expulsi, vel in carcerem conjecti, vel alii alium in locum deportati, patrimonium B. Petri direptum, bona ecclesiarum divendita, monasteria, expulsis regularium familiis, in profanos usus conversa, ipsa quoque disciplina Ecclesiae perturbata, nec sacerdotii conculcata immunitas solum, sed etiam auctoritas circumscripta libertasque sublata; Nos vero ipsi, qui B. Petri patrimonii vindices atque custodes constituti sumus, et meritis licet imparibus, ita Domino volente, universae Christi Ecclesiae praesumus, ejusque cives, tamquam B. Petri successores, in terris gerimus, et sacerdotii violata jura defendere ac tueri debemus, ex Romana Sede ejecti, et in alienas terras commigrare compulsi, atque hoc in Carthusianorum coenobio detenti, nec reclamare contra tantam cum humanorum tum divinorum jurium conculcationem possumus, quin vereamur ne, ob tantam hominum impietatem ac vim, graviora exinde mala in Ecclesiam Religionemque universam sint oritura. Non tamen in tantis periculis defuit Ecclesiae suae Deus: praeterquam quod enim tantam firmitatem Venerabilibus Fratribus Nostris indidit, quanta eos praestare necesse erat ad infinitas illas aerumnas alacri animo sustinendas quas subire coacti sunt, ita etiam divino suo auxilio debilem hanc senectutem Nostram sustentavit ac rexit, ut non solum tantis Nos Ecclesiae malis superstites essemus, verum etiam ut coelesti gratia confirmati tantos labores constantes perferre, ac si minus praesentibus, futuris saltem Ecclesiae periculis aliquo modo providere possemus. Quoniam vero ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes sunt accommodatae, quum Nos propter ea nova mala quae contra apostolicam liber-

tatem acciderunt his novem mensibus qui consecuti sunt, videamus ad electionis pericula praecavenda non satis esse posse ea remedia quae tunc per praefatas Nostras literas praescripta fuere; auctis enim Ecclesiae difficultatibus, novis derogationibus tempora indigent, ne Pontificis electio perturbetur, cum magis quaerendum sit Nobis ut faciliter et celeriter eligatur Romanus Pontifex, quam ut servatis rite et caerimoniis et solemnitatibus eligatur, quarum his praesertim temporibus nulla forsan ratio habere potest; motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, in iis tantum comitiis quae de Pontifice eligendo prima post obitum Nostrum futura sunt, ac etiam in immediate sequentibus, quatenus, quod absit, minime in melius immutatis circumstantiis, et nulla super hoc prolata nova lege, decedat successor Noster, derogatum volumus, et plane atque expresse derogamus non solum iis legibus quae de habendis comitiis in eo loco ubi mortuus est Pontifex constitutae sunt, sed etiam omnibus caeremoniis, solemnitatibus, consuetudinibus quae ad substantiam canonicae electionis minime pertinent, et in Pontifice eligendo servari solent ex praescripto et sanctionibus Romanorum Pontificum, ac praesertim Beati Gregorii X constitutione, *Ubi periculum*, edita in Concilio generali Lugdunensi; constitutione Clementis V, *Ne Romani*, edita in Concilio generali Viennensi; constitutione Clementis VI, *Licet in Constitutione*, anni MCCCLI; Urbani VIII, *Ad Romani Pontificis*, anni MDCXXVI; Pii IV, *In eligendis*, anni MDLXII; duabus Gregorii XV, *Aeterni Patris* ac *Decet Romanum Pontificem*, anni MDCXXI; Clementis XII, *Apostolatus officium*, anni MDCCXXXII, et Nostra *Christi Ecclesiae*, anni proxime superioris, in iis quae posteriori huic adversantur; simulque Cardinales, tum universos, tum singulos ab omni sacramenti religione qua se obstrinxerunt ea omnia servandi hac retinendi in Pontificis electione, pro primis tantum futuris comitiis, et quatenus opus sit pro immediate dumtaxat sequentibus, solvimus et solutos declaramus. Quum autem intelligamus quoque plurium ad celeritatem electionis collaturum, si Cardinales ante obitum Nostrum concilia ineant inter se, deliberantque quaenam expeditior ratio qua et ea fieri quae a Nobis constituta sunt, et futuri Pontificis electio mature ac celeriter haberi possit, quumque apostolicae constitutiones gravissimis censuris eos affectus velint qui, vivente et inconsulto Pontifice, de successore ejus eligendo sermones habere hac deliberare audent, ut in constitutione praesertim Pauli IV, *Quum secundum* propterea Nos tam huic constitutioni, quam ceteris hujusmodi derogantes, potestatem facinus Cardinalibus universis ac singulis, etiam viventibus Nobis, sermones habendi, deliberandi, conveniendi de ratione qua facilius possint quae a Nobis provisa sunt exequi atque expedire, ita ut de indicendo comitiorum die, de loco in quem eadem convocanda sunt, de conclavis clausura, utrum ea servenda an tol-

lenda judicabitur, de eorum delectu qui ministri in conclavi sunt designandi, de iis, denique omnibus de quibus agi ad maturandam Pontificis electionem necessarium videbitur, ipsis liberum sit colloqui, deliberare et constituere, dummodo in hac deliberandi et constituendi facultate cautum semper maneat ne cui unquam ex Cardinalibus de eo qui Pontifex eligendus erit, nisi post obitum Nostrum, aut convenire, aut deliberare liceat. Ceterum, salvis ac firmis conditionibus omnibus quae necessariae sunt in quavis electione canonica Romani Pontificis, tam iis quae ad loci ubi comitia habenda erunt securitatem pertinent, quam illis quae spectant ad electorum libertatem, et ad duas tertias partes suffragiorum eorum qui congregat sint, quibus conveniri in electum debet, excluso item omni ambitu ac simoniae crimine, de quo ne suspicari quidem Nos possumus, praecipimus et mandamus ut, ex eo loco unde Nos tantis e vitae laboribus ad aeternam pacem, quam speramus, migrare justos et misericors Dominus voluerit, quicumque e Cardinalibus aderit, et si plures erunt, eorum dignor, aut, iis omnibus absentibus, nuntius apostolicus, sive, in hujus defectu, loci ordinarius, aut praelatus, vel alius quispiam in dignitate ecclesiastica constitutus, quam celeriter de Pontificis obitu certiores Cardinales faciat, ut qui ex iis accedere ad comitia possunt, statum ad conveniendum se comparent. Et quoniam vi distracti ac dissipati per diversas regiones Cardinales maxime timendum est ne ad libitum discedere, atque in unum locum se conferre prohibeantur, ut vel diu Petri navis praesentibus jactata per magnis fluctibus gubernatore suo careat, vel congregatis hac illac nonnullis Cardinalibus, plure eligantur Pontifices, et schismate, quod Deus avertat, vexetur sancta Dei Ecclesia; idcirco, ut tantis Deo adjuvante occurramus calamitatibus, simili motu proprio ac certa scientia, et de Apostolicae potestatis plenitudine decernimus, statuimus et mandamus ut, eveniente extra Romanam Curiam obitu Nostro, jus eligendi Summum Pontificem per eos Cardinales unice exerceatur qui in ditione alicujus catholici principis plures numero, quam alii ulla alia in regione commorantes inveniantur, simulque per eos qui ex aliis regionibus ad comitia in praedicta ditione explenda accesserint. Ob eandem causam volumus ut de more Cardinalis sacri collegii Decanus, si tamen is in dominatione illa aderit in qua plures numero versantur Cardinales, sive, eo absente, qui potior dignitate inter illos erit, certior factus de obitu Nostro, statim de nullorum ex iisdem Cardinalibus consilio, si forte pridem cum ipsis statutum fuerit, opportuniorem locum ad habenda comitia constituat, in eumque cunctis ex locis Cardinales omnes, ubicumque degentes, per indictionis literas evocet, et ad illos qui alibi commorantur de ipsorum pluralitate informandos, nomina mittat eorum Cardinalium qui in ditione ejusdem principis existunt. Quare in virtute sanctae obedientiae praecipimus ut, nisi gra-

vissima intercesserint impedimenta, Cardinales omnes denuntiationis literis ad comitia evocantibus statim parere teneantur, iisque dumtaxat Cardinalibus qui plures in eodem loco congregati erunt, ceterisque accedentibus ante peractam electionem, potestatem facimus, non solum decernendi per suffragiorum pluralitatem de iis omnibus quae ad Pontificis electionem pertinent, verum etiam, transacto consueto decendio, Pontificem ipsum, quamvis non expectato ceterorum Cardinalium adventu, libere ac licite eligendi; ita ut qui a duabus tertiis partibus congregatorum Cardinalium electus Pontifex fuerit, is rite electus et vere sit Romanus Pontifex Christi Vicarius, et talis ab universa Ecclesia agnosci atque haberi debeat. Mandamus praeterea ut hae literae apostolicae voluntatis Nostrae, prima die in qua ad suffragia Cardinales convenerint, palam recitentur, et si qua in re aut interpretatione aut declaratione aliqua indigere videbuntur, id per sententiarum pluralitatem ab iisdem Cardinalibus qui congregati fuerint interpretetur ac declaretur, ita ut quidquid a majori parte Cardinalium congregatorum constitutum hac ratione fuerit, id habeatur perinde ac apostolica auctoritate esset a Nobis constitutum. Quia vero res de qua agitur tanti momenti est, ut ab ea potissimum et matura Pontificis electio, et catholicae unitatis conservatio, et Ecclesiae tranquillitas pendere videatur. Nos, utentes apostolica Nostra auctoritate, in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis, praecipimus ne quis e sacro collegio Cardinalium fas sibi esse quovis praetextu arbitretur his quae a Nobis, per has alteras Nostras literas, praescripta sunt, animo minus prompto atque obsequenti repugnare; quinimo volumus ut universi singula quaeque servare atque exequi teneantur. Itaque, per viscera misericordiae Dei Nostri, per diffusam in cordibus Nostris Divini Spiritus charitatem, ac per eam sacramenti religionem qua unusquisque in sacrum Cardinalium collegium cooptatus sese obstrinxit tuendi ac defendendi Christi Ecclesiam usque ad sanguinis effusionem, hortamur tum singulos, tum universos, ut in tanto Christianae Religionis periculo privatis rationibus Dei gloriae et Ecclesiae tranquillitati, postpositis, libentibus et concordibus animis in hanc unam curam incumbant ut ne nimium diu Petri navicula, tantis tempestatibus agitata, rectore et gubernatore destituta fluctuare cogatur, ne catholicus grex universus, tot lupis in ovium praedam undecumque irruentibus, per privata studia pastore et custode suo careat, a quo servari et defendi possit: illud sibi persuadentes, se quamvis tot tamque acerbis aerumnis pro Christo in omni patientia et mansuetudine toleratis fidem suam tanta cum gloria probarint Ecclesiae, nulla tamen fidei suae in eam luculentiora documenta esse daturos, quam si concordibus studiis in Pontifice celeriter eligendo illud ostenderint se revera, nulla propriorum commodorum ratione habita, solum Ecclesiae tranquillitati christiani gregis saluti, orbis terra-

rum universi periculis prospicere statuisse.

Decernentes praesentes literas, etc.

De Constitutione Pii IX.

185. Cum Romanis Pontificibus in beato Petro Apostolorum Principe pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plena potestate tradita fuerit; pax et unitas ipsius Ecclesiae in grave discrimen facile adducerentur, si, Apostolica Sede vacante, in electione novi Pontificis quidquam fieri contigeret, quod eam incertam reddere posset. Ad tam funestum periculum avertendum plures a Romanis Pontificibus decessoribus Nostris, ac praesertim a fel. record. Alexandro III in generali Concilio Lateranensi III, a Gregorio X in generali Concilio Lateranensi III, a Clemente V, a Gregorio XV, ab Urbano VIII et a Clemente XII editae sunt constitutiones, quibus dum multa alia praescribuntur, ut negotium tanti momenti rite recteque expediatur, generatim et absque ulla exceptione declaratur ac decernitur electionem Summi Pontificis ad S. R. E. Cardinalium Collegium unice et exclusive spectare.

186. Haec Nos animo recolentes cum Oecumenicum et generale Concilium Vaticanum per Apostolicas literas, quae incipiunt *Aeterni Patris* III Kal. Julii 1868 a Nobis indictum in eo jam sit ut solemniter initiatur, Apostolici Nostri muneris esse ducimus quamcumque occasionem discordiarum et dissensionum circa electionem Summi Pontificis praevenire ac praecidere, si divinae voluntati placuerit, Nos, eodem Concilio perdurante, ex hac mortali vita migrare.

187. Quapropter exemplo permoti fel. record. Julii II decessoris Nostri, de quo, compertum ex historia est tempore generalis Concilii Lateranensis V lethali morbo correptum Cardinales coram se convocasse, ac de legitima successoris sui electione sollicitum, illis adstantibus, addidisse hanc non a praedicto Concilio, sed ab eorum tantum collegio esse perficiendam, prout reapse, memorati Julii secuta morte, factum fuisse constat atque exemplo insuper excitati aliorum decessorum Nostrorum item fel. record. Pauli III et Pii IV, quorum primus apostolicis literis datis XIII Kal. decembris an. 1544, alter vero similibus literis datis X Kal. octobris 1561 casum mortis suae praevidentes cum Tridentina Synodus celebraretur, decreverunt, ejusmodi casu occurrente, electionem novi Pontificis nonnisi a S. R. E. Cardinalibus esse faciendam, exclusa prorsus quacumque memoratae Synodi participatione; atque insuper de his habita cum nonnullis venerabilibus fratribus Nostris ejusdem S. R. Ecclesiae Cardinalibus matura deliberatione et diligenti examine et certa scientia Nostra, motu proprio, ac de Apostolicae potestatis plenitudine declaramus, decernimus atque statuimus quod, si placuerit Deo mortali Nostrae peregrinationi, praedicto generali Concilio Vaticano perdurante finem imponere, electio novi Summi Pontificis, in quibuscumque statu et terminis Concilium ipsum subsistat,

nonnisi per S. R. E. Cardinales fieri debeat, minime vero per ipsum Concilium, atque etiam omnino exclusis ab eadem electione peragenda quibuscumque aliis personis cujusvis, licet ipsius Concilii auctoritate forte deputandis, praeter Cardinales praedictos.

188. Quin imo, ut in ejusmodi electione memorati Cardinales, omni prorsus impedimento submoto, et quavis perturbationum et dissidiorum occasione sublata, liberius ut expeditius procedere queant de eadem scientia et Apostolicae potestatis plenitudine, illud praeterea decernimus atque statuimus, ut, si praedicto Vaticano Concilio perdurante, Nos decedere contigerit, idem Concilium in quibuscumque statu et terminis existat, illico et immediate suspensum ac dilatum intelligatur, quemadmodum per Nostras has literas illud nunc pro tunc suspendere atque in tempus infra notandum differre intendimus, adeo ut, nulla prorsus interjecta mora, cessare statim debeat a quibuscumque conventibus, congregationibus et sessionibus, et a quibusvis decretis seu canonibus conficiendis, nec ob qualemcumque causam, etiamsi gravissima et speciali mentione digna videatur, ulterius progredi, donec novus Pontifex a sacro Cardinalium collegio canonice electus suprema sua auctoritate Concilii ipsius reassumptionem et prosequutionem duxerit intimandam.

189. Opportunum autem censentes, ut quae occasione praedicti Concilii Vaticani hactenus ordinavimus tum quoad Summi Pontificis electionem, tum quoad ejusdem Concilii suspensionem, certam stabilemque normam in simili rerum eventu perpetuo servandam suppeditent pari scientia et potestate decernimus atque statuimus, ut futuris quibuscumque temporibus, quandocumque contigerit Romanum Pontificem decedere, perdurante celebratione alicujus Concilii Oecumenici, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis orbis loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive, juxta modum superius sancitum, statim ab accepto certo nuntio de mortui Pontificis suspensum ipso jure intelligatur, at tamdiu dilatum, donec novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari jusserit. Praesentes autem literas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, aut qualibet causa de subreptionis, vel obreptionis seu nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, vel alio quopiam, quantumvis substantiali inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem aut expressionem requirente defectu, aut ex quocumque alio capite a jure statuto vel a quocumque praetextu, ratione, aut causa quantumvis tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, redargui, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari posse; neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium dispositionum revocationibus, limitationibus, modi-

ficationibus, derogationibus sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de hisce praesentibus, earumque toto tenore ac data specialis mentio fieret, pro tempore factis et concessis ac faciendis, et concedendis comprehendi: sed semper et omnino ab illis excipi debere atque ex nunc quidquid contra praemissa Apostolica Sede vacante, quavis auctoritate etiam memorati Concilii Vaticani, vel alterius cujuscumque futuris temporibus Concilii Oecumenici, licet de unanimi consensu odiernorum, seu pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium scienter vel ignoranter fuerit attentatum irritum et inane ac nullius roboris decernimus.

CAPUT VIII.

DE ELECTIONE CARDINALIUM.

190. Tempus creandorum Cardinalium, seu promotionis ad Cardinalatus honorem faciendae, mensi decembri in ipsis temporibus, seu diebus jejuniorum esse debet. Ut autem ipsi Cardinales in regimine universalis Ecclesiae Romano Pontifici utiliter assistere valeant, ac de omnibus Christianorum regnorum, provinciarumque moribus rebus et negotiis prompte et fideliter certa ab eis notitia pro rerum emergentium opportunitate habeatur, ad mentem Concilii Tridentini decreti statuitur ut ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, idonei assumantur (1). Inter septuaginta Cardinales, praeter egregios utriusque juris et decretorum doctores, non desint aliquot insignes viri in sacra Theologia magistri; praesertim ex Regularibus et Mendicantium ordinibus assumendi, saltem quatuor, non tamen pauciores (2).

191. Praeterea qui Cardinales creandi erunt legitimis et honestis sint exorti natalibus, neque ulla prorsus labe, aut illegitimorum natalium suspicione quovis modo habeant, sed omni macula et impuritate caveant; alioquin ad tam eminentem dignitatis gradum penitus inhabiles, et illius incapaces sint et esse censeantur. Verum ut puriori dignitati puriores natales respondeant, quoscumque illegitimos natos quorumvis, etiam Magnorum Principum, etiam Ducati aut Majori, etiam regia et imperiali auctoritate fulgentium filios quocumque gradu, dignitate et praeeminentia praeditos, etiam genitos ex soluto et soluta, inter quos tunc matrimonium constare poterat, ac postea per subsequens matrimonium etiam rite et solemniter in facie Ecclesiae contractum, vel alias legitimatos et quomodolibet habilitatos, et natalibus restitutos, ac quorumvis bonorum capaces affectos, etiamsi cum eis ut hanc ipsam dignitatem obtinere valeant, super defectu natalium fuerit expresse et in specie Auctoritate Apostolica quomodolibet dispensatum, nihilominus praedictae Cardinalatus dignitatis prorsus incapaces et ad ea obtinenda perpetuo inhabiles esse statutum est, atque declaratum (3).

(1) Sixtus V Const. *Postquam verus*, 1586.

(2) Ibid.

(3) Ibid.

192. Si quos propter defectus, vitia aut impedimenta quaecumque ad sacros ordines secundum canonicas sanctiones promoveri fas non est, etiamsi cum ipsis Apostolica Auctoritate fuerit dispensatum, neve alicujus criminis aut infamiae nota respersi sint, in Cardinales ullo unquam tempore assumantur (1).

Lectissimi et praecellentes viri in ipsum collegium adscribantur et quorum vitae probitas morumque candor, praestans doctrina et eruditio, eximia pietas et erga salutem animarum ardens studium et zelus in dandis consiliis sincera fides et integritas, in rebus gerendis singularis prudentiae constantia et auctoritas, et aliae qualitates jure requisitae tam ipsi Pontifici, quam universo collegio cognitae sint ac probatae (2).

193. Nemo ad Cardinalatus honorem assumi queat nisi sit antea clericali charactere insignitus, et in quatuor saltem ordinibus constitutus per annum saltem habitum et tonsuram gestaverit clericalem. Insuper ut factionum fomitem et simulatam anxietatem ex hoc sacro coetu, quantum fieri possit amputetur, perpetuo interdicitur ne ullo unquam tempore assumatur aliquis in S. R. E. Cardinalem, qui frater ex utroque vel alterutro ponente germanus existat alterius Cardinalis viventis; ita ut eodem tempore duo fratres germani in eodem collegio nullatenus esse possint. Quin imo prohibetur ne patruele, vel amitino aut consobrino Cardinale vivente alter ejus patruelis vel amitinus vel consobrinus ad Cardinalatum valeat pervenire (3). Ea omnia et singula, quae de Episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina et caeteris qualitatibus (sicut suo loco referendum est) eadem, etiam in creatione Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium etiamsi diaconi sint exigenda statutum est; quos Romanus Pontifex assumet (4).

194. Sed et pari ratione sancitur ne patruo aut avunculo Cardinali vivente, ejus ex fratre vel sorore Cardinali existente illius patruus aut avunculus nec ullus denique alius, qui primo aut secundo tantum consanguinitatis gradu alicui Cardinali viventi conjunctus sit, quamdiu vixerit, in Cardinalem assumi possit. Ita ut omnes et singuli praedicti tam pater filios aut nepotes habens, quam fratres germani, patrueles, amitini, consobrini, patruus, avunculus, nepos ex fratre vel sorore, et quivis ut supra primo aut secundo gradu conjunctus alter altero Cardinali vivente ad Cardinalatum inhabiles, et illius incapaces sint et censeantur, neque eorum aliquis Cardinalis creari valeat, neque adversus hanc prohibitionem ex quacumque etiam urgentissima causa cum eis liceat dispensari. Et nihilominus electio, creatio, ac promotio Cardinalium hujusmodi contra praesentem prohibitionem aut interdictum facta et attentata, nulla, irrita et inanis sit eo ipso, ac cum omnibus inde secutis nullius sit roboris vel momenti (5).

195. Absentes a Curia Romana ad

(1) Sixtus V Const. *Postquam verus*, 1586.
(2) Ibid. (3) Ibid.
(4) Conc. Trid. Sess. XXIV cap. 1, de Reform.
(5) Sixtus V in citat. Const.

Cardinalatus promovendi creari debent adjecta conditione ut infra annum Apostolorum limina visitare teneantur et ante consignationem Bireti rubri a Pontifice transmittendi id facere jurent et observent. Quod si forte id jurare recusaverint Biretum rubrum ei omnino denegetur ac nunquam tradatur, sed ipso facto absque alia declaratione vel decreto Cardinalatus honore privatus existat atque habeatur, in omnibus ac per omnia, ac si nunquam in Cardinalem assumptus vel promotus fuisset. Inhabilis quoque ad eamdem dignitatem postea obtinendam et illius incapax efficiatur. Sin autem juret ac Biretum rubrum accipiat, sed tamen postea ad Urbem et Romanam Curiam, ut praefertur, intra annum a die praestiti juramenti non comparuerit, tunc pariter absque alia declaratione Cardinalatus dignitate, officio, titulo, denominatione atque omnibus et quibuscumque illius insignitus, facultatibus, privilegiis, auctoritatibus careat eo ipso et perpetuo privatus sit, et esse censeatur, ac si nunquam inter Cardinales cooptatus fuisset, nec Biretum rubrum accepisset. Quod quidem Biretum post id tempus deponere omnino teneatur (1).

196. Cum potissima Cardinalium facultas in Romano Pontifice eligendo consistat, quae sane ipsis propter insignium et caeremoniarum defectum auferri non debet, ob eam causam statutum est ut postquam aliquis S. R. E. Cardinalis creatus fuerit, honoremque acceperit, et consensum suum dederit, is statim vocem et jus eligendi Romanum Pontificem habeat, et consequenter etiamsi Cardinalatus nondum Galerus illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum apertum sit, videtur enim hujusmodi claudendi oris ritum, ad praecipuam Cardinalium facultatem, quae circa Summi Pontificis electionem versatur, non pertinere, sed caeremoniam quamdam esse, ea de causa introductam, ut Cardinales antequam in Consistoriis et Congregationibus suffragium ferant de modestia in actibus adhibenda admoneantur (2).

197. Cardinales in assumptione pilei promittere et jurare debent observaturos esse constitutionem a Pio V editam, in qua statuitur quod omnes et singulae, tam Communitates et Universitates, quam cives et incolae civitatum terrarum et locorum praedictorum, aliaeque quaecumque personae, tam ecclesiasticae, quam saeculares, cujusvis dignitatis et ordinis etiam Episcopalis, vel majoris, existentes, et SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALES tum publice in consiliis civitatum, et locorum praefatorum, quam privatim alibi in quibusvis locis, etiam civitatum et terrarum earumdem gubernatores aut si Sedis Apostolicae Legati, vel Prolegati existant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus de civitatibus et locis praefatis immediate ad Pontificem et Sanctam Sedem spectantibus et pertinentibus, etiam devolutis

(1) Sixtus V in citat. Const.

(2) S. Pius V die 26 Januarii 1571. Recensetur in Constit. 16 Gregorii XV, *Decet*, in approbatione Caeremonialis pro electione Summi Pontificis.

in feudum communiter et pluries dari solitis etiam ex causa permutationis, vel sub annuo censu aut canone, aut alias quomodolibet etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis, vel evidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis a Pontifice et Sede praefata quibusvis personis cujusvis dignitatis, gradus etiam Pontificibus secundum carnem conjunctis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aut quavis alia temporali vel Ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces Vicarios, Gubernatores; seu quemvis alium titulum ad vitam vel in perpetuum vel longum tempus, aut etiam Sedis Apostolicae beneplacitum, civitatum et locorum praefatorum, ac propterea de eligendis oratoribus ad Summum Pontificem super praemissis vel illorum occasione mittendis proponentes, tam ipsi quam oratores munus hujusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationes hujusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se vel alium seu alios insinuantes, vel suadentes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo absolvi nequeant.

198. Et insuper Sanctae Romanae Ecclesiae et Sedi Apostolicae praefatae rebelles, etiam in primo capite lesae majestatis, et proditores civitatum, et locorum praefatorum, ac bona eorum Fisco, et Camerae Apostolicae ipso jure devoluta, et incorporata sint, et esse censeantur, omnibuscumque ecclesiis, monasteriis et aliis per eos, quomodolibet obtentis beneficiis ecclesiasticis eo ipso privati existant, neque ad civitates, et loca praefata ullo unquam tempore remitti possint. Et si aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames remaneant, illisque bonorum et dignitatem portae perpetuo claudantur (1).

199. Constitutionem Pii V quam observare debent Cardinales ex juramento, quod emittunt in actu receptionis Pilei rubri, confirmarunt Gregorius XIII, Sixtus V, Gregorius XIV, Innocentius IX et Urbanus VIII, qui declaravit Innocentium IX prohibuisse omnem et quamcumque infeudationem, ac alienationem civitatum, terrarum oppidorum, locorum Sedi Apostolicae tam mediate quam immediate subjectorum, non solum ne fiat, neve attentetur post eorum devolutionem, sed etiam antequam civitates, terrae oppida et loca praedicta devolvantur ac omnem et quamcumque in perpetuum vel ad tempus prorogationum, ac extensionum infeudationum, investiturarum; et concessionum de dictis civitatibus, terris oppidis et locis finitimarum quarumcumque incorporationem, quoad effectum impediendae infeudationis, alienationis, prorogationis et extensionis hujusmodi non a die eorum devolutionis, sed a die ipsius constitutionis, etiam antequam illa devolvantur ipso jure cum omnibus clausulis et decretis in praedicta constitutione contentis, Camerae et Sedi Apostolicae factam censeri, adjecto etiam decreto et declaratione, ut promissio et juramentum praestitum et praestandum

(1) Pius V Constit. *Admonet nos*, 1567.

de servanda ea Pii V praedicta constitutione per ipsum Innocentium et successores suos Romanos Pontifices ac praedictos S. R. E. Cardinales intelligatur de ipsa Pii V constitutione per eum declarata et secundum hujusmodi declarationem, eamdem constitutionem ad unquem et inviolabiliter observari oportere et debere (1) sicut ipse Urbanus VIII confirmavit juravit et jussit Cardinales, cum Pileum rubrum receperint, jurare observaturos fore praedictam constitutionem. Hoc jusjurandum tenentur Cardinales renovare cum ad conclave pro electione Summi Pontificis accesserint (2).

200. Cardinales praesentes in Romana Curia in receptione Pilei rubri; absentes vero in receptione Bireti jurare debent se recepturos esse decretum Sacrae Congregationis caeremoniarum quo statuitur Cardinales tam scripto quam voce nullo alio titulo assumi posse quam illo, quod eadem Sacra Congregatio proposuit; scilicet loco Titulorum Illustrissimi et Dominationis Illustrissimae adhibeatur titulus Eminentissimi et Reverendissimi, ita ut praefatus titulus a nemine, praeterquam a Cardinalibus usurpari possit, et ipsis tantum attribui. Quod si contigerit aliquem cujuscumque dignitatis, gradus et conditionis (Imperatoribus ac Regibus exceptis) hujusmodi titulum alicui non tribuere, Cardinalis ille nullatenus cum eo agat, nec ejus literas quoque modo recipiat (3).

201. Cardinales postquam creati fuerint, et cum ad conclave convenerint, insuper jurare debent numquam daturi suis consanguineis aliquid de bonis et pecuniis, nec de locis montium vacabilium et non vacabilium, et alia quae ad sanctam Sedem spectant. Quod si affines et consanguinei sint pauperes, eo modo illos sublevet electus Pontifex, quo omnes extranei pauperes sublevari debent. Suppressionem et abolitionem fore observent usus dandi munera et stipendia, quae ex occasione saecularium officiorum consanguineis Pontificum dari consueverant: ad quae officia extranei idonei eligantur. Quod si quis Pontificis consanguineus viam Ecclesiasticam amplectatur, promoveatur ad Ecclesiasticos gradus quidem, sed si sit idoneus et si prudentia et laboribus viam ad illos sibi munierit, secus, ne administret quidem (4).

202. Si sit Cardinalis, ejus redditus non possit esse major quam redditus duodecim millia scutorum, et si summa sit major, exsuperantem quantitatem successor Pontifex imminuat. Si, quibus signaturae gratiarum per concessum a Pontifice aegrotante etiam per chirographum speciale ipsius Pontificis manu subscriptam assignantur, eas percipere minime possint, nisi fuerunt adhibiti duo Cardinales, qui cum eodem signatore coram Pontifice id expresse mandante subscribant, aliter factae sunt nullius roboris (5).

(1) Urbanus VIII, *Sacrosancti Apostolatus*, an. 1623.
(2) Ibid.
(3) Greg. XIII in Consistorio secreto 10 junii 1630.
(4) Innocentius XII const. *Romanum*, an. 1692.
(5) Ibidem.

CAPUT IX.

DE ELECTIONE EPISCOPORUM.

203. Cum in sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis sint aetatis maturitas, gravitas morum et literarum scientia inquirenda; multo fortius in Episcopo haec oportet inquiri, qui ad aliorum curam positus in se ipso debet ostendere qualiter alios in domo Dei oportet conversari. Ea propter statutum est ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum aetatis annum exegerit, et de legitimo matrimonio sit natus, qui vita et scientia commendabilis demonstretur (1).

204. Insuper assumendus est is, qui non solum natalibus, aetate moribus et vita ac aliis a sacris canonibus requiruntur, plene sit praeditus, verum etiam in sacro ordine antea, saltem sex mensium spatio, constitutus, quarum rerum instructio si ejus notitia nulla aut recens in Curia fuerit, a Sedis Apostolicae Legatis, seu Nuntiis Provinciarum, aut ejus Ordinario, eoque deficiente a vicinioribus Ordinariis sumatur. Scientia vero praeter haec ejusmodi polleat ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in universitate studiorum Magister, sive Doctor aut licentiatus in Sacra Theologia vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, a Superioribus suae Religionis similem fidem habeat (2).

205. Cum primum Ecclesia aliqua vacaverit supplicationes ac preces publicae privatimque habeantur, atque a Capitulo per civitatem et dioecesim indicentur, quibus clerus, populusque bonum a Deo Pastorem valeat impetrare. Omnes vero et singuli qui ad promotionem praeficiendorum quodcumque jus, quacumque ratione a Sede Apostolicae habent, aut alioquin operam suam praestant, meminerint nihil ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores et Ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes peccare mortaliter, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint, et quos ex legitimo matrimonio natos, et vita, aetate doctrina, atque aliis omnibus praeditos esse sciant quae a sacris canonibus requiruntur (3).

206. Quoniam vero in sumendo de praedictis omnibus qualitatibus gravi, idoneoque bonorum et doctorum virorum testimonio non uniformis ratio ubique ex nationum populorum ac morum varietate potest adhiberi, in provinciali Synodo per Metropolitanam habenda praescribatur quibusvis locis et provinciis propria examinis seu inquisitionis aut instructionis faciendae forma Romani Pontificis arbitrio approbanda, quae magis eisdem locis utilis, atque op-

(1) Concil. Lateran. sub Alexandro III an. 1178.
(2) Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 2, de Ref.
(3) Concil. Trid., Sess. XXIV, cap. 1 de Ref.

portuna esse videbitur; ita tamen, ut cum deinde hoc examen seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit ea in instrumentum publicum redacta cum toto testimonio ac professione fidei ab eo facta, quamprimum ad Romanum Pontificem omnino transmittatur; ut ipse Summus Pontifex plena totius negotii, ac personarum notitia habita pro gregis Dominici commodo de illis si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, Ecclesiis possit utilius providere. Omnes vero inquisitiones, informationes, testimonia, ac probationes quaecumque de promovendi qualitatibus et Ecclesiae statu a quibuscumque etiam in Romana Curia habitae per Cardinalem qui relationem facturus erit in Consistorio et alios tres Cardinales diligenter examinentur ac relatio ipsa Cardinalis relatoris et trium Cardinalium subscriptione roboretur, in qua ipsi singuli quatuor Cardinales affirment se adhibita accurata diligentia invenisse promovendos, qualitatibus a jure requisitis praeditos: ac certo existimare sub periculo salutis aeternae idoneos esse qui Ecclesiis praeficiantur: ita ut relatione in uno Consistorio facta, quo maturius interea de ipsa inquisitione cognosci possit in aliud Consistorium judicium differatur: nisi aliud Pontifici videbitur expedire (1).

207. Ea vero omnia et singula, quae de Episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina et caeteris qualitatibus constituta sunt, etiam in creatione S. R. E. Cardinalium, etiamsi Diaconi sint exigenda, quos Summus Pontifex Romanus ex omnibus Christianitatis nationibus quantum commode fieri poterit prout idoneos reperit assumet (2).

208. Examen superius indictum fiat in Curia et extra Curiam. Pontifex Romanus delegabit ad haec examina facienda Legatos sive Nuntios et Ordinarios, vel alios, qui non per auditores, non per suos vicarios testimonia accipient. Quod si ob locorum distantiam non poterunt testes examinari circa aliquem articulum, licebit eis id munus personae in dignitate constitutae demandare. Non sunt accipiendi testes, quos ipse promovendus offert, non articuli, quos ipse proferet, cum sint jure suspecti.

209. Examinatores conficiant schedulam in qua sint ordine descripta nomen promovendi, cognomen, patria, parentes, ordo, gradus, professio, functio, si quam is forte exercuit, loca in quibus theologiae, vel juri canonico operam dederit. Testes sint pii, docti, probi; inter hos possunt examinari promovendi familiares et amici, qui illum probe et intus norint; de Regularibus fidem faciant ordinis Superiores. Ad Curiam mittendi erunt hi processus, quos tres supradicti Cardinales ordinum capita examinabunt. Haec observanda etiam in promovendis ad Ecclesias, quae consistorialiter providentur. Relationem faciant horum processuum Cardinales deputati (3).

210. Verum, ut facilius res intel-

(1) Greg. XV.
(2) Conc. Trid. Sess. XXIV.
(3) Gregorius XIV in const. *Onus Apostolicae*, an. 1531.

ligatur, faciliusque exequi possit, attendenda sunt ea quae Urbanus VIII praecepit, videlicet: si processus promovendorum ad Ecclesias Episcopales et beneficia consistorialia faciendi sint extra Romanam Curiam, fiant ut dictum est, a Nunciis Apostolicis; et si ibi non resideant Nuncii, a vicinioribus Ordinariis fiant. Si praelatus aliquis inter eos, qui debent facere processus, sit propinquus ejus de quo fit processus, excludatur. Si aliquis praelatus ex iis sit legitime impeditus, eligatur alius, qui proxime sequitur.

211. Si processus faciendus sit in Romana Curia videndum est utrum Ecclesia providenda spectet AD NOMINATIONEM ALICUJUS SUMMI PRINCIPIS et processus fiat a Cardinali illo, qui coronae illius in eadem Curia est protector. Si non sit ad nominationem ullius Principis processus fiat a Cardinali per Summum Pontificem deputando. Si processus sit faciendus de aliquo Episcopo extra Curiam eligendo vel transferendo ad aliam Ecclesiam deficiente Legato vel Nuntio Apostolico Metropolitanus eum conficiet. Si praelatus nequeat commode ob locorum distantiam examinare testes, ipse per se deputet aliquem, vel aliquos in Ecclesiastica dignitate constitutos ad examinandos testes. Ut autem processus dici possint facti per viam inquisitionis haec erunt servanda:

212. (I) Praelatus per se examinet testes.

(II) Non recipiantur testes producti a promovendo, sed Praelatus vocet testes, quos vult, adhibeatque quem malit notarium.

(III) Si testes sint viri graves, pii, prudentes, docti, qui norint qualitates requisitas in Praelatis Ecclesiarum, nec sint propinqui promovendorum.

(IV) Si velit Praelatus, eos monebit de juramento.

(V) Si Praelatus non habeat plenam notitiam promovendi potest per alium testem eum cogere, ut in schedula exponat nomen, patriam, loca, ubi studuit, gradus quos habet et caetera hujusmodi.

213. Haec autem sunt, de quibus interrogandi sunt testes:

(I) An agnoscant promovendum?

(II) Num sint sanguine conjuncti? (si sunt, eos ulterius non interroget, sed dimittat).

(III) Num sciant e quo loco ille sit?

(IV) An sit natus ex legitimo matrimonio?

(V) Num in sacris sit constitutus?

(VI) An versatus fuerit in functionibus ecclesiasticis?

(VII) An expleverit annum trigesimum aetatis suae?

(VIII) An semper catholice vixerit?

(IX) An sit bonis moribus?

(X) Num sit vir prudens?

(XI) Num habeat aliquem gradum in Jure? in Theologia?

(XII) Num dederit aliquod scandalum?

(XIII) Num illum judicet idoneum ad regendam Ecclesiam Cathedralem?

214. Bullae ordinationis a promovendo sunt praesentandae praelato et registrandae in processu, praesentandum est etiam privilegium doctoratus. Si promovendus non habet gradum, ab aliqua insigni Universitate examinatus declaretur idoneus ad docendum.

Si promovendus natus non sit ubi sunt Universitates, sufficiet juratum testimonium virorum sacrorum Canonum et Theologiae peritorum quod promovendus sit in sacris hisce scientiis versatus. Si promovendus sit Regularis, Superior testetur de ejus doctrina. Alii autem saeculares examinentur (1).

Ut exactius adimpleantur quae in eligendis Episcopis praescripta sunt, peculiaris congregatio quinque Cardinalium, a Benedicto XIV instituta invigilat. Cardinalis Praefectus hujus congregationis scribit ad Episcopos et ad Superiores etiam regulares qui sub secreti lege eorum presbyterorum, quos norunt pios doctos, animarum saluti deditos, nomina, patriam, munera exponant, et Romam mittant, processum instituant ad mentem Urbani VIII. Cum occasio pervenerit alicujus Ecclesiae vacationis unus ex his quinque Cardinalibus proponet aliquem Pontifici, et tota Congregatio simul cum Pontifice et Auditore Sanctissimi examinabit qualitates promovendi (in processu condito relatas). Eadem diligentia examinum, quae in eligendo Episcopo requiritur, debet adhiberi, si occurrat, aliquem Episcopum ad aliam Ecclesiam transferri. Praecipitur idem secretum esse servandum, quod in negotiis Sacrae Inquisitionis observatur.

215. Ubi vero privilegium adest eligendi Episcopum a Capitulo vel Archiepiscopum ab Episcopis, intelligant electores necessitatem cito veniendi ad electionem novi Episcopi, sede vacante ne pro defectu pastoris gregem Dominicum lupus rapax invadet, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiatur, statutum est ut ultra tres menses cathedralis vel regularis Ecclesia praelato non vacet: intra quos justo impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant eligendi potestate careant ea vice; ac ipsa eligendi potestas ad eum qui proxime praeesse dignoscitur, devolvatur. Is vero ad quem fuerit devoluta potestas Deum prae oculis habens, non differat ultra tres menses cum consilio Capituli sui, et aliorum virorum prudentum viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesiae, vel alterius, si digna non reperitur in illa, canonice ordinare; si canonicam voluerit effugere ultionem (2).

216. Cum aliqua electio est celebranda omnes vocales etiam absentes invitandi sunt ut compareant, et sint praesentes qui debent, et volunt, et possunt commode interesse. Non sunt vocandi qui ob defectum ordinis vel aetatis, vel quia ob delictum privati sunt jure eligendi, vel notorie excommunicati, vel notorie suspensi, vel interdicti, vel irregulares. Illi tamen vocandi sunt qui in possessione quieta beneficii vel canonicatus existunt, quamvis illis postea de proprietate vel jure beneficii quaestio moveatur (3). Perpetuo prohibetur ne sub aliqua ex iis formis, quas

(1) Urbanus VIII *Si processus*, const. an. 1627.
(2) Lib. decret. tit. de elect., cap. 41.
(3) C. *Cum in cunctis* 7. *Clerici sane* de elect. Innoc. III in c. *Quia propter* 42 in princ. de voc. c. *In Genesi* 55, C. ex eo 32 de elect. in 6.

perniciosa curiositas adinvenit ELIGO POSTULANDO, et POSTULO ELIGENDO aut ELIGO POSTULANDUM vel POSTULO ELIGENDUM cum nec vera electio, nec vera postulatio resultet ex ipsis quia sibi potius invicem adversentur, aut sub illis verbis ELIGO IN POSTULANDUM vel POSTULO IN ELIGENDUM cum rem imperfectam significare noscatur ad faciendas electiones vel postulationes de caetero procedatur: si secus actum fuerit eo ipso irritum esse censeatur. Sub ea etiam forma ELIGO et POSTULO PROUT MELIUS POTEST DE JURE VALERE cum incertitudinem contineat quemquam postulari vel eligi prohibetur: statutum quoque est ut quod contra fuerit factum viribus omnibus careat; nisi quando probabiliter dubitatur utrum quis sit eligendus vel postulandus, quo casu is, qui sic postulatus fuerit ac electus consensus tempore viam electionis vel postulationis (ne in incerto vagetur) eligere necessario teneatur, redeundi ad aliam, postquam unam elegerit, sibi licentia penitus interdicta (1). In electionibus, postulationibus, ac scrutiniis ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa vel incerta penitus reprobentur. Statutum est ut hujusmodi votis, pro non adjectis habitis, ex puris consensibus celebretur electio, voce illorum, qui non pure consenserint, ea vice in alios residente (2).

217. Quam sit Ecclesiis dispendiosa ipsarum vacatio, quam periculosa etiam esse soleat animabus non solum jura testantur, sed etiam magistra rerum efficax experientia manifestat. Competentibus itaque remediis ad vacationum diuturnitates obviandum statuitur, ut si quando fuerit electio in aliqua Ecclesia celebrata, electores electionem ipsam (quanto citius commode poterunt) electo praesentare ac petere consensum ipsius procurent. Electus vero illam adhaerere intra mensem a tempore praesentationis hujusmodi teneatur. Quem si electus ipse ultra praestare distulerit, jure (si quod ei ex sua electione fuerat acquisitum) ex tunc se noverit eo ipso privatum. Nisi forsan ea sit electae personae conditio ut electioni de se celebrata absque Superioris sui licentia ex prohibitione, seu quavis provisione Sedis Apostolicae, consentire non posset, quo casu idem electus seu electores ipsius licentiam consentiendi ab ejus Superiore (cum ea celeritate, quam Superiores ipsius praesentia vel absentia permiserit) petere studeant et habere. Alioquin si lapso tempore pro ejusdem Superioris praesentia vel absentia (ut praemittitur) moderando hujusmodi licentiam eos nequaquam obtinere contingat, electores ex tunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem. Caeterum quivis electus intra tres menses post consensum electioni de se celebratae praestitum, confirmationem electionis ipsius petere non omittat. Quod si (justo impedimento cessante) intra hujusmodi trimestre tempus obmiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuetur (3).

(1) Bonif. VIII. Tit. V. cap. I in 6 decretal.
(2) Innoc. III in Conc. Lateran. lib. I. Tit. VI. cap. II in 6 decretal.
(3) In sexto Decretalium lib. I, Tit. VI de electione cap. VI.

Caeterum observandae sunt regulae generales de electionibus, quae in hujus libri Cap. XIV, mox erunt pertractandae.

CAPUT X.

DE CONSECRATIONE EPISCOPALI.

218. Ad majores Ecclesias promoti sive cathedrales, seu superiores quocumque nomine ac titulo sint insignitae, etiamsi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso jure sint privati. Consecratio vero si extra Curiam Romanam fiat in Ecclesia peragatur, ad quam promoti fuerint aut in provincia si commode fieri poterit (1).

Omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi aliique Praesules quocumque nomine nuncupantur non solum tenentur ante consecrationem emittere professionem fidei juxta formam a Pio IV editam (de qua in capit. de Fidei professione sermo erit) sed etiam jurare super Evangelia Dei, secundum formam, quae hic paulo inferius refertur.

Antiqua, Patrum institutio docet et praecipit ut is qui ad Episcopatus ordinem eligitur, antea diligentissime examinetur cum omni charitate de fide Sanctae Trinitatis; et interrogetur de diversis causis et moribus, ac iis, quae huic regimini congruunt, ac necessaria sunt retineri, secundum Apostoli dictum: « Manus nemini cito imposueris. » Et ut etiam is, qui ordinandus est erudiatur qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in Ecclesia Dei; et ut irreprehensibiles sint qui ei manus ordinationis imponunt (2).

219. Interrogetur, qui consecrandus est Episcopus, si velit verbis et exemplis plebem docere quae ex divinis Scripturis intelligit; an traditiones orthodoxorum Patrum, ac decretales Sanctae et Apostolicae Sedis constitutiones veneranter suscipere velit, docere, ac servare. An beato Petro Apostolo, cui a Deo data est potestas ligandi ac solvendi, ejusque Vicario Domino Papae suisque successoribus Romanis Pontificibus, fidem, subjectionem et obedientiam secundum canonicam auctoritatem per omnia exhibere. An velit mores suos ab omni malo temperare et quantum poterit, Domino adjuvante, ad omne bonum commutare; et castitatem, sobrietatem, humilitatem et patientiam cum Dei auxilio custodire et docere. An velit semper in divinis esse negotiis mancipatus, et a terrenis negotiis vel lucris turpibus alienus; et an velit pauperibus et peregrinis, omnibusque indigentibus esse propter nomen Domini affabilis et misericors? Denique interrogetur de Fidei simbolo in Ecclesia Romana retento.

Forma Juramenti ab Episcopis ante consecrationem emittendi.

220. Ego N. Electus Ecclesiae N. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Apostolo, san-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIII. cap. 2 de Ref.

(2) Pontific. Rom. de Consecr. Episc.

ctaeque Romanae Ecclesiae, et Domino nostro, Domino N. Papae N. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriae aliquae inferantur, quovis quaesito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se, aut Nuntios suos, seu literas ad eorum damnum me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, et Regalia Sancti Petri, adjutor eis ero, ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia, et auctoritatem sanctae Romanae Ecclesiae, Domini nostri Papae et successorum praedictorum, conservare, defendere, augere et promovere curabo. Neque vero in consilio, vel facto, seu tractatu in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praejudicialia personarum, juris, honoris, status et potestatis eorum machinentur. Et, si talia a quibuscumque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse, et quanto citius potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones, et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Haereticos, schismaticos et rebelles eidem Domino nostro vel successoribus praedictis pro posse persequar, et impugnabo. Vocatus ad synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis trienniis personaliter per me ipsum visitabo; et Domino nostro ac successoribus praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio ac de rebus omnibus de meae Ecclesiae statu, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei traditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata Apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum Nuntium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio mei Capituli aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem; aut his deficientibus, per dioecesanum sacerdotem; et clero deficiente omnino, per aliquem alium Presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem proponentem in Congregatione Sacri Concilii, per supradictum Nuntium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiae meae inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super

hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo, sic me Deus adjuvet et sancta Dei evangelia (1).

221. Ante consecrationem potest Episcopus exercere ea, quae sunt Jurisdictionis. Episcopus enim in confirmatione jurisdictionem accipit, unde Episcopus confirmatus, licet nondum consecratus, potest excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, corrigere, punire, synodum convocare, beneficia conferre, Ecclesias minores conjungere, adnectere, dividere; voti et jurisjurandi vincula solvere, quorumdam peccatorum absolutionem sibi reservare, et alios actus facere jurisdictionis (2).

222. Nemo consecrari debet nisi prius constet consecratori de commissione consecrandi, sive per literas Apostolicas, si sit extra Curiam, sive per commissionem vivae vocis oraculo, a Summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit Cardinalis. Statuta die, quae debet esse Dominica, vel natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit et tam consecrator, quam Electus conveniens est ut praecedenti die jejunent. Consecratio, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur (3).

Episcopus non minus quam a tribus Episcopis nullatenus ordinetur sine dispensatione Sedis Apostolicae (4).

Consecrandus in Episcopum debet necessario prius esse Sacerdos, adeo ut si sacerdotium non praecesserit, invalida sit ordinis Episcopalis collatio (5). Eadem sunt intelligenda pro Patriarchis et Primatibus, quae hactena dicta sunt. Patriarchae enim vel Primates sunt qui unam formam tenent diversa licet sint nomina (6).

CAPUT XI.

DE TRANSLATIONE.

223. Cum ex privilegio generali quod beato Petro, et per eum Romanae Ecclesia Dominus noster Jesus Christus indulsit, canonica postmodum manaverint instituta continentia majores Ecclesiae causas ad Sedem Apostolicam perferendas esse, ac statutum est per hoc ut translationes Episcoporum et Sedium mutationes ad summum Apostolicae Sedis Antistitem de jure pertineant; nec super his quidquam praeter ejus assensum debeat immutari (7).

224. Inter corporalia enim et spiritualia eam cognoscimus esse differentiam quod corporalia facilius destruuntur quam construantur; spiritualia vero facilius construuntur quam destruantur. Unde juxta canonicas sanctiones Episcopus solus honorem dare potest, solus auferre non potest. Episcopi quoque a Metropolitanis suis munus consecrationis accipiunt, qui

(1) Pontificale Romanum de Consecr. Electi in Episc.

(2) Cap. *Transmissam* 15 de elect. cap. *Qualiter* 19 de election. et cap. *Inter corporalia* 2 de translation. Episc.

(3) Pontificale Romanum de Consecrat. Episc.

(4) Joannis III ad Episcopos Germaniae et Galliae t. II, Concil. p. III, pag. 250.

(5) Cap. *Osius* X dist. 61.

(6) Decretal. Ex cap. Provinciae 1, dist. 99.

(7) Lib. I decretal., Tit. III de translatione Episc.

tamen non possunt nisi per Romanum Pontificem condemnari. Cum ergo fortius sit spirituale vinculum quam carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum et Ecclesiam, suo tantum judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum et foeminam suo tantum judicio reservavit, praecipiens, ut quos Deus conjunxit homo non separet. Non enim humana sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Jesu Christi) Episcopus ab Ecclesia removetur: et ideo tria haec, quae praemisimus, non tam commissione canonica, quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata (1).

225. Sicut enim Episcopus consecratus sine licentia Romani Pontificis suam non debet Ecclesiam derelinquere, sic et electus confirmatus; quod non debeat in dubium revocari, quoniam post electionem et confirmationem canonicam inter dioecesim et electi conjugium sit spirituale contractum: cui profecto episcopalis dignitas nihil addit: cum quis episcopali dignitate praeditus, nullius tamen Ecclesiae possit esse Episcopus; quemadmodum de illo contigit qui oneri pontificali renunciat non honori. Unde cum non sit majus vinculum Episcopi ad Ecclesiam quam electi maxime cum sit confirmatus, sic idem penitus et non aliud idem juris obtinet in utroque. Sicut ergo Episcoporum translatio, depositio et cessio sic et electorum (vel dioeceseos) post confirmationem, spiritualis ratione conjugii, soli est Romano Pontifici reservata.

226. Neque illud quod in canone legitur de electo (qui canon in superiori titulo relatum est) ut si ultra sex menses per suam negligentiam retinuerit Ecclesiam viduatam nec ibi, nec alibi consecrationis donum accipiat, imo Metropolitani suo cedat judicio aliter intelligentibus potest suffragari: cum non intelligatur Ecclesia viduata, quasi sponsam non habeat, sed quia sponsus ejus nondum sit consecratus: adhuc quasi viri maneat solatio destituta; sicut juxta communem modum loquendi illa non dicitur Ecclesia viduata, quae licet Episcopum habeat inutilem, tamen perhibetur habere (2). Potestatem igitur transferendi Pontifices ita sibi retinuit dominus et magister quod soli Petro Vicario suo, et per ipsum successoribus suis speciali privilegio tribuit et concessit, sicut testatur antiquitas, cui decreta Patrum sanxerunt reverentiam exhibendam et evidenter asserunt sacrorum canonum sanctiones. Non enim homo, sed Deus separat, quos Romanus Pontifex, qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata, non humana sed divina potius auctoritate dissolvit (3).

227. Qui alicui Ecclesiae fuerat alligatus, unde secundum Apostolum

(1) Lib. I decretal. Tit. III de Translatione Episc.

(2) Ibid.

(3) [illegible]

solutionem quaerere non debebat, nimis improbe delinquit si ab Ecclesia sua ad aliam se transferat Ecclesiam sine Sanctae Romanae Sedis auctoritate et voluntate; ipsi prohibetur ne ad ipsam redeat ulterius, et novae Ecclesiae administrationem gerere praesumat: cum secundum traditiones canonicas qui ad majorem se plebem transtulerit, a cathedra repelli debet aliena, et carere propria: ut nec illis praesideat, quos per superbiam sprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit.

228. Episcopus qui se transferat ad aliam Ecclesiam afferendo excusationem quod a populo in Episcopum suum fuerit postulatus, ejusque rei testes literas exhibeat reus temeritatis est, et nulla ipso jure et irrita translatio hujusmodi; et praeter privationem cathedrae a qua discessit, Episcopus talis, qui ad populi clamorem eum in Episcopum postulantis, in poenam incidit, ut etiam laica communione in fine vitae privandus sit, nisi poenituerit (1).

229. Quod etiam intelligatur de postulatione facta a saecularibus principibus, quibus privilegium postulandi concessum non fuerit ab Apostolica Sede, quia facile est ipsi pro suo arbitrio vel indignos praesumant, vel contra utilitates Ecclesiarum, Episcopos transferre (2). Si quis autem per abusum saecularis potestatis contra Ecclesiasticam libertatem electus consentire praesumpserit, et electionis commodo careat et ineligibilis fiat, ita ut, absque dispensatione ad aliquam dignitatem ecclesiasticam eligi non possit. Qui vero talem electionem, quae ipso jure irrita est, celebrare praesumpserit ab officiis et beneficiis penitus suspendantur per triennium eligendi tunc potestate privati (3).

230. Forma examinandorum testium in translatione Episcoporum eadem est ac illa, quae observari debet in eorum promotione. Examinantur enim testes probi, non conjuncti sanguine cum Episcopo, qui transferri contigerit ad aliam sedem, et interrogandi sunt utrum cognoscant Episcopum? An sciant eum esse consecratum? Per quot annos fuerit Episcopus? An assidue resederit? An visitaverit dioecesim? An saepe celebraverit solemniter? An praeiverit exemplo et doctrina? An prudenter se gesserit? An ostenderit se habere doctrinam in Episcopo necessariam? An sit dignus qui transferatur (4)?

CAPUT XII.

DE AUCTORITATE ET USU PALLII.

231. Patriarchae, seu Primates, et Archiepiscopi tenentur petere Pallium a Romano Pontifice non tantum semel, sed saepius et sollicite intra tres menses a die consecrationis, aut confirmationis, si nulla exigatur consecratio: quia forte jam olim fuerit consecratus, quando simplex Episcopus fuit creatus (5).

(1) Concil. Sardic. cap. I, *Osius*, tit. de elect. 6
(2) Cap. *Privilegium* 13 cap. II quaest. 3, cap. *Ex tuarum* II de Privil. Cap. *Omnes* dist. 63.
(3) Innocent. III in Conc. Lateran. c. 25.
(4) Urbanus VIII in const. *Si processus*, an. 1672.
(5) Innocent. III decretal. Lib. I, Tit. VIII, de auctorit. et usu Pallii cap. 3.

232. Pallium est ornamentum Patriarcharum et Archiepiscoporum ex lane contextum cruces nigri coloris habens quoque intextas, quod ad formam pene stolae sacerdotalis humeros pectusque ambiens, et ante pectus pendens, de sepulcro divi Petri ad Patriarchas et Archiepiscopos a Summo Pontifice mittitur. Non potest neque Patriarchae, nec Archiepiscopi nomine et titulo uti electus, antequam Pallium acceperit: in quo Pontificalis officii plenitudo cum ipsa Archiepiscopali et Patriarchali appellatione confertur.

233. Solus Romanus Pontifex in Missarum solemniis Pallio semper utitur et ubique, quoniam assumptus est in plenitudinem totius ecclesiasticae potestatis, quae per Pallium significatur. Alii autem eo nec semper nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem ecclesiasticam acceperunt, certis diebus uti debent, quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis non in plenitudinem potestatis (1).

Conveniens non est ut aliquis Patriarcha vel Archiepiscopus alteri Pallium suum accommodet, cum Pallium personam non transeat, sed quippe cum eo debet sepeliri (2).

234. Electus Patriarcha vel Archiepiscopus antequam recipiat Pallium jurare debet, prout dictum est in consecratione Episcoporum. Imponitur Pallium super humeros electi genuflexi hac forma: « Ad honorem Omnipotentis Dei et beatae Mariae semper Virginis, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Domini N. Papae N. et sanctae Romanae Ecclesiae nec non Ecclesiae N. tibi commissae, tradimus tibi Pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii, cum Patriarchalis (vel Archiepiscopalis) nominis appellatione, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen (3). »

235. Et quia Pontificalis officii, ut dictum est, plenitudo confertur per Pallium, antequam obtinuerit quis Pallium licet sit consecratus, non solum non sortitur nomine Patriarchae, Primatis, aut Archiepiscopi, sed etiam non licet ei Episcopos consecrare, nec convocare Synodum, nec chrisma conficere, neque Ecclesias dedicare, nec Clericos ordinare, etiamsi Pallium in alia Ecclesia habuisset, cum oporteat novum petere Pallium. Potest tamen, quando vult, Missam sine Pallio celebrare, et consecrationes hujusmodi ante Pallii receptionem alteri committere, dummodo non sit in mora petendi Pallium. Neque ante habitum Pallium potest electus ante se crucem deferre, sed tantum postea (4).

236. Non potest Patriarcha vel Archiepiscopus uti Pallio extra suum Patriarchatum vel provinciam, et non omni tempore, sed tantum in ecclesiis in Missarum solemniis, in festis praecipuis non in processionibus, neque in missis pro defunctis (5).

(1) Innocent. III decretal. Lib. I. Tit. VIII de auctoritate usu Pallii cap. 3.

(2) Ibid. cap. 2.

(3) Pontificale Rom. de Pallio.

(4) Pontificale Rom. de Pallio.

(5) Decretal. Lib. I. Tit. [illegible] Pallii cap. [illegible] 7.

237. Dies, quibus Pallio uti potest Patriarcha sive Archiepiscopus, sunt: Nativitatis Domini nostri Jesu Christi; Sancti Stephani Protomartyris; Sancti Joannis Apostoli et Evangelistae; Circumcisio Domini; Epiphania Domini Jesu Christi; Dominica in Palmis; Feria quinta in Coena Domini; Sabbatum Sanctum; Dominica Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus; Dominica in Albis; Ascensio Domini nostri Jesu Christi; Dominica Pentecostes; Festum Corporis Christi; festivitates quatuor Beatae Mariae semper Virginis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis; Dies Nativitatis S. Joannis Baptistae; festum omnium Sanctorum; festivitates omnium Apostolorum; Dedicationes Ecclesiarum; principales festivitates Ecclesiae suae; ordinationes Clericorum; consecrationes Episcoporum et Virginum; dies anniversarius dedicationis Ecclesiae; dies anniversarius consecrationis suae (1).

238. Malitiis hominum, quae circa impediendam Pallii dationem committi possunt, salubriter statutum est ut per objectum cujusvis criminis seu defectus traditio Pallii facienda his, qui ad Metropolitanarum Ecclesiarum, seu aliarum regimen assumuntur non impediatur in aliquo, nec retardetur nisi objicientes firment corporali praestito juramento se id malitiose non agere, sed objecta vera esse ac de objectis asserant facere propriam fidem, et nihilominus ad poenam extraordinariam se obligent arbitrio praesidentis. Promptam vero fidem intelligitur in hoc casu, si intra bimestris temporis spatium numerandum a die collationis in antea probaverint legitime quod exponunt. Quod si non fecerint, eorum objectionibus nequaquam obstantibus ad ipsius traditionem Pallii procedatur. Per traditionem antem hujusmodi, viae accusationis, denunciationis vel inquisitionis nullum praejudicium generetur (2).

(1) Pontific. Rom. de Usu Pallii.

(2) Lib. I Decretal. de Usu et auctoritate Pallii.

CAPUT XIII.

DE RENUNCIATIONE EPISCOPATUS.

239. Nemini electo ad Episcopatum fas est cedere sine licentia Summi Pontificis, qui perpensis causis, exclusive et omnimode facultatem habet concedendi vel negandi hujusmodi licentiam. Et quamvis amore solitudinis et perfectionis vitae cedere velit, si tamen Summus Pontifex licentiam negat, ita moribus praeceptorum Sanctae Sedis est adstrictus, ut liberam sine culpa ad monasterium non habeat viam ingrediendi (3).

240. Haec sunt causae, propter quas cedendi Episcopus licentiam potest a Romana Sede postulare: conscientia, scilicet, criminis, debilitas corporis, defectus scientiae, malitia plebis, grave scandalum, irregularitas personae; sed in his omnibus est observanda cautela. Propter conscientiam enim criminis, cedendi potest licentiam postulari, et habeat, verum, non cujuslibet, sed dumtaxat illius, propter quod ipsius officii executio,

(3) Decretal. lib. I, Tit. IX, de Renunciat.

post peractam poenitentiam impeditur; nam si omnes, quos aliquid conscientia cujuslibet culpae remorderet cederent, pauci vel nulli in illo ministerio remanerent (1).

241. Alia vero causa est debilitas corporis, quae vel ex infirmitate vel ex senectute procedit, nec tamen omnis : sed illa solummodo, per quam impotens redditur ad exequendum officium pastorale : nam si pro qualibet corporali debilitate susceptae servitutis officium posset deseri, frustra se fateretur Apostolus in suis infirmitatibus gloriari : cum interdum non plus hortetur senilis debilitas aliquem cedere, quam moralis maturitas (quae in senibus esse potest) ipsum in suo suadet officio permanere; pro talibus enim de se dicit Apostolus : « cum infirmor, tunc fortior sum » quia nonnunquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat (2).

242. Pro defectu scientiae plerumque potest quis petere cessionem, quia cum ipsa circa spiritualium administrationem sit potissimum necessaria, et circa curam temporalium opportuna, Praesul, qui commissam sibi debet Ecclesiam regere in utrisque, salubriter ei renunciat, si scientiam in qua regat, ignorat. « Tu enim, inquit Dominus, scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, » quam etsi desideranda sit eminens scientia in pastore, in eo tamen sit competens toleranda, quia secundum Apostolum : « Scientia inflat, et charitas autem aedificat, » et ideo imperfectum scientiae potest supplere perfectio charitatis (3).

243. Propter malitiam autem plebis cogitur interdum Praelatus ab ipsius regimine declinare, quando plebs adeo durae cervicis existit, ut proficere nequeat apud ipsam, sed propter ejus duritiam, quo magis satagit eo magis justo judicio deficere permittatur, dicente Domino per Prophetam : « linguam tuam adhaerere faciam palato tuo, quia domus exasperans est; » et Apostoli leguntur dixisse Judaeis : « Ecce convertimur ad gentes quia verbi Dei vos indignos fuistis. » Non tamen pro qualibet culpa pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur qui videt lupum venientem et dimittit oves, et fugit; tunc demum potest non tam timide fugere, quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos, et qui debuerant, humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt : cum etsi tales sint graviter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore utiliter tolerandi, quia sanguinem elicit, qui nimis emungit (4).

244. Pro gravi quoque scandalo evitando (cum aliter se dari non potest) licet Episcopo petere cessionem, ne plus temporalem honorem quam aeternam videatur assectare salutem, memor illius, quod dicit Apostolus: « si esca scandalizaverit fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum. » Sed inter scandalum et scandalum est subtiliter distinguendum, sicut Dominus ipse distinxit, cui cum dixissent Apostoli : « Scis quia Pharisaei audito hoc verbo scandalizantur, » respondit : « sinite illos qui caeci sunt,

(1) Decretal. Lib. I, Tit. IX de Renunciat.
(2) Ibid. (3) Ibid. (4) Ibid.

et duces caecorum.» Alibi vero dixit: « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris (1). »

245. Personae vero irregularitas, si forte sit bigamus vel viduae maritus, est causa, propter quam potest licentiam aliquis resignandi attestante Apostolo, qui dicit: « Oportet Episcopum esse unius uxoris virum. » Non tamen propter quamlibet irregularitatem personae, debet ei qui regulariter ministraverit cedendi licentia indulgeri, utpote si de legitimo matrimonio non sit natus; quia licet irregularitatem hujusmodi non potuerit subticere, si tamen et culpa latet, et causa cum eo qui laudabiliter suum implevit officium (injuncta sibi poenitentia competenti) potest non minus utiliter, quam misericorditer dispensari. « Ego sum, inquit Deus, zelotes, visitans peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem, in his qui oderunt me, » idest, in illis qui contra me paternum odium imitantur. Unde patet quod illis qui paterna vitia non sequentur : propriae possunt in talibus suffragari virtutes: illo discretionis adhibito moderamine ut inter nothos et mazeres naturales et spurios distinguantur (2).

246. Verum si propter alias causas cessio affectatur, non est in hoc electo postulanti favendum : cum hujusmodi postulatio videatur non esse discreta, quoniam propter laboris angustias, aut persecutionis incursus non debet electus Episcopus deserere sponsam suam, cui defungendo apud extraneum se media fide copulavit, sciens quod « beati sunt illi, qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam cum probati fuerint accipient coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se (3). »

247. Quicumque de pontificali dignitate ad monachorum vitam propter aliquod crimen, et causa poenitentiae, solitarium locum descenderit, vel quia convinctus aut confessus de crimine patrato ab episcopali dignitate depositus in monasterio extitit ad poenitentiam agendam inclusus, vel si propter grave crimen, pro quo episcopatum retinens poenitentiam digne agere non valebat cedendi obtenta licentia vitam monachalem elegerit, nequaquam alterius ad pontificatum resurgat; nisi adsint speciales quidem casus, in quibus is qui vitam monachalem elegit, rursum licite possit ad episcopatum assumi, praesertim si locum tantum et non ordinem resignavit (4). Si quis enim pro persecutionis radice ciente, vel praepediente invaletudine corporis, cum proficere nequeat in regimine pastorali, de superioris auctoritate ad monasticam vitam descendat, persecutionis vel aegritudinis impedimento cessante, ad episcopalem poterit resurgere dignitatem (5).

248. Si quis propter literaturae defectum (ne tamquam caecus caeco ducatum praebeat) locum regiminis auctoritate Apostolica deserendo ad

(1) Decretal. lib. I, Tit. IX, de Renunciat.
(2) Ibid.
(3) Ibid.
(4) Lib. I Decret. de Renunc., Tit. IX, cap. 11 de Renunciat.
(5) Ibid.

otium se contulerit monachale, ac per exercitium lectionis, scientiae repererit margaritam, procul dubio poterit denuo vocatus a Domino cathedram reascendere pastoralem (1).

249. Si quis per cupiditatem parentum (eo tamen penitus ignorante) fuerit episcopatum adeptus, et hoc comperto episcopatum ipsum de licentia superioris dimittens observantiam elegerit regularem: et si ad episcopatum eumdem redire postmodum nequeat, juxta canonicas sanctiones ad alium tamen poterit licite reassumi (2).

250. Si qui cedendi licentiam cum instantia postularent, ea obtenta cedere praetermittant; sed cum in postulatione hujusmodi, aut Ecclesiarum commoda quibus praesunt, aut salutem videantur propriam attendisse (quorum neutrum suasionibus aliquorum quaerentium quae sua sunt, seu etiam levitate qualibet) decretum est eos ad cedendum esse compellendos (3).

251. Cum illusio et variatio in personis ecclesiasticis maxime sint vitandae, sancitum est ut si quis ad cedendum Pontificali aut alii cuicumque dignitati per eum, antequam ad ipsius vel illius (in cujus manibus cessio fuerit facienda) notitiam revocatio hujusmodi sit deducta: Nisi forte per ipsos aut alios malitiose factum fuerit, quo minus ad eos, vel eorum alterum ante cessionem potuerit revocatio pervenire (4).

(1) Lib. I Decret. de Renunc. Tit. IX, cap. 11 de Renunciat.
(2) Ibid. (3) Ibid.
(4) Clem. Tit. III, lib. II de Renunciat. cap. unic.
(5) Pius VI penes Bouix de Episcopo I par.
(6) C. *Omnes*, etc. 1, dist. 80 et con. ult. dist. 68.

CAPUT XIV.

DE ELECTIONE IN GENERE.

252. Dogma catholicum est Apostolos tametsi extraordinaria praeditos potestate, quae data personis cum ipsis personis interiit, fuisse Petro subjectos, quem solum Apostolis praeesse Christus jussit; ita et catholicum dogma est subesse plenitudini potestatis Pontificis Romani (quae sicut ordinaria erat in Petro, ita in ejus successoribus ordinaria est) omnes Episcopos, qui extraordinaria Apostolorum potestate destituuntur (5). Verum si Apostoli extraordinaria et personali facultate dioeceses dividere poterant, et idoneos eligere qui dioecesibus praeessent, non possunt, tamen Episcopi, quamvis eorum successores sint similiter agere, quia extraordinaria eorum non gaudent potestate (6).

253. Romanus Pontifex jus habet eligendi Episcopos, ejusque arbitrio et potestati proprium est quod magis expedire judicet in hac parte decernere. Ipse potest privilegium concedere Cathedralibus, Collegiis, aliisque regibus atque imperatoribus ei idoneum dignumque praesentandi, qui a Summo Pontifice rejici potest vel confirmari. Si quis dixerit Episcopos, qui auctoritate Summi Pontificis assumuntur, non esse legitimos, et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit (7).

254. Romanus Pontifex potest ferre leges pro electionibus; quia cum Ec-

(7) Conc. Trid. De sacramento Ordinis canon. VIII.

clesiae caput sit, et in eo plenitudo potestatis sit, a qua jus eligendi manat, ipse facultatem habet jura eligendi, creare, dirigere, atque moderari. Haec sunt praecipuae electionis regulae, quae a Summis Pontificibus sunt promulgatae, quaeque debent ad cujuscumque dignitatis vel officii, vel beneficii electionem accomodari et observari.

255. Nullus in Ecclesia, ubi duo vel tres fuerint in congregatione nisi eorum electione canonica eligatur. Si vero aliter quis Ecclesiam adeptus fuerit atque contra canonicae regulae disciplinam egerint expellatur (1). Nullus e laicis cum Canonicis vel Episcopis eligendis assumat potestatem, quod si forte laici votum dare praesumpserint, vel pressionem fecerint nulla erit electio, non obstante consuetudine contraria, quae dici debet potius corruptela (2).

256. Cum debet electio celebrari, electores in unum locum in quo electio fieri debet conveniant, et invocata Spiritus Sancti gratia personam nominent. Quod si in persona fuerit, vel in electionis modo peccatum, tamdiu in electione diligentiam inquisitionis opponant, donec de persona idonea valeant providere (3).

257. Cum electio fuerit celebranda, praesentibus omnibus, qui debent et volunt et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secrete singillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto; ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major, et sanior pars Capituli consentit; vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committitur, qui vice omnium eligat atque provideat. Aliter electio non valeat: nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem, absque vitio, celebrata. Qui vero contra praescriptas formas eligere attentaverint eligendi ea vice potestate privantur (4).

258. Si quis justo impedimento detentus in electionis negotio nequeat commode interesse, potest nedum uni, sed et pluribus committere vices suas, dum tamen eorum cuilibet in solidum det potestatem; et erit tunc melior conditio occupantis, verum si ambo concurrant in simul et postulent se admitti, audiri eos non expedit quia posset vota sua dirigere in diversos, si aeque res non haberet exitum, et quod ab eis hoc casu fieret, non valeret: sed is admittatur dumtaxat quem Capitulum, vel pars major elegerit vel si concordare nequeant, is qui primo in instrumento vel literis procurationis extiterit nominatus. Si autem nullus ipsorum in solidum fuerit deputatus, tunc propter rationem eamdem ipsorum aliquis non debebit admitti, sibique imputet, qui sic eos constituit indiscrete (5).

259. Porro cum unus est procurator simpliciter constitutus, si is unum

(1) Decretal. lib. I, Tit. VI de Elect. cap. 1.
(2) Greg. IX edict. perp. ex c. Messana 56 de elect.
(3) Ibid. cap. 14.
(4) Ibid. cap. 42.
(5) In sexto decret. lib. I de Electione. Tit. VI, cap. 46.

suo et alium domini sui nomine in scrutinio nominandum duxerit, nihil agit, nisi de certa eligenda persona sibi dominus dederit speciale mandatum, tunc enim in illam ejus et in aliam suo nomine licite poterit consentire (1). Illud autem penitus interdicitur ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens eo loco de quo debeat advocari, justoque impedimento venire non possit : super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento : et tunc si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam. Electiones tamen clandestinae reprobantur : imo electio facta quam cito solemniter publicetur (2).

260. Absens quoque (licet nullus de collegio velit esse procurator ejusdem, nec ipse nolente Capitulo extraneum valeat deputare), non poterit aliquatenus per literas exprimere votum suum, quod non est ante scrutinium sed in ipso scrutinio secrete et singillatim tantummodo exprimendum (3). Penes vocantes, quibus competit vocandi potestas remanet jus eligendi, si vocati venire contemnunt. Ad officium confirmationis spectat examinare electum etiam nemine opponente (4). Si postulatio cum electione concurrit, et numeros postulantium est duplo major, et postulatus idoneus, postulatio admittitur rejecta electione. Si vero indignus, et hoc major pars postulantium ignoraverit, postulatio et electio reprobantur (5).

261. Quando electio committitur aliquibus idoneis (ut in articulo praecedenti 257) compromittentes tenentur recipere electum a compromissariis si sit dignus, nisi contra formam compromissi eum appareat electum (6). Si ex septem compromissariis tres eligunt quartum et ille consentit et est idoneus, confirmabitur electio (7). Potestas data compromissariis ad eligendum, re non integra, revocari nequit ; et desinit res esse integra postquam compromissarii habuere tractatum (8). Si vero compromissarius non eligit infra tempus juris ad superiorem devolvitur potestas providendi. Si autem eligit, sed indignum, indistincte redit ad compromittentes ; nisi scienter id ratum habuerint ; item si electus non consentit. Porro eo casu, quo scilicet indignus eligitur ab eodem, compromittentes (quos illius odio non convenit praegravari) nequaquam (nisi sit ut praemittitur ratum habuerunt) puniuntur : sed ipse, ut poena suum auctorem teneat a beneficiis ecclesiasticis triennio suspenditur ipso jure. Hujusmodi quoque poena nec in Episcopo si ad eligendum fiat compromissarius peccante (cum de jure nullam sententiam suspensionis incurrat, nisi de ipso expressa mentio habeatur) nec in aliorum quam Episcoporum aut superiorum ipsorum electionibus, cum peccatum in ipsis vindicat sibi locum. Restringitur au-

(1) In sexto decret. Lib. I de Electione Tit. VI, cap. 46.
(2) Ibid.
(3) In sexto decretal. lib. I, Tit. VI de Elect. cap. 46.
(4) Ibid. cap. 19.
(5) Ibid.
(6) Ibid. cap. 32.
(7) Ibid. cap. 33.
(8) Ibid.

tem dicta poena solum ad beneficia, quae sic peccans in illa obtinet Ecclesia, quam taliter eligendo specialiter noscitur offendisse. Et idem in illius beneficiis est censendum, qui alicujus electionem, postulationem, aut provisionem impugnans in probatione deficit ejus, quod objicit in personam (1). Cassatur electio partis majoris facta, contempta minori parte, etiamsi si est unus, quia non sit vocatus, vel electio facta fuerit temerarie ante mortem Episcopi; non tamen jus eligendi deducitur ad minorem (2).

262. Electio canonica est, et auctoritate Apostolica ducitur confirmanda, et supplere poterit Sancta Sedes de plenitudine suae potestatis (si ita et placuerit) quando in ea electione ex eo fuerit defectus, quod quidam interfuerunt electioni, qui ex sola participatione in simplicis excommunicationis laqueum inciderunt (3).

Nulli liceat (postquam in scrutinio nominaverit aliquem et electio fuerit subsecuta, vel postquam praestiterit electioni de ipso ab aliis celebratae consensum) illum super electione ipsa nisi ex causis postea emergentibus impugnare, vel nisi ei morum ipsius antea celata de novo pandatur improbitas, seu alicujus alterius latentis vitii vel defectus, qui verisimiliter ignorari potuerit, veritas reveletur. De hujusmodi autem ignorantia fidem faciat proprio juramento (4).

263. Si compromissarius, secundum quod potestas eligendi data fuerit ei, scilicet ut ipse, secrete et singillatim votis singulorum de Capitulo exquisitis et in scriptis redactis, illum eligat, in quem plures de Capitulo partium comparatione minorum consenserint, licet consentientes majorem partem totius Capituli non attingant, ipseque facto hujusmodi scrutinio et in scriptis redacto, juxta traditam sibi formam eum, in quem non major pars sed plures de dicto Capitulo, quum in quemquam alium direxerant vota sua, duxerit eligendum, talis electio cum sit praeter formas servandas robur non obtinet firmitatis (5).

264. Sicut cum forma scrutinii ad electionem proceditur est per unum pronuncianda; et facienda communis electio, secundum canonica instituta, sic et per unum debet fieri cum per formam proceditur compromissi. Quamvis in arbitris compromissariis lex humana innuat quod ab eis omnibus sit pronunciatio facienda: alioquin a pluribus compromissariis facta simul electio eo ipso viribus non subsistat (6).

265. Eligentes indignum privati sunt potestate eligendi in electione quae primo occurrit facienda (7). Eligens autem scienter indignum in Episcopum est ob hoc suspensus a beneficiis ecclesiasticis per triennium, nec potest interim ad dignitatem illius eligi vel assumi (8). Qui postu-

(1) Sexto decret. Lib. I, de Elect. Tit. VI, cap. 37.
(2) Ibid. cap. 36.
(3) Ibid. cap. 39.
(4) In sexto decr. Tit. VI, lib. II de Elect. cap. 8.
(5) In sexto decret. Tit. VI, lib. II, de Elect cap. 8.
(6) In sexto decret. de Elect. Lib. I, Tit. VI, cap. 21.
(7) Decretal. Lib. I, Tit. VI, de Postulat. cap. 45.
(8) Ibid. cap. 26.

lationem cassatam vitio personae innovat, eligendi, et postulandi sit potestate privatus (1).

Si alicujus electione cassata idem ad alterius Ecclesiae regimen electus fuerit, attendendum, quod si prior electio non vitio personae, sed modo electionis cassatur, promotionem ejus in eadem Ecclesia, nisi forte simoniacae pravitatis aliquid intercessisse constiterit, non debeat impedire (2).

266. Jus eligendi in collegiata Ecclesia non cadit in laicum, et ideo id esset perniciosum exemplo et redundaret in dispendium ecclesiasticae libertatis; non obstante compositione facta cum Praelato et Capitulo, decretum est, ut Praelatus libere possit ordinare dignitatem sibi subditum ordinare denunciando ordinationem factam patrono ut suum, si voluerit, honestum impertiatur assensum (3).

Electio per minorem partem Capituli facta non tenet, nec per subsequentem consensum ratificari potest (4). Publicato scrutinio variare nequeunt electores: cum sit facienda collatio, et electio celebranda. Ad quod per superiorem, si oportuerit, compescantur (5). His quibus interdicitur ut absque superioris licentia eligere non praesumant, tempus statutum a canone currit, ex quo in mora fuerint licentiam hujusmodi postulandi (6).

267. Si major pars Capituli scienter eligit indignum valet electio de digno a minori parte, etiam ex eodem scrutinio juxta veriorem intellectum (7). Irrita autem est electio, quam collatio non praecessit, vel quae facta non est a majori parte Capituli, vel quia non fuit communis (8). Non sufficit autem ad confirmationem electionis quod sit facta a majori parte Capituli, nisi etiam illa pars sit sanior. Concilium enim Lateranense, in ordinationibus Ecclesiarum majorem et saniorem partem Capituli exigit; et statutum praedicti Concilii continet inter caetera ut is eligatur, in quem omnes vel major et sanior pars consentit. Electio igitur, quae etsi non personae, vitio tamen electionis facta cum major et sanior pars non consenserit in eumdem est irritanda (9).

268. Irrefragabili constitutione sancitur, quatenus cum quisquam ad regimen animarum fuerit electus, is ad quem pertinet ipsius confirmatio diligenter examinet et electionis processum et personam electi, ut cum omnia rite concurrerint munus ei confirmationis impendat: quia si secus fuerit incaute praesumptum, non solum dejiciendus est indigne promotus, verum etiam indigne promovens puniendus. Ipsum quoque decernitur hac animadversione puniri, ut cum de ipsius constiterit negligentia, maxime si hominem insufficientem scientia vel inhonestae vitae vel aetatis illegitimae approbaverit non solum confirmandi primum successorem illius careat potestate, verum etiam (ne aliquo casu poenam effugiat) a perceptione proprii beneficii suspendatur, quousque (si aequum

(1) Decretal. Lib. I, Tit. VI de Postulat. cap. 2.
(2) Decretal. Lib. I, Tit. VI, cap. 14.
(3) Ibid. 57.
(4) Lib. I decretal. cap. 29.
(5) Decretal. cap. 58.
(6) Decretal. cap. 60.
(7) Ibid. cap. 52.
(8) Ibid. 55.
(9) Ibid. cap. 60.

fuerit) indulgentiam valeat promereri. Si vero convictus fuerit in hoc per malitiam excepisse graviori subeat ultioni. Episcopi quoque tales ad sacros ordines, et Ecclesiasticas dignitates promovere procurent, qui commissum sibi officium digne valeant adimplere, si et ipsi canonicam cupiant effugere ultionem (1).

269. Caeterum qui pertinent immediate ad Romanum Pontificem, ad percipiendam sui confirmationem officii, ejus se conspectui (si commode fieri poterit) personaliter repraesentent aut personas transmittant idoneas, per quas diligens inquisitio super electionibus et electis possit haberi, ut sic demum per ipsius circumspectionem consilii sui plenitudinem officii assequantur, cum eis nihil obstiterit de canonicis institutis; ita quod interim valde remoti, videlicet ultra Italiam, constituti si electi fuerint in concordia, dispensative propter necessitates Ecclesiarum, et utilitates in spiritualibus et temporalibus administrent: sic tamen ut de rebus ecclesiasticis nihil penitus alienent. Munus vero benedictionis seu consecrationis recipiant, sicut hactenus recipere consueverunt (2).

Si alicujus electionem propter simoniam, eo ignorante, ac ratum non habente commissam, contigerit reprobari, cum eo super praelatione ad quam taliter fuerat electus illa vice non potest Episcopus dispensare. Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit simplex beneficium per simoniacam pravitatem, post liberam resignationem, Episcopi dispensatio tollereretur (3).

270. Sciant cuncti qui clericos vel quaslibet alias personas ecclesiasticas, ad quas in aliquibus monasteriis aut piis locis spectat electio, pro eo quod rogati seu alias inducti eo pro quo rogabantur, sive inducebantur eligere noluerint, vel consanguineos eorum, aut ipsas ecclesias, monasteria seu loca caetera beneficiis, sive aliis bonis suis, per se, vel per alios spoliando, seu alias injuste persequendo gravare praesumpserint se ipso facto excommunicationis sententia innodatos (4).

271. Iniqua consuetudo est et iniquum facinus illud, ut cum praelati ad Ecclesias ipsas primo accederent, vel cum de recipiendis ibidem novis canonicis ageretur, nec praelatos admitti, nec canonicos aliter recipi in iisdem Ecclesiis, nisi jurassent statuta et consuetudines ipsarum Ecclesiarum scripta et non scripta inviolabiliter observare, in quibus aliqua vel illicita, vel impossibilia vel ecclesiasticae libertati obviantia reperiuntur. Talia juramenta sub generalitate qualitercumque et sub quacumque forma praestata (exceptis licitis possibilibus et ecclesiasticae libertati non obviantibus post vel ante electionem), irrita sunt, ac nulla retineantur (5).

272. Praelati, canonici et civiles potestates, nec non ecclesiarum capitula et monasteria, caeterique conventus, et civitatum seu terrarum

(1) Decretal. Lib. I de Elect. Tit. VI, cap. 44.
(2) Ibid.
(3) Ibid. cap. 59.
(4) Sexto decretal. Lib. I, Tit. VI, de Elect. cap. 12.
(5) Innoc. XII, *Ecclesiae Catholicae*, 22 sept. 1695.

communitates et personae, quacumque dignitate praeditae non audeant omnino juramenta illicita, impossibilia, damnosa, ac legibus ecclesiasticis obstantia sive ante, sive post electiones, confirmationes provisiones, receptiones admissiones, aut alios actus ubicumque, et quocumque tempore, etiam praetextu cujusve consuetudinis quantocumque tempore observatae, quae potius corruptela est censenda, sive in genere sive in specie, praestari, reddere, vel exigere ; neve super praestitis redditis vel exactis eo usque quempiam in judicio vel extra illud inquietare audeant quoquo modo vel turbare. Verum qui hujusmodi juramenta exegerit, si Episcopus fuerit, aut alius quicumque pontificali dignitate praeditus a divinis suspendatur ipso facto sine ulla declaratione. Capitula vero, conventus, eorumque Ecclesiae et loca omnia interdicto ecclesiastico subjiciantur et singulares personae excommunicatione innodantur, et inhabiles sunt ad obtenta et alia obtinenda eo ipso facto, et Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis et interdicti, nec non absolutionem ab excommunicationis sententia hujusmodi perpetuo reservandam esse statuitur. Si vero qui talia juramenta scienter praestiterint usu et commodo rei ac gratiae, cujus causa juraverint, eo ipso privantur (1).

273. Nec quidquam, quod in usus pios non convertatur in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis ecclesiae, vel beneficii canonicatuum aut praebendarum, vel partem proventuum seu ad distributiones quotidianas, quoquo modo persolvi possit, quod strictius prohibetur, poenis contra simoniacos illatis. Revocantur et abolentur omnia et quaecumque privilegia consuetudines ac statuta quarumcumque ecclesiarum Cathedralium et Metropolitanarum ac majorum, nec non Collegiatarum quovis praesidio munita et quocumque tempore observata sive pro solvendis Ecclesiarum vel praelatorum debitis, sive pro supportantibus illorum oneribus, sive aliis etiam majoribus maximis et urgentissimis causis concessa, et approbata ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa et moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, praebendis, portionibus, beneficiis et officiis fructus ac etiam quotidianae distributiones ex eis primo, ab ipsa vacatione, anno aut longiore, vel etiam breviore tempore praeventuri mensae Episcopali seu Capitulari, aliove loco integre, vel partim remaneant seu applicentur aut in communes usus cedant seu inter alios canonicos et personas Ecclesiae seu Capituli dividantur. Praecipitur ergo et interdicitur omnibus Episcopis, Capitulis, Collegiis et personis ad quas id pertinet, ne fructus aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neque ipsorum cessionem vel renunciationem aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant vel exigant, aut quemquam sive ordinaria sive Apostolica aucto-

(1) Innocent. XII, constit. citat.

ritate provisum ad praestandum hujusmodi praedictum juramentum inducant, aut illi praedicta non faciendi possessionem impediant vel removeantur. Quicumque contrafecerint si ecclesiarum Antistites sint tamdiu a Pontificalis officii exercitio suspensi sint, donec satisfactione praevia illis Sedem Apostolicam suspensio relaxetur. Capitula vero et Collegia quaecumque ecclesiastico subjaceant interdicto, ac singulares personae in excommunicationis sententiam incurrant, a qua nisi in mortis articulo constitutae, ab alio quam a Romano Pontifice, absolutionis beneficium nequeant obtinere. Hujusmodi fructus, et distributiones fabricae vel sacristiae; aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiae vel fabricae aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati praedicti integre percipiant (1).

274. Qui electioni de se factae renuntiat, appellare nequit ad impediendam electionem alterius. Et electio quae est a suspensis celebrata non tenet (2). Electio facta post appellationem, primo non cassata aut facta contra privilegia Ecclesiae cassanda est (3). Si quando contigerit duabus electionibus celebratis partem alteram eligentium duplo majorem numero inveniri contra electores, qui partem reliquam sic excedunt ad extenuationem zeli, meriti, vel auctoritatis ipsorum, reliquis vel electo ab eis aliquid opponendi omnem interdictam ei facultatem decernitur. Si quid autem opponere voluerint, quod votum illius cui opponitur, nullum redderet ipso jure, id ei non intelligitur interdictum (4).

275. Si inter reliqua quae objiciuntur promovendo ad dignitatem defectum evidentem scientiae, vel alium personae opponi contingat, ante omnia subjiciatur examini promovendus super defectu ipso, cujus examinis eventus examinandis aliis aut dabit initium aut negabit. Caeterum si praemissi examinis exitus hujusmodi oppositiones docuerit veritate destitui, opponentes omnino a prosecutione causae, in qua talia objecerunt, excluduntur, et perinde puniri debent ac si penitus in probatione omnium quae objecerunt defecissent (5).

276. Qui poena interdicti subjicitur, vel interdictum violaverit incapax est ut postuletur (6). Postulatio per quam privata vel minor utilitas communi vel majori praesentatur, vel postulatio quae fit a minori quam a tertia parte Collegii admitti non debet (7). Ex quo denique postulatio Summo Pontifici Romano praesentata est, non possunt postulantes ab ea recedere sed expectare debent judicium ejus (8).

277. Si quis postulationem vel electionem seu provisionem factam impugnat in formam, objiciens aliquid, vel personam, et propter hoc ad Sanctam Sedem appellari contigerit, tam is, qui opponit quam qui defendit, et

(1) Innocent. XII in constitut. citata.
(2) Decretal. Lib. I, cap. 16.
(3) Ibid. cap. 9.
(4) In sexto decret. Lib. I, Tit. VI, cap. 9.
(5) Ibid. cap. 11.
(6) Ibid. de Postul. cap. 1.
(7) Ibid. cap. 3.
(8) Ibid.

generaliter omnes, quorum interest, et quos causa contigit per se vel per procuratores ad causam instructos ad Sedem Apostolicam a die objectionis iter arripiant infra mensem. Sed si pars alia non venerit per viginti dies post adventum alterius expectata in electionis negotio, non obstante cujusquam absentia, sicut de jure fuerit procedatur. Haec in dignitatibus, personatibus et canonicatibus observanda. Qui plene non probaverit, quod in formam opponit: ad expensas, quas propter hoc pars altera se fecisse, docuerit condemnetur. Qui vero in probatione defecerit ejus quod objicit in personam, a beneficiis ecclesiasticis triennio noverit se suspensum, ad quae si infra illud tempus propria temeritate se ingesserit, eis ipso jure perpetuo sit privatus nullam super hoc misericordiae spem aut fiduciam habiturus: nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum a calumniae vitio causa probabilis et sufficiens excusaret (1).

278. Ut circa electiones, postulationes, et provisiones ecclesiasticas via malitiis, prout possibile praecludatur; ne diutius periculosae vacet Ecclesiae, vel personatuum, dignitatum et aliorum ecclesiasticorum beneficiorum provisio differatur, statutum est, ut si aliquando aliqui electionibus, postulationibus, vel provisionibus, se opponunt proponendo aliqua contra electionis, postulationis, seu provisionis formam aut personas eligentium, vel electi: sive illius, cui erat provisio facienda, sive facta, et propter hoc contigerit appellari, appellantes in instrumento publico seu literis super appellatione confectis, omnia et singula exprimant, quae in formam intendunt objicere vel personas. Coram personis authenticis, aut persona, quae super hoc testimonium perhibeat veritati, corporali praestito juramento, quod credunt ea quae sic exprimunt esse vera et se talia posse probare. Alioquin tam opponentes, quam, tempore appellationis interpositae, vel postmodum adhaerentes, eisdem adjicendi aliqua, quae non fuerint in hujusmodi literis vel instrumentis expressa potestatem sibi noverint interdictam; nisi aliquid postea forsan emerserit vel super antiquis supervenerit probandi facultas, aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de novo pervenerint, quae appellantes, appellationis amissae tempore, verisimiliter ignorare potuerint, et etiam ignoraverint. Super hujusmodi autem ignorantia et superveniente facultate probandi fidem per proprium praestandum corporaliter faciant juramentum; hoc adjiciendo in juramento eodem, quod ad ea probanda credunt se sufficientes probationes habere (2).

279. Perpetua sanctione statutum ut Episcopi et alii praelati superiores, nec non Abbates, priores, et caeteri monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine censeantur, qui apud Sanctam Sedem promoventur aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt ad commissas eis ecclesias et monasteria

(1) Sexto decretal. Lib. I. Tit. VI. de Elect. cap. 1.

(2) Gregor. X in Concil. Lugd. lib. VI decret. Tit. VI de Elect. cap. 4.

absque Sanctae Sedis Apostolicae literis eorum promotionem confirmationem consecrationem seu benedictionem continentibus accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere non praesumant, nullique eos absque dictarum literarum ostensione recipiant aut eis pareant vel intendant. Quod si forsan contra praesumptum fuerit; quod per Episcopos, Praelatos, Abbates, Priores, et alios monasteriorum regimina exercentes praedictos medio tempore actum fuerit, irritum habeatur: nec quidquam interim iidem Episcopi, vel Praelati, vel Abbates, Priores, vel regimina exercentes, de ecclesiarum vel monasteriorum proventibus percipiant eorumdem (1).

280. Capitula vero, conventus, ecclesiarum et monasteriorum ipsorum et alii quicumque ipsos absque hujusmodi Sanctae Romanae Sedis literis recipientes vel obedientes eisdem, tamdiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem Sanctae Romanae Sedis gratiam meruerint obtinere. Similiter quoque Episcopi, Praelati, Abbates, Priores et alii monasteriorum regimina exercentes praedicti solito fidelitatis et obedientiae juramento non praestito; illi etiam Episcopi, quos apud Romanam Sedem Pallium continget recipere absque literis traditionis ipsius Pallii nequaquam ab eadem discedant. Discedentes vero (quousque hujusmodi juramentum praestiterint et literas obtinuerint) nihil de ipsarum ecclesiarum et monasteriorum proventibus percipiant: et quidquid interim per eos (ut de aliis praedicitur) actum fuerit, viribus non subsistat (2).

281. Statutum est ut quamdiu civitates Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena et Jerosolymitana schismaticorum aut infidelium subsunt, ac suberunt ditioni aut detinebuntur per eos, canonici dictarum patriarchalium sedium, cum eos vel ipsorum aliquam seu aliquos vacare contigerit, ad electionem, postulationem seu quamvis provisionem de praeficiendo sibi Patriarcha vel Pastore nullo modo procedant, quoad usque ad Apostolicae Sedis notitiam deducatur. Irritum erit et inane si secus per capitula, conventus, vel canonicos aut quemvis alium vel alios scienter aut ignoranter fuerit attentatum (3).

(1) Extravag. Lib. I de Elect. cap. 1.

(2) Ibid.

(3) Ibid. cap. 3.

LIBER TERTIUS

De Jure Dogmatico.

CAPUT I.

DE FIDE.

282. Veritates salutares fidei et doctrinae morum tamquam in suis fontibus in libris sacris divinitus inspiratis, et in traditionibus, quae ipsius ore Christi ab Apostolis acceptae, aut ab Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt continentur (1).

283. Pari pietatis igitur et fidei affectu omnes Christi fideles suscipiant ac venerentur omnes sacros tam veteris quam novi Testamenti libros, cum utriusque sit auctor unus Deus, nec non traditiones ipsas cum ad fidem tum ad mores pertinentes, vel ore tenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas, quae in Ecclesia sunt continua successione conservatae (2).

284. Index librorum tam veteris quam novi Testamenti ille retineatur, quem Sacrosancta Tridentina Synodus sancivit. Si quis autem hos libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur pro sacris et canonicis non susceperit, et praedictas traditiones sciens et prudens contempserit, anathema sit (3).

285. Vetus et vulgata editio Sacrarum Scripturarum, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; nemo illam rejicere quovis praetextu audere potest vel praesumere (4).

286. Nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos contorquens conceptus, contra eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sanctam interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint per Ordinarios declarentur et poena anathematis plectantur. Per Episcopos etiam poenis coërceantur temerarii homines; qui ad prophana convertunt et torquent verba, et sententias Sacrae Scripturae et ad scurrilia fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones;

(1) Concil. Trid. Sess. IV. (2) Ibid. (3) Ibid.

nec non ad impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, et libellos etiam famosos (1).

287. In Ecclesiis Metropolitanis et in Cathedralibus ac etiam in Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius dioecesis, si ibi clerus numerosus fuerit, Sacrae Scripturae lectio habeatur ab eo, qui beneficium, praebendam aut praestimonium pro hujusmodi officio obtinuerit; quod si nulla praebenda aut stipendium extiterit, curent Episcopi ad normam praescriptam a Tridentina Synodo ejusmodi cathedram erigere atque instituere. In monasteriis quoque monachorum, ubi commode id fieri queat etiam lectio Sacrae Scripturae habeatur; qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc ut Sedis Apostolicae delegati eas ad id opportunis remediis compellant. In conventibus vero aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possunt, Sacrae Scripturae lectio similiter habeatur, quae lectio a Capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus magistris. In gymnasiis etiam publicis, ubi tamen honorifica et caeterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum principum et rerum publicarum pietate ad catholicae fidei defensionem et incrementum; sanaeque doctrinae conservationem et propagationem instituatur; et ubi instituta foret, et negligeretur restituatur (2).

(1) Conc. Trid. Sess. V de Reform.
(2) Conc. Trid. Sess. V, cap. I, de Reform.
(3) Ibid.

288. Nemo autem ad hujusmodi lectionis tam publicae quam privatae officium admittatur, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus, et scientia examinatus et approbatus non fuerit, quod tamen de lectoribus in claustris monachorum non intelligatur (3).

Praebendae theologales igitur conferri semper debent doctori in sacra theologia, vel illi, qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat, et caeteroquin magis idoneo in formali concursu ab examinatoribus renuntiato, eo plane modo quo parochiales ecclesiae conferuntur. Hunc porro ad finem, quotiescumque hujusmodi praebenda theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur quicumque concurrere, et examini se subjicere voluerint, eorum Episcopo et quatuor examinatoribus, etiamsi synodales non sint ab eodem Episcopo actu eligendis ac deputandis; in theologali tamen facultate licentiatis et valde peritis, tum saecularibus, quam regularibus, et illi qui in hujusmodi concursu probatus magis idoneus renuntiatus fuerit, praebenda conferatur (4). Quoties autem praebendae collatio ad Sanctam Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem acta concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem praebendam illi assignare, atque conferre possit, quem caeteris digniorem et magis idoneum in domino judicaverit (5).

289. Quod si Episcopus praebendam theologalem contra hanc formam con-

(4) Bened. XIII const. *Pastoralis officii* 1599.
(5) Ibid.

ferre praesumpserit, et observare neglexerit collatio hujusmodi theologalis praebendae atque provisio ipso jure nulla et irrita, nulliusque prorsus roboris vel momenti sit ac esse debeat, ejusdemque praebendae dispositio statim devolvatur et pertineat ad Sanctam Sedem, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, a quo doctori in sacra theologia conferatur.

290. Tertia pars proventuum praebendae theologalis ab Episcopo distribuatur et proportionabiliter applicetur singulis lectionibus Sacrae Scripturae, quae a praebendato praescriptis diebus, et horis totius anni habendae erunt; ita ut, si praebendatus universas lectiones habuerit assignatas distributiones integras absque ulla prorsus diminutione consequatur. Si vero in aliqua vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quae in sacristiae Ecclesiae beneficium cedant et erogentur. In casu autem gravioris contumaciae praebendati liceat Episcopo deputare alium theologum saecularem, sive regularem, qui jugiter supplendo ejusdem praebendati vices praefatis distributionibus potiatur (1).

291. Ecclesia catholica, cum sit columna et firmamentum veritatis, ea quae ipsa definivit vel definiet circa fidei et morum disciplinam a fidelibus retinenda sunt sicut oracula atque mandata Dei (2). Si qui pertinaciter et publice evangelicis auctoritatibus, apostolicis literis, propheticis oraculis, divinae traditioni, et Ecclesiae Romanorumque Pontificum dogmaticis definitionibus se opponunt, contraria praedicantes, antequam damnentur citandi sunt, ut sistant coram Ecclesia, judicium exercente in Conciliis, vel coram Apostolica Sede, vel suis delegatis, aut Ordinariis locorum ad reddendam rationem erroneae praedicationis, quam ausi sunt assumere, eisque praescribitur retractatio, quam si noluerint conficere anathemate puniantur (3).

292. Sic damnati haeretici quocumque gradu, quo pollebant, amoti, quavis dignitate, omnibus beneficiis, indultis, privilegiis, ecclesiasticis officiis privati, et inhabiles ad sacra facienda vel ministranda, nec non jurisdictione si quam forte habebant, carentes; facti incapaces ad dignitates ecclesiasticas obtinendas et ordines sacros suscipiendos, in perpetua irregularitate mansuri: Ecclesiae communione, et fidelium conversatione interdicti, infamiae poenam portabunt (4). Post eorum mortem si in suis erroribus decessi fuerint, eorum cadavera ne in coemeteriis catholicorum sepeliantur, sed benedictione sacerdotali minime suffragata humo mandantur prophana, nec publicae preces pro animabus eorum persolvuntur, nec pro eis sacrificia divina offeruntur (5). Iisdem

(1) Bened. XIII Const. *Pastoralis officii* 1530.

(2) Leo X constit. 40 *Exurge*. — Conc. Mogunt. 45, 41. — Damasus Ep. I Conc. Const. contra art. 14 Joan. Hus. — Conc. Trid., Sess. VI, can. X, et alibi.

(3) Conc. Constant. 2 act. et conses. I Lateran. Conc. sub Martino I Conc. Const. sess. VI in causa H. conymi de Praga.

(4) In pluribus Conciliis hoc statutum invenitur. — Martinus V, Conc. Const., sess. ult. — Clem. VII, const. 22 *Placuit*. — Innocent. IV, const. 18 *Noverit*. Conc. Const., sess. VIII in causa Viclef. Conc. Later. III et alibi.

(5) Ibid.

poenis ipso facto subjicitur qui doctrinas jam reprobatas haereticorum publice vel docet vel profitetur; nec non schismatici publici, et excommunicati nominatim vitandi.

293. Haereticorum cooperatores, fautores, receptores, defensores, adjutores, laudatores, eisque credentes atque publice consentientes, quacumque dignitate sive ecclesiastica, sive saeculari praefulgeant in easdem poenas incidunt, quibus haeretici puniuntur (1).

Nemo fidelium audeat haereticum publicum aut schismaticum, atque excommunicatum aliquem vitandum, et sic declaratum (2) ab ecclesiastica auctoritate, introducere, vel ei permittere ingressum in Ecclesias catholico cultui consecratas vel addictas: sed si haereticus schismaticus vel excommunicatus vitandus ingredi praesumpserit arceatur. Verum si brutali vi aut praepotentiae arbitrio templum Dei sive haereticus publicus, sive schismaticus, sive excommunicatus vitandus sua praesentia prophanaverit, statim divina officia cessent, et si sacerdos in hac Ecclesia steterit offerendo divinum Eucharistiae sacrificium, et jam consecraverit, postquam Corpus et Sanguinem Jesu Christi sumpserit ab altari discedat et omnis populus exeat a templo (3).

294. Quoniam praecepit Dominus cavere ab iis, qui Ecclesiam non audierint nemo fidelium cum haereticis, schismaticis et excommunicatis a Sancta Sede declaratis vitandis orare et psallere audeat; neque ad eorum aedes accedat in quibus impii ritus exercentur (4); secus traditorum consors efficitur et excommunicationi subjicitur. Item nemo cum haereticis, schismaticis et excommunicatis vitandis communicet sive in divinis sive in humanis (excepta verae necessitatis et utilitatis causa) sub excommunicationis poena (5).

295. Ad evitanda autem scandala, sicut Martinus V indulsit, nemo a communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, vel aliis quibuscumque divinis, vel extra, praetextu cujuscumque sententiae, aut censurae ab jure vel ab homine generaliter promulgatae teneatur aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia vel censura ejusmodi fuerit contra personam vel collegium vel locum certum vel incertum a judice publicata et denunciata specialiter vel expresse. Salvo si quem pro sacrilega manuum injectione in clericum per sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari; nam a communione illius licet denunciatus fuerit, fideles abstineantur. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos et interdictos, seu prohibitos non intelligitur in aliquo modo relevare, nec eis quomodolibet suffragari (6).

(1) Caput, *Quicumque de haereticis*, cap. ad Abolendum, XI. Clem. in Bulla Coenae.

(2) Clem. II de sent. Excom.

(3) Ex c. Is qui de sent. exc. c. *Venient* de sent. Exc. Paulus V *Accepimus*, 1606. Cap. *Quod a praedecessore* I de schismaticis.

(4) Ex c. *Significavit* de sent. exc.

(5) C. *Quoniam multos*, can. 11, q. 3, *Cum voluntate* de sent. Excom.

(6) Mart. V in Conc. Const. *Ad evitanda* in Extrav. Pluribus constit., etc.

Omnes Christi fideles ad commune Ecclesiae bonum denunciare tenentur haereticum ecclesiasticae potestati (1).

Inhibetur quoque, ne cuiquam laicae personae liceat publice vel privatim de fide catholica disputare. Qui vero contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur (2).

296. Nulli liceat imprimere aut imprimi facere quosvis libros sine nomine auctoris de rebus sacris tractantes, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati fuerint atque probati ab Ordinario sub anathematis poena (3). Si vero regulares fuerint, ultra examinationem et probationem, hujusmodi licentiam quoque a suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant et evulgant nisi examinati probatique fuerint eisdem poenis subjaceat, quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri vel scripti vel impressi authentice appareat idque totum, hoc est, probatio et examen gratis fiat, ut probanda probentur, et exprobanda reprobentur (4). Libri omnes, quos aut Summus Pontifex aut Concilium oecumenicum damnavit, censentur semper eodem modo damnati, quo olim fuerunt (5).

297. Nemo audeat sine auctoritate Sedis Apostolicae libros imprimere vel legere vel retinere, quos nominatim Romana Sedes vel Congregatio Universalis Inquisitionis, vel Indicis proscripsit (6). Versiones Sacrae Scripturae in vulgari idiomate factae a catholicis viris, quin pro textu habeantur, dummodo a Sede Apostolica approbatae fuerint et editae sint cum notis quae a Patrum Ecclesiae scriptis aut catholicorum et doctorum virorum desumptae fuerint conceduntur (7). Libri omnes linguarum Arabicae, Turchicae, Chaldaicae, quales sunt Grammaticae, Dictionaria, Cathecheses et libri Sacrae Theologiae examinentur a Cardinalibus Congregationis Indicis (8).

Libri eorum qui capita vel duces sunt vel olim fuerunt haereticorum cujuscumque nominis, vel tituli, aut argumenti, existant, omnino prohibentur (9).

298. Aliorum autem haereticorum libri qui, de religione quidem ex professo tractant omnino damnantur. Qui vero de religione minime tractant, a theologis catholicis jussu Episcoporum et Inquisitorum examinati et approbati permittuntur. Libri quoque catholice scripti tam ab illis, qui postea in haeresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiae sinum rediere, dummodo

(1) Prop. contraria damnata fuit ab Alexandro VII 14 sept. 1665 approbando decreta Univ. Inquis. in Bull. tom IV. pag. 405.

(2) Sext. decr. lib. V de Haereticis, Tit. II, cap. II.

(3) Concil. Trid. Sess. V.

(4) Conc. Trid. Sess. II.

(5) Regulae Indic. a Trid. Syn. edit.

(6) Inter constitut. *Permultas*, constitutio Pii IX *Apostolicae Sedis* 1869.

(7) Bened. XIV in decreto Congregationis Indic. edit. 1757 ad pag. 20 not.

(8) Sixtus V. const. *Alias felicis* record. 1587

(9) In regul. Indic. Concil. Trid. jussu edit.

approbati fuerint a facultate theologica alicujus catholicae universitatis possunt permitti. Versiones item scriptorum ecclesiasticorum quae eduntur a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant legi possunt (1).

299. Versiones novi Testamenti ab auctoribus damnatis factae, proscriptae intelliguntur. Si quae vero sint adnotationes cum hujusmodi, quae permittuntur versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a facultate theologica alicujus catholicae universitatis, permittatur lectio hujusmodi doctis et viris piis; quibus conditionibus, etiam istis piis viris et doctis totum volumen Bibliorum, quod vulgo Vatabli dicitur, aut pars, potest pariter concedi (2). Libri omnes et scripta Geomantiae, Hydromantiae, Pyromantiae, Onomantiae, Chiromantiae, Necromantiae, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes, artes magicae prorsus rejiciuntur. Episcopi vero diligenter provideant ne Astrologiae judiciariae libri, tractatus, indices legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quae ab humana voluntate pendent certo aliquid eventurum affirmare audent. Permittuntur autem judicia et naturales observationes, quae navigationis, agriculturae, sive medicae artis juvandae gratia conscripta sunt (3).

300. Libri, qui haereticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi sunt Lexica, Concordantiae, Apophtegmata, Similitudines, Indices, et hujusmodi si quae habeant admixta, quae expurgatione indigeant, illis ab Episcopis una cum theologorum catholicorum consilio sublatis, aut emendatis, permittantur (4). Libri vulgari idiomate de controversiis inter catholicos et haereticos disserentes non passim permittantur, sed iis adhibitis conditionibus, quibus de Bibliis vulgari sermone editis statutum est. Libri a catholicis conscripti si aliqua propositione vel temeraria vel erronea, vel haereticam pravitatem favente non possit ad legendum concedi, ab Episcopo theologorum consilio expurgati permittuntur. Libri omnes, qui res lascivas, atque obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur, et qui eos habuerint severe ab Episcopis puniantur. Antiqui vero libri ab ethnicis scripti propter sermonis elegantiam et proprietatem permittuntur, quacumque tamen ratione pueris nunquam perlegendi erunt.

301. Clandestinae sectae e tenebris ad rei tum sacrae tum publicae exitium, et vastitatem emersae, quocumque titulo vel nomine vocentur, vel existentes, vel in posterum, quod absit, oriturae anathemate iterato damnatae sunt atque sint ipso jure et facto damnatae (5). Item vafer-

(1) In Regulis Indic. Conc. Trid. jussu edit.
(2) Ibid. (3) Ibid.
(4) De Reg. Indic. a Conc. Trid. jussu editis.
(5) Pius IX Epist. Enc. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846;

rimae biblicae societates, quae veterem haereticorum artem renovantes divinarum Scripturarum libros, contra Sanctae Ecclesiae regulas, vulgaribus quibusque linguis translatos, ac perversis saepe explicationibus interpretatos, maximo exemplarium numero, incentique expensa omnibus cujusque generis hominibus etiam rudioribus gratuito impertiri, obtrudere non cessant ut divina traditione, Patrum doctrina et catholicae Ecclesiae auctoritate rejecta, omnes eloquia Domini privato suo judicio interpretentur, eorumque sensum pervertant, atque ita in maximos labentur errores, anathemate sunt iterato damnatae (1).

302. Contra Astrologos, Mathematicos, et alios quoscumque astrologiae artem (praeterquam circa agriculturam et navigationem), et rem magicam in posterum exercentes, aut facientes judicia, et nativitatis hominum quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamsi, ad se non certo affirmare asserant, aut protestentur, quam alios utriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces et perniciosas divinandi artes, sive scientias exercent profitentur et docent, aut discunt, quive hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac praemissa detestanda scelera et delicta, ut praefertur, faciunt aut in eis se quomodolibet intromittunt, cujuscumque dignitatis, gradus, et conditionis existant, tam Episcopi et Praelati superiores, ac alii Ordinarii locorum quam Inquisitores haereticae pravitatis ubique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant diligentius inquirant et procedant, atque in eos severius canonicis poenis, et aliis eorum arbitrio animadvertant (2).

CAPUT II.

DE PROFESSIONE FIDEI.

303. Fidei professionem emittere seu facere tenentur intra duos menses omnes, qui canonicatum, beneficium, et dignitatem obtinent; alias sibi non faciant fructus beneficii (3). Item omnes qui ad gradum doctoratus vel ad lecturam sive magisterium promoventur, juxta formulam a Pio IV praescriptam (4). A Graecis vero professio fidei facienda est propria formula a Gregorio XIII adprobata (5).

304. Symbolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, est tamquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur necessario conveniunt, ac fundamentum firmum et unicum contra quod portae inferi nunquam praevalebunt.

Clemens XII constit. *In eminenti*; Bened XIV const. *Providus*; Pius VII constit. *Ecclesiam a Christo Jesu*; Leo XII *Quo graviora*.

(1) Pius IX in citata epist. Greg XVI in literis encyclicis ad omnes Episcopos *Inter praecipuas machinationes*.

(2) Sixtus V constit. *Coeli et terrae*, 9 feb. 1586.

(3) Conc. Trid. Sess. XXIV de Reform., cap. 2.

(4) Pius IV constit. 88, *In sacrosancta*.

(5) Greg. XIII constit 23 *Sanctissimus*.

Forma professionis fidei hujusmodi est:

Ego firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium; et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris: et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis: et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam: confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum: et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum Anima et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffra-

giis adjuvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesiam relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio, ac profiteor, simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam, in praesenti, sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia (1).

(1) Pius IV loco cit.

Professio orthodoxae fidei a Graecis emittenda.

305. Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero, genitum non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine? et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Credo etiam suscipio, atque profiteor ea omnia, quae sacra oecumenica Synodus Florentina super unione

occidentalis et orientalis Ecclesiae definivit et declaravit, videlicet quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit. Cum id quod Sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Cumque omnia, quae Patris sunt ipse Pater Unigenito suo gignendo dederit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet a quo aeternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum, Filioque, explicationem, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam. Item in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem. Item si vere Poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint, ot omissis, eorum animae poenis Purgatorii post mortem purgari, et ut a poenis hujusmodi releventur prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato: vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. Item Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur. Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quae ex decretis sacrae oecumenicae generalis Synodi Tridentinae sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradicto fidei symbolo, profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit, ut sequitur. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae obser-

vationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque septem esse et proprie Sacramenta novae legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio iterari non posse. Receptos quoque ex approbatos Ecclesia catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto. Omnia et singula: quae de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt amplector et recipio.

306. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum Anima et Divinitate D. N. Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat; fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem ac Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostoli Principi successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia et schismata, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, anathematizo, et abjuro. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quo-

rum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri, et praedicari quantum in me erit curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

CAPUT III.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

307. Sacramentum est symbolum rei sacrae et invisibilis gratiae visibilis forma. Per sacramenta novae legis omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur vel omissa reparatur. Ipsa omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta fuerint nec plura, nec pauciora quam septem sunt, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema-Unctio, Ordo, Matrimonium. Nullum horum septem dici potest non esse vere et proprie sacramentum (1).

Haec sacramenta non sunt signa tantum externa acceptae per fidem gratiae vel justitiae, nec sunt notae quaedam tantum Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, sed veram gratiam, quam significant, conferunt ex opere operato, et semper et omnibus, quantum est a parte Dei rite suscipientibus, nec obicem ponentibus (2).

308. Haec sacramenta multum a sacramentis antiquae legis differunt. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam et ipsam rite suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiae regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide: renati autem et roborati, nutrimur divina Eucharistiae alimonia, quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam et corporaliter (prout animae expedit) per Extremam Unctionem: per Ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur (3).

309. Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter haec sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quae characterem, idest, spirituale quoddam signum a caeteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor, characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt (4). Omnia novae legis sacramenta sunt ad salutem necessaria, licet omnia singulis necessaria non sint (5).

(1) Concil. Trid. Sess. VII, Proem. et can. 1.
(2) Ibid. can. 6, 7, 8.
(3) Eugenius IV in decr. *Exultate Deo adjutori*, 1439.
(4) Eugenius IV in decr. *Exultate Deo adjutori*, 1489.
(5) Conc. Trid. Sess. VI, cap. 4.

310. Ministri sacramentorum sunt a simplicibus laicis propter characterem ordinis distincti. In Concilio enim Tridentino definitum est: « Si quis dixerit Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit (1). » Hi vero ministri, ut supra dictum est, debent habere intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Idem enim Concilium definivit: « Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et ministrant, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit (2). » Ideo quicumque suspectus de haeresi interrogetur, an credat quod malus sacerdos cum debita materia et forma et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat sacramentum (3).

311. Cum haec sacramenta omnia novae legis ex opere operato gratiam conferunt quin aliquid a conditione animae ministri sacramentorum pendeat, minister existens in lethali culpa verum conficit et confert sacramentum. Idem Concilium definivit: « Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum; anathema sit (4). » Sacerdos tamen si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat. Sed si habeat copiam confessarii et temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri (5).

312. Injungitur ministris sacramentorum ritus et solemnitates in sacramentis conficiendis vel conferendis ab Ecclesia approbatos magna diligentia observari. Concilium enim Tridentinum definivit: « Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiae Pastorem mutari posset; anathema (6). »

CAPUT IV.

DE BAPTISMO.

313. Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitae spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de Corpore efficimur Ecclesiae. Quia cum per primum hominem mors introierit in universum, nisi ex aqua et Spiritu Sancto renascimur non possumus (inquit Veritas) in regnum coelorum introire (7). Hinc dicitur sacrum Baptisma Christianae Religionis et aeternae vitae porta, quod inter aliae novae legis sacramenta a Christo instituta, cunctis ad salutem necessarium est (8). « Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem; anathema sit (9). »

(1) Conc. Trid. Sess. VII, can. 10.
(2) Ib. can. 11.
(3) Conc. Constant. Sess. ult.
(4) Ibid. can. 12.
(5) Ritual. Rom. de sacr. in genere.
(6) Ritual. Rom. de sacr. in genere. Can. 13.
(7) Eugen. IV, decr. *Eruditate Deo*, 1439.
(8) Ritual. Rom.
(9) Conc. Trid. Sess. VII, can. 5.

314. Hujus Sacramenti materia est aqua vera et naturalis: nec refert frigida sit an calida (1). « Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit (2). »

Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio; sed morientes antequam culpam aliquam committant statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt (3).

315. Aqua vero solemnis Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato Sancto, vel Sabbato Pentecostes, quae in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur et haec, quando nova benedicenda est in Ecclesiae vel potius baptisterii sacrarium effundatur. Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri poterit in minori tamen quantitate. Si vero corrupta fuerit aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat forma a Sacra Rituum Congregatione praescripta. Sed si aqua congelata sit, curetur ut liquefiat, sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefieri, et admisceri aquae baptismali in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti ne noceat infantulo (4).

316. Forma autem Baptismi est : « Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. » Non tamen negatur quin et per illa verba: « Baptizatur N. servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, » vel « Baptizatur manibus meis N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, » verum perficiatur baptisma : quoniam cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habeat, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministerium, cum Sanctae Trinitatis invocatione perficitur sacramentum (5).

317. Baptismus, licet fieri potest, aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu pro Ecclesiarum consuetudine retinentur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore, quo verba proferuntur et idem sit aquam adhibens et verba pronuncians (6).

318. Legitimus quidem Baptismi minister est Parochus vel alius sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus; sed quoties infans vel adultus versatur in vitae periculo, potest sine solemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua sive a clerico sive a laico etiam excommu-

(1) Eugen. IV in loco cit.
(2) Conc. Trid. loc. cit.
(3) Decretum Eugenii IV *Exultate Deo*, 1439.
(4) Rituale Rom. de Baptismo.
(5) Eug. IV Decretum citat.
(6) Rituale Rom. de Bapt.

nicato, vel a fideli vel ab infideli, sive a catholico sive haeretico; sive viro sive foemina servata tamen forma et intentione Ecclesiae (1). « Si quis dixerit Baptismum qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptisma; anathema sit (2). » Sed si adsit sacerdos diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir foeminae nisi, pudoris gratia, deceat foeminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius foemina sciret formam et modum baptizandi. Pater et mater propriam prolem baptizare non debent, praeterquam in mortis articulo, quando alias non reperitur qui baptizet: neque tunc ullam contrahunt cognationem quae matrimonii usum impediat (3).

319. Baptisma datur tam adultis quam infantulis. « Si quis dixerit neminem esse baptizandum nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est vel in ipso mortis articulo; anathema sit (4). » « Si quis dixerit parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum Baptisma quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae; anathema sit (5). » Si quis dixerit parvulos cum adoleverint interrogandos esse an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim poena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut Eucharistia, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit (6).

320. Parochus antequam ad baptizandum accedat ab iis, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos susceptores, seu patrinos elegerint, qui infantem de sacro fonte susceperint, ne plures quam liceat, aut indignos, vel ineptos admittat. Hos autem patrinos saltem in aetate pubertatis ac sacramento Confirmationis consignatos, esse maxime convenit. Sciant praeterea Parochi ad hoc munus non esse admittendos infideles aut haereticos, non publice criminosos, aut infames, nec praeterea qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei, haec enim patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit opportune docere tenentur. Praeterea ad hoc etiam admitti non debent monachi, vel sanctimoniales, neque alii cujusque ordinis Regulares a saeculo segregati (7). Si quis adultus sit baptizandus, debet prius, secundum Apostolicam regulam in Christiana fide ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum saepius explorari, et nonnisi sciens et volens, pleneque instructus baptizari. At vero si quis, dum instrui-

(1) Rituale Rom. de Bapt.
(2) Conc. Trid., Sess. VIII, can. 4.
(3) Rituale Rom. 12.
(4) Ibid. can. 12
(5) Ibid. can. 14.
(6) Concil. Trid. Sess. VII, can. 4
(7) Rit. Rom. loc. cit.

tur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi vel necessitatis baptizetur (1).

321. Adultorum baptisma, ubi commode fieri potest ad Episcopum deferatur, ut si illi placuerit solemnius conferatur: alioquin Parochus ipse baptizet, statuta caerimonia. Decet autem hujusmodi Baptismum ex Apostolico instituto in Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes solemniter celebrari. Quare si circa haec tempora catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies, si nihil impediat, baptismum differri convenit. Verum si circa, seu post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui aegre ferant suum baptisma in longum tempus differri, et ad illud festinent, instructique ac rite parati esse noscantur, citius baptizari possunt (2). Pro hujus autem veneratione sacramenti, tam sacerdotem, qui adultos baptizat; quam ipsos adultos, qui sani sunt, convenit esse jejunos. Quare non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum baptisma celebretur. Admonendus est catechumenus ut peccatorum suorum poeniteat (3).

322. Amentes et furiosi non baptizentur, nisi tales a nativitate fuerint, tunc enim de iis idem judicium faciendum est, quod de infantibus, atque in fide Ecclesiae baptizari possunt. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt baptizentur, si velint. Si vero antequam insanirent, suscipiendi baptismi desiderium ostenderint, ac vitae periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur. Idemque dicendum est de eo qui lethargo aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans et intelligens baptizetur, nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit baptismi desiderium (4).

323. Natis infantibus Baptismum conferri quamprimum debet, peccantque graviter qui diu illum differunt; tempus autem non definitum est, latoque edicto mandatum fuit Romae anno millesimo septingentesimo tertio ut intra triduum infans lavetur. Non licet absque necessitate Baptismum conferre in privatis domibus (5) exceptis liberis Regum vel Principum. Ne detur infantibus fictitie baptisma, cum infideles tradunt pueros suos christianis non ut catholici fiant, sed ut liberentur a morbis (6).

Nihil officit validitati Baptismi error privatus baptizantis, dummodo in materia et forma nihil innovetur. Infans, cujus corpusculum nondum e matris utero prodivit, sed materno utero jam reserato mox proditurus est, et moriturus timetur, debet inducta aqua instrumento aliquo baptizari, sed sub conditione est baptizandus (7).

324. Si vero infans aliqua sui corporis parte non vero capite prodierit baptizandus est sub conditione in ea parte, quaecumque illa fuerit, quemadmodum Rituale Romanum praeadmodum

(1) Rit Rom. loc. cit.
(2) Ibid.
(3) Ibid.
(4) Ibid.
(5) Bened. XIV Instit. Eccl. 98, § 3 et 9.
(6) Ibid.
(7) Id. de Synodo Dioeces. L. VII.

scribit, iterumque sub conditione in capite baptizandus est, si totus exierit. Si vero caput unice detectum fuerit baptismate absolute tingendum est. Baptisma cum conditione adjecta non confertur, absque lethalis culpae crimine, nisi prudens dubitandi ratio suppetat an antea validus Baptisma sit collatum (1).

325. Si de administrato Baptismate unus tantummodo testis affirmet ut obstetrix, cum illa tunc testificetur de facto proprio ex hoc tantummodo non est sacramentum reiterandum: si quidem illa interrogata circa materiam et formam hujus sacramenti probe scire demonstret. Idemque praestandum est in locis ubi obstetrices, antequam ad munus istud admittantur, de ratione administrandi rite baptismum edoceri solent (2).

326. Testis unicus, etiamsi mulier sit, sufficit ad probandum Baptismum (3). Ast si testimonium sit ab homine incerto, in re adeo gravi, ignoto testimonio deferri non potest: quare tunc rebaptizandus est infans sub conditione, etiamsi schedulam de suscepto Baptismate e collo suspensam ferat, ut pro expositis utitur in locis quibusdam (4).

Si vero agatur de baptizatis ab haereticis, qui ad fidem Romanam venire petunt, tunc oportet investigare numquid in secta illa haereticorum innovatum sit aliquid circa materiam baptismi. Quod si ex ista investigatione nihil certi resultet, tunc ac in dubio Baptismate agendum est (5).

327. Baptismum reiterari haereticis sine prudenti dubio nullo modo potest. Concilium enim Tridentinum definivit: « Si quis dixerit verum et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur; anathema sit (6).»

328. Admittendus est ad Baptismum infantulus hebraeus, postulante avia paterna christiana, licet reclament mater hebraea defuncto marito et tutores testamentarii, quia dicta avia comprehendi potest sub appellatione parentum, et favore Religionis praevalet facile matri et caeteris tutoribus testamentariis; sicut mater christiana postulans Baptismum pro filio praevalet patri infideli reclamanti; et si quid dubii superesse possit, in dubio favendum est Religioni (7).

329. Baptizari infideles invitis parentibus vel tutoribus licite non possunt, nisi infantes fuerint in mortis extremo, vel expositi tamquam a parentibus derelicti. Si vero expositum quis baptizandum assumpserit potest illi lavacrum salutare impertiri, etiam Synagoga, vel parentibus reclamantibus. Si vero pater infidelis offerat infantem suum, dein facti sui poeniteat et nolit baptizari, tunc puer ante usum rationis est baptizandus; qui vero sui compotes sunt in domo catechumenorum explorandi sunt, si velint. Tandem si qui pueri baptizati sunt etiam parentibus invitis, tunc

(1) Bened. XIV de Synodo dioeces. c. VI, § 4.
(2) Ibid. § 4
(3) Can. *Parvulos*, et canon. *Cum itaque* de consecr. dist. 4.
(4) Sacra Congreg. Conc. die v Januarii 1724.
(5) De Synod. dioeces. lib. VII, § 8.
(6) Conc. Trid.
(7) Bened. XIV in Bullario Bened., Tom. III, n. 54.

ille qui baptizavit peccavit graviter, sed baptizatus restitui parentibus non debet, et penes christianos educari. Porro in eo casu Baptismus vel unico teste idoneo probatur, etiamsi foemina sit, vel etiamsi sit ille, qui Baptismum contulit, in quo casu puer nec sub conditione est rebaptizandus.

330. Haec de pueris ante usum rationis; qui vero rationis capaces sunt, uti sunt communiter post septimum aetatis annum, si se se sponte obtulerint Baptismo, possunt baptizari; quod verum est etiamsi non certo constet, sed dubitetur de capacitate rationis post septemnium. Si vero hoc dubium praecedat septemnium, tunc debet puer retineri apud christianos suspenso interim Baptismo, quoad usque certus usus rationi superveniat. Si adulti illi careant intentione recipiendi Baptismi, adeo ut illam nec ipso actu, nec antea habuerint, tunc Baptismus est invalidus. Validus autem est si antea fuerit habita, et numquam interim retractata. Quod si fuerit neutra voluntas, tunc in eam sententiam inclinandum est, quae invalide baptizatum pronuntiat. Si post Baptismum affirmet neophytus se caruisse intentione sufficienti, nec afferat dicti sui idoneas probationes, retinendus est, et denuo tingendus sub conditione. Vicissim si illas afferat, negetque iterum baptizari velle, retinendus est (1).

331. Si mulier gravida decedat, potest Episcopus injungere ut per sectionem caesaream extrahatur ex utero infans, qui forte vivus reputatur, ad hoc ut sacrum Baptisma conferatur. Non enim id est impossibile ut extrahatur vivus (2). Baptisma praesumitur jam valide collatum si sermo sit de adultis, qui nati sunt a parentibus catholicis, et inter catholicos educati; tametsi nullum extet in libris baptizatorum accepti Baptismi testimonium, nisi graves conjecturae adsint in contrarium (3). Baptizandum est sub conditione adultum, qui ab infantia raptus fuerit a barbaris; nec certo scitur, an aliquando fuerit baptizatus (4).

Quoties iterandum est Baptisma adultorum catholicorum, secrete est faciendum ad evitanda murmura; et quidem sine praejudicio matrimonii (quod semper subsistit) si forte eo ligatus sit ille, de cujus Baptismo dubitatur (5).

332. Baptismum ministrare tempore pestis eo morbo obstrictis per se non tenetur Episcopus, cum ille sit tamquam causa universalis, quae non per se, sed per particulares, id est per Parochos operatur; si tamen alius adsit, qui praestare id possit, Parochus vero tenetur.

In Baptismate conferendo possunt presbyteri graeci loco latinae formae adhibere eam quam habent in suo Euchologio: « Baptizetur servus Dei N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, » sicut et adhibere trinam aquae immersionem seu aspersionem cum omnibus unctionibus erga bapti-

(1) Haec omnia Bened. XIV in Bullar. Tom. II, n. 28 in Epist. *Postremo mense*.

(2) Gloss. IV de presb. non bapt.

(3) C. *Veniens*, Sacra Congr. Conc., decr. a Greg. XII de approb., an. 1576.

(4) C. *Parvulus* d. 4 de cons.

(5) S. Cong. Conc. 21 dec. 1733.

zatum; ubi tamen non est contraria consuetudo. Presbyteri tamen graecorum vetantur signare chrismate in fronte suo baptizatos. Licet vicissim uti in baptismate aqua calida, sicut et licet Parochis graecis suos subditos baptizare aqua per ipsos graeco more benedicta. Vetatur insuper ne baptizatis pueris communionem sub utraque specie vel sub una administretur, sicut, neque eisdem pueris conferatur in Missa Eucharistia. Filii patris latini et matris graecae latino ritu Baptisma conferatur. Si vero pater sit graecus et mater latina, liberum erit patri ritum eligere.

333. Baptizati ritu graeco subsunt jurisdictioni Parochi graecorum, nec possunt latini absque dispensatione Sedis Apostolicae transire ad ritum graecum; vicissim graecus ex concessione Episcopi latini potest ad latinum transire. Qui vero clerici sunt, in quocumque ordine etiam minori constituti a ritu graeco ad latinum sine licentia transire nequeunt (1).

334. Christi fidelibus sub Mahumethica ditione degentibus non imponantur baptizandis nomina turchica seu mahumetana, neve eadem nomina etiam extra Baptismum sibi imponant, quacumque tandem ratione id agant (2). Quamvis non plures quam unus vir, vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de Baptismo infantem, si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahi videtur (3). Valens tamen S. Tridentina Synodus incommodis ad matrimonium providere, statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum et illius patrem, et matrem; nec non inter baptizantem et baptizatam, baptizatique patrem et matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus autem antequam ad Baptismum conferendum attendat, diligenter ab iis, ad quos spectat sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum, vel eos tantum ad illud suscipiendum admittat et in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint (4). Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt. Si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit quamvis generaliter sit institutum ut debeant separari, quidam tamen humanius sentientes aliter statuerant; ideoque quod sive ex ignorantia sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debeat subtrahere; quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur, si ex malitia eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus (5). Graviter peccant parentes, qui ex industria et sine necessitate filios baptizant (6). Cum fontes die Sabbati sancti a Parochis benedicuntur novo Chrismate oportet ritum peragi ab Episcopo feria V in Coena Domini ejus anni

(1) Bened. XIV in Bulla *Etsi Pastoralis*.
(2) Id. in Bulla *Quam Frequentis* in Bullar. Bened. Tom. IV. num. 37.
(3) In c. fin. de cogn. spir. in 6.
(4) Conc. Sess. XXIV.
(5) C. Si vir 2 de cognat. spir.
(6) C. de his 7 dist. q. 1.

benedicto (1). Vetitum est Parochis aliud Chrisma quam ab Episcopo suo consecratum adhibere, omni quacumque exemptione exclusa (2). Cum novum benedicitur, vetus comburendum est, nec licet absque necessitate veteri oleo uti ad Extremam Unctionem, cum novum haberi potest (3). Licet autem oleo consecrato admiscere aliquid olei non consecrati, quod attamen sit in minori quantitate quam consecratum; sed nec fas nec ratio permittit ut vetus oleum, cum potest novum haberi, ea admixtione perpetuetur (4).

Non licet Parochum intrusum adire ut baptizetur infans excepto extremae necessitatis casu, in quo non adsit alius valens baptizare. Insuper non licet fidelibus patrini munere fungi in Baptismate a Parocho intruso administrato. Cum enim Parochus intrusus schismaticus profecto sit ejusque schisma evidentissime constet, ex eo fit ut actio catholici infantem de sacro fonte levantis in Baptismate a Parocho intruso administrato, quacumque ex parte spectetur vitiosa, mala, et prohibita esse deprehendatur. Nam catholicus hac sua actione cooperatur in schismate; immo schismatis crimen ipso suo facto approbat, intrusumque pro legitimo Parocho agnoscit et colit (5).

CAPUT V.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

335. Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, qui odorem significat bonae famae per Episcopum benedicto. Forma autem est: « Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti (6). » « Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otiosam caerimoniam esse et non potius verum et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quam catechesin quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesiae exponebant; anathema sit (7). » Ordinarius minister est Episcopus. Et cum caeteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat: Cum enim audissent (inquit) Apostoli qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illarum venerat, sed bapizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum (8). « Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum

(1) Bened. XIV ad Abbat. Campidun. Bull. Magn. t. 18.
(2) Ex can. *Si quis de alio* de consecr. dist. 4.
(3) Ibid. et in can. cit.
(4) Ibid. et in can. cit.
(5) Pius VI in resp. dat. in div. quaest. Idem 26 sept. 1791.
(6) Eug. IV in decreto citato
(7) Conc. Trid. Sess. VII de Confirm. can 1.
(8) Eug. IV decr. cit.

Episcopum sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit (1). » Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis sacramentum (2). Hinc extraordinarius minister est is, cui Pontifex Romanus hoc administrandi sacramentum facultatem concedit extraordinariam: chrisma autem, ut dictum est, debet esse ab Episcopo benedictum (3).

336. Effectus autem hujus sacramenti est, in eo quod datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes: ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et praecipue crucem ejus, qui Judaeis est scandalum, gentibus autem stultitiam, secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur (4).

337. Nemini fas est asserere in Ecclesia graeca non adesse sacramentum Confirmationis. Si quis enim hanc opinionem tueretur huic manifeste obstaret vetus orientalis disciplinae, quam Apostolica Sedes optime perspectam habuit, nec unquam damnavit, aut improbavit, juxta quam in graecorum ritualibus libris nulla sit mentio de manuum impositione, tamquam materia adaequata aut inadaequata sacramenti Confirmationis. Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in Ecclesia latina Confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro chrismate, sive oleo olivarum balsamo commixto, et ab Episcopis benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formae verba pronuntiat (5).

Consultissimis Romanorum Pontificum decretis cautum est ut renatis fonte baptismatis conferretur sacramentum Confirmationis in ea tantum aetate, in qua fideles intelligerent tantum inter se differre Baptismum et Confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio, ab incremento (6).

338. Sicut non plures quam unus et una accedere debeant ad suscipiendum de Baptismo, ita de Confirmatione dicendum; non possunt plures quam unus et una tenere baptizatum ad confirmationis Sacramentum accedentem. Sicut in Baptismate non potest aliquis suscipere alium de fonte in filiolum nisi baptizatus fuerit, sic in Confirmatione non potest esse patrinus nisi qui sacramentum Confirmationis jam acceperit. Adulti, qui ad Confirmationis sacramentum accedunt, monentur Confessionem sacramentalem prius percipere ut rite, sancteque ad Sacramentum se praeparent recipiendum (7).

339. Parochi et parentes, et qui

(1) Conc. Trid. Sess. VII de Confirm.
(2) Eug. IV loc. citat.
(3) Bened. XIV ad Abbat. Campidun. in Bull. Magno tom. 18.
(4) Eug. IV loc. cit.
(5) Benedictus XIV Encycl. *Ex quo primum* ad Archiep. et Episc. Ritus Graec. 1 Mart. 1755.
(6) Bened. XIV const. *Eo quamvis* 1745.
(7) In cap. de cognat. spir. in sexto. Distinct. IV cap. In baptismate 102 de conseer. Pont. Rom. Ex cap. *Ut Jejunii* dist. V de conseer.

sunt loco parentum non sunt exempti a culpa lethali, si non instent ut subjecti recipiant Confirmationem Episcopo parato, si aetatem habent requisitam et dispositi inveniuntur (1). Episcopi latini infantes graecos a Presbyteris graecis in Italia et insulis adjacentibus confirmatos iterum confirment; nulla enim a Pontificibus data est illis facultas, ut confirment, adeoque id invalide egerunt (2).

Qui confirmati sunt a simplici sacerdote graeco invalide in Italia et insulis adjacentibus non sunt cogendi ut idem Sacramentum ab Episcopis iterum suscipiant, si inde scandala timeantur: monendi tamen sunt ab Ordinariis locorum eos peccati gravis reatu teneri, si cum possint ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt. Graeci ab Episcopo graeco catholico si haberi possit, sunt confirmandi, chrismate tamen a latinis Episcopis accepto (3).

340. Chrisma conficiatur ab Episcopis; et quotannis renovandum in feria quinta Hebdomadae Majoris. Non licet ex communi jure olea nisi Diaconis vel Subdiaconis vel Presbyteris deferre. In iis ecclesiis ubi conservatur, duobus clavibus adhibitis fideliter et reverenter custodiatur, ne possit ulla temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Si quis ad quem spectat custodia, incaute claves reliquerit vel opertae custodiae portam, tribus mensibus ab officio suspendatur. Et is per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit graviori subeat ultioni (4).

341. Sede vacante ad Episcopum viciniorem spectat conferre Chrisma, videlicet ad illum, cujus Cathedralis proximior est Cathedrali vacanti, licet forte alius esset vicinior loco habitationis impetrantis (5). Si vero contigerit Episcopos interesse in aliquo oecumenico Concilio, et in dioecesibus non adsint Reverendissimi Ordinarii, et si titularis aliquis Episcopus non inveniatur vel a vicinis dioecesibus olea sancta in anno currente consecrata haberi facile nequeant, vetera olea superioris anni, durante necessitate et absentia Episcoporum, adhiberi valeant in benedictione fontis Baptismatis tum in Sabbato sancto tum in Sabbato Pentecostes, nec non in solemni collatione Baptismatis ac in ungendis infirmis (6).

342. Episcopi graeco-catholici non sunt cogendi olea sancta accipere ab Episcopis latinis dioecesanis, cum ipsi ex veteri ritu ista conficiant, seu benedicant: sed excepto tamen Chrismate, quod nonnisi ab Episcopo, etiam juxta eorum ritum benedici debet, non tamen olea ista accipere audeant ab Episcopis graecis externis diversae ab Ecclesia Romana communionis. Quin ne accipiant ab alio Episcopo latino seu graeco-catholico, praeterquam ab Ordinario suo, si sit latinus (7).

343. Missionariis Presbyteris, ubi necessitas aderit potest Pontifex con-

(1) Bened. XIV Instit. Eccl.
(2) Bened. XIV in Bulla *Etsi Pastor* § 3 in Bullar. T. I, n. 57.
(3) Ibid.
(4) Concil. Lateran. IV sub Innoc. III an. 1215. Habetur X cap. 1 de custod.
(5) Sacra Congr. Episc. in Carentina.
(6) Pius IX 17 febr. 1870 indulsit. (7) Ibid.

cedere pro necessitate ministrare Confirmationem, quod novum non est neque inusitatum. Nam a S. Gregorio Magno et aliis Pontificibus concessum esse traditum est (1). Episcopus confirmans in aliena dioecesi sine ordinarii Episcopi licentia, etiam subditos suos, incurrit suspensionem a Pontificalibus ipso jure (2). Valida tamen est Confirmatio, quia illa non requiritur necessitate sacramenti, sed necessitate praecepti. Convenit autem ut tam confirmans Episcopus, quam confirmandus fidelis sint jejuni, et ille in administrando, et hic in suscipiendo (3).

CAPUT VI.

DE EUCHARISTIA.

344. Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem sacramentum Eucharistiae instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: « Qui manducat me, et ipse vivet propter me, » et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae, et perpetuae felicitatis; adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei et charitatis connectione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus nec essent in nobis schismata (4).

345. Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum caeteris Sacramentis, symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem. Verum illud in ea excellens, et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis aliter, et in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod praebebat; et semper haec fides in Ecclesia Dei fuit statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub specie vini ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connectionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore

(1) Benedictus XIV in Bulla *Eo quamvis tempore* edita 4 maji 1745. Quoad vero Eugenium P. Zacharias refert apud Croix lib. VI, pag. 378.

(2) Conc. Trid. Sess. VI, cap. 5 et declaratione S. C. apud Salm. cap. 4, n. 20.

(3) Ex c. Jejunii et c. Episcopi de consecr. dict. 5.

(4) Conc. Trid. Sess. XIII de Euch., cap. 2.

et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri : totus enim et integer Christus, sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, et sub ejus partibus existit (1).

346. Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum id, quod specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus, quae conversio convenienter et proprie a Sancta catholica Ecclesia *Transubstantiatio* est appellata (2).

Eucharistiae sacramenti materia est panis triticeus, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia Sanctorum Patrum ac doctorum Ecclesiae jampridem creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum. Deinde quia hoc convenit Dominicae passionis repraesentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa quintus a beato Petro : « In sacramentorum oblationibus, quae intra Missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque, idest, sanguis et aqua ex latere Christi profluxisse legitur. » Tum etiam quod convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illum Apocalypsis : « Aquae multae populi multi. » Et Julius Papa, secundus post Silvestrum ait: « Calix Dominicus juxta canonum praeceptum vino et aqua permixtus debet offerri ; quia videmus in aqua populum intelligi, in vino, autem, ostendi Sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum et aqua miscetur, Christo populus adunatur et fidelium plebs ei, in quem credit copulatur et jungitur (3). »

347. Cum ergo tam Sancta Romana Ecclesia a Beatissimis Apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquae omnes Latinorum Graecorumque Ecclesiae in quibus omnis sanctitatis et doctrinae lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiae sic servaverint, et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quaevis regio ab hac universali et rationabili discrepet observantia.

Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum (4). Haec verba sunt: HOC EST CORPUS MEUM, relate ad panis consecrationem : relate vero ad vini, HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI NOVI ET AETERNI TESTAMENTI MYSTERIUM FIDEI QUI PRO VOBIS, ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PEC-

(1) Conc. Trid. sess. XIII de Euch. cap. 3.
(2) Ibid. cap. 4.
(3) Eug. IV, in decr. pro Arm.
(4) Ibid.

CATORUM. Si quis autem aliquid diminueret vel immutaret de forma consecrationis, et verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret (1).

348. Omnes Christi fideles pro more in Ecclesia semper recepto Latriae cultum, qui vero Deo debetur, sanctissimo Eucharistiae sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus adorandum, est, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur institutum; nam illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credendum, quem Pater Aeternus introducens in orbem terrarum dicit: « Et adorent eum omnes Angeli Dei. »

Pie ac religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum est, ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. Aequissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies cum Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione gratos, et memores testentur animos erga communem Dominum ac Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria, et triumphus repraesentatur, atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et haeresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris et in tanta universae Ecclesiae laetitia positi vel debilitati, et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant (2).

349. Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam saeculum Nicaeni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos et hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari praeterquam quod cum summa aequitate, et ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis praeceptum invenitur, et vetustissimo catholicae Ecclesiae more est observatum. Quare retinendum omnino decernitur salutarem hunc et necessarium morem (3). « Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam: aut non licere ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit (4).

350. Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas, et divinitas coelestis hujus Sacramenti viro christiano comperta est eo diligentius cavere illi debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: « Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit non dijudicans corpus Domini. » Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus praeceptum. « Probet se ipsum homo. » Ecclesiastica autem consue-

(1) In rubric. Missal. tit. V, n. 1.
(2) Concil. Trident. Sess. XIII, cap. 5.
(3) Ibid. cap. 6.
(4) Ibid. can. VII.

tudo declarat, eam probationem necessariam esse, et nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a Christianis omnibus etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, Sancta Tridentina Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessarii: quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur (1).

351. Sancta Tridentina Synodus, a Spiritu Sancto, qui spiritus est sapientiae, et intellectus, spiritus consilii et pietatis, edocta, atque ipsius Ecclesiae judicium, et consuetudinem secuta, declarat, et docet, nullo divino praecepto laicos, et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo pacto, salva fide, dubitare posse, quia illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat; nam etsi Christus Dominus in ultima coena venerabile hoc sacramentum in panis et vinis speciebus instituit, et Apostolis tradidit; non tamen illa institutio, et traditio eo tendunt, ut omnes Christifideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo apud Joannem recte colligitur. Utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse; utrumque juxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur. Namqne qui dixit: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; » dixit quoque: « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivit in aeternum. » Et qui dixit: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. » Dixit etiam: « Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » Et denique qui dixit: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo. » Dixit nihilominus: « Qui manducat hunc panem vivet in aeternum (2). »

352. Perpetuo (ab eadem sancta Synodo) declaratur hanc potestatem in Ecclesia fuisse ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. » Atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum « caetera, inquit, cum venero disponam. » Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset; tamen progressu temporis latissima jam mutata illa consuetudine; gravibus et justis causis

(1) Concil. Trid., cap. 7 de Euch., Sess. XIII.

(2) Concilium Trid. Sess. XXI, cap. 1.

adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet (1). Insuper quamvis Redemptor noster hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, et Apostolis tradiderit, tamen fatendum est, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt (2).

353. Parvuli usu rationis carentes nulla obligantur necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem: si quidem per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati obtemptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate non possunt amittere. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam, locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est (3).

354. In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent; sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos, tamquam ex traditione Apostolica descendens jure ac merito retineri debet (4). Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiae caecitate velamen excusationis assumat (5). « Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta praeceptum S. Matris Ecclesiae; anathema sit (6). » Qui communionem in Paschali tempore non recipit in Ecclesia propriae paroeciae, non satisfacit Ecclesiae praecepto nisi habeat a proprio Parocho licentiam in alia Ecclesia Sacramentum sumendi (7).

355. Licet Christus instituerit sacramentum Eucharistiae post coenam et coenatos Apostolos communicaverit; tamen quia rationabiliter, ob multa scandala enata, Ecclesia prae-

(1) Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 3, de Communione.
(2) Ibid.
(3) Ibid. cap. 4.
(4) Ibid. Sess. XIII, cap. 8.
(5) Conc. Lateranens. sub Innocent. III celebrato anno 1210. Habetur in tit. de poenit. et remiss., cap. 12.
(6) Conc. Trid. Sess. XIII, can. IX.
(7) Sixtus V const. *Circumspecta* Bullar. Rom. Tom. 5, par. I, pag. 159. Urbanus VIII const. *Cum sicut* Bullar. Rom. Tom. V, par. I, 18.

cepit ut nonnisi jejuni ad illud accederent (infirmis exceptis ad quos non jejunos defertur ex necessitate, per modum viatici) hoc Ecclesiae universalis statutum ab omnibus adimpleatur oportet, ita ut quaecumque pars vel minima cibi, potusque sumpta impedimento esse debeat, ne quis illud accipiat Sacramentum a media nocte praecedenti (1). Episcopus insinuet Parochis posse et debere Viaticum in eadem infirmitate iterum ac tertio administrari; praesertim si aegrotus exposcit; et, si velit, poenas decernat in Parochos, qui aegrotis devote postulantibus iterum et tertio Eucharistiam deferre detrectent falsis praetextibus (2). Amentibus seu phreneticis communicare non licet: licebit tamen si quando habeant lucida intervalla, et devotionem ostendant, dum in eo statu manent; si nullum indecentiae periculum adsit (3).

356. Publicus peccator publice petens communionem repellendus est. Publicus vero dicitur non ille tantummodo, qui talis a judice declaratus est, sed etiam, qui per evidentiam facti, quae nulla possit tergiversatione celari, talis habetur (4). Peccatori occulto publice Eucharistiam petenti non est deneganda, cum jus naturale ad famam id expostulet (5); occulte vero petenti et noto sacerdoti aliunde quam ex confessione tuto negatur. Si vero pariter aliunde et simul etiam ex confessione sciat, exprimere debet sacerdos, se habere ejus peccati scientiam ex certo loco, non tamen nominato eo, a quo scit, si sub arcani naturalis sigillo id acceperit: si vero noverit rem tantummodo ex confessione, perinde se gerat, ac si nesciverit, cum id exigat arctissimum confessionis sigillum (6). Relate ad publicos refractarios adversus constitutionem quae incipit « Unigenitus » a Clemente XI edita, in qua centum et unam Quesnellii propositiones damnantur, quae dogmatibus fidei opposita sunt, praecipitur constitutionem impugnantibus publicis et refractariis negari communio, etiam per modum viatici. Publici autem censentur, qui per judicis sententiam declarati sunt, quod debitam eidem constitutioni venerationem, obsequium et obedientiam contumaciter denegaverint; et pariter illi qui hujusmodi contumaciae reos se judicio confessi sunt; sicut etiam qui sacrum Viaticum suscepturi inobedientiam suam et contumaciam adversus eam constitutionem profitentur; denique qui aliquid evidenter commisisse noscuntur manifeste oppositum eidem venerationi, idque vulgo ita cognitum est ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit. Haec autem notoria certitudo non adest in casibus, in quibus crimen nititur conjecturis, praesumptionibus, incertisque vocibus. Igitur hi qui habent adversam hanc famam postremo loco expressam, num sacro Viatico reficiendi sint, haec habeantur prae oculis: Primo quaerat Parochus seu minister Sacramenti num moriturus Paschali

(1) Martinus V in Concilio Constantiensi. Bened. XIV de Missae Sacr. lib. III, cap. 12.
(2) Benedictus XIV de Synodo, lib. VII, n. 5.
(3) Ritual. Rom. de Euch.
(4) Bened. XIV Instit. Eccl. LXXXIX, § 8.
(5) De Syn. dioec. lib. VII, c. 12.
(6) Instit. Eccl. LXXXIX, § 2.

tempore acceperit communionem a Parocho, ubi degebat; huic certe non est denegandum Viaticum, si publice petat, nisi forte inter tempus Paschale, quo communionem recepit et tempus quo Viaticum poscit, aliquid commisisse noscatur quo publici peccatoris notam contraxerit. Si vero validae adversus aegrotum praesumptiones, et indicia urgent, tunc S. Communionis minister debet aegrotum, remotis arbitris, alloqui, et ostendere illi indicia, quae suspectum ipsum reddunt, rogans eum ut resipiscat; ac demonstrans se quidem paratum esse illi sacrum Viaticum ministrare, et velle pro sua pietate ipsius infamiam praecavere, et idcirco eum a sacra mensa non repellit, quamvis ipsum peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in suo tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscit (1).

357. Vetitum est in Ecclesiis sine dioecesani Episcopi licentia exponere Ss. Sacramentum, simul et sepulcrum feria V Majoris Hebdomadae, in quo adorandum reponatur (2). Inopinata aegrotantium pericula mortis postulant ut panis eucharistici particulae serventur in ecclesiis parochialibus (3); facultatem vero indulgendi aliis ecclesiis, non parochialibus, custodiam Eucharistiae reservatam esse Sedi Apostolicae jure est declaratum (4). Particulae singulis binisvi saltem hebdomadis ne corruptioni exponantur renovandae sunt aeque a Latinis et Graecis. Reprobatur abusus ab octo vel quindecim diebus adservandi ad annum pro infirmis panes eucharisticos, quos Graeci sueverunt feria V in Coena Domini tantum conficere, mox residuos anni superioris vel exsiccare plus quoque servandos, vel tundere ad eosdem una cum novis recoquendos (5).

358. Pueri, nisi a suo Parocho antea, praevio examine approbati sint, ad Eucharistiam recipiendam non debent esse praesentati; moribundos vero pueros septennes qui Sacramento poenitentiae capaces fuerint, Viatico munire Parochi non dubitent (6). Quemadmodum in prima Synodo Nicaena definitum fuit, aegros divinum praeceptum urgere sese pane Eucharistico reficiendi, statutum est ut cum fidelis egreditur a corpore ultimo et necessario Viatico non privetur (7). Quod semel acceptum etsi ex una eademque infirmitate periclitantes iterare nulla lege cogantur; satius tamen procul dubio est ipsos eo iterum et pluries roborari, quoties expetant, nedum interpolatis sed proximis etiam diebus (8). Diuturno autem morbo affectos ut singulis saltem mensibus Eucharistia nutriantur commoneant, curentque Parochi quorum est illud eis per se se, vel per Sacerdotes deferre. Canonicis enim sanctionibus cautum est ne laicis sacrum Domini

(1) Bened. XIV in sua Bulla, *Ex omnibus Christianis orbis*, Bullar. T. IV, n. 51.

(2) Congr. Conc. in Neapolitana 17 aug. 1630, et S. Rit. Congr. in Neapolit. 24 julii 1659.

(3) In can. Presbyter. 92 de consecr. dist. 2.

(4) Bened. XIV constit. *Quamvis iniuste* Bull. tom. I.

(5) Bened. XIV constit. *Etsi Pastoralis* de dogmat. et ritib. Italo-Graec. et const. 47 de Syriacis et Armenis ritibus tom. IV.

(6) Bened. XIV, lib. VII de Synodo dioecesano.

(7) Can. 36.

(8) Bened. XIV de Synodo dioecesano lib. VII, cap. 12.

Corpus ad infirmos deferendi munus unquam mandetur (1).

Tempore intrusionis et persecutionis Ecclesiae licet sacerdotibus non jejunis Hostias consummare a catholicis sacerdotibus consecratas, ne in manus sacerdotum intrusorum (qui ab Ecclesiae potestate se subtraxerunt) veniant, quoties alius sacerdos jejunus non adsit, nec alia ratione consuli possit reverentiae iisdem Hostiis debitae (2).

Fideles genua flectere debent coram Hostiis consecratis ab intrusis (scilicet qui auctoritatem Pontificis respuerunt postquam legitime ordinati fuerint sacerdotes) cum in iis contineatur vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguis, una cum Anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi. Ne vero in ejusmodi cultu praestando immiscere se videantur catholici cum schismaticis, curabunt iidem catholici occasiones declinare occursus schismaticorum, cum sacramentum deferunt (3).

CAPUT VII.

DE MISSAE SACRIFICIO.

359. Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem, consummatio non erat: oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere D. N. Jesum Christum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in Ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat ut aeternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, Corpus, et Sanguinem suum sub speciebus panis, et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepit per haec verba: « Hoc facite in meam commemorationem » ut semper catholica Ecclesia intellexit et docuit (4).

360. Et quoniam in Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit, Ecclesia docet sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, et recta

(1) Can. *Pervenit* 29 de cons. dist. 2.
(2) Pius VI in sol. aliq. quaest. in regno Gallico, 1 apr. 1794.
(3) Ibid.
(4) Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 1.

fide, cum metu et reverentia, contriti, ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina, et peccata etiam ingentia dimittit; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis, cruentae, scilicet, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum per fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem offertur (1).

Et quamvis in honorem, et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet: « Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, » sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat « ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris (2). »

361. Sacramenta altaris nonnisi a jejuno celebrentur, et cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium Ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum; ut nihil in eo continetur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat, is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus (3).

362. Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur (4).

Optandum esset quidem ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas, et illicitas Ecclesia damnat, sed probat atque adeo commendat, siquidem illae quo-

(1) Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 2.
(2) Ibid. cap. 8.
(3) Conc. Carthag. III an. 397, et Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 4.
(4) Ibid. cap. 5.

que Missae vere communes censeri debent, partim, quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur (1).

363. Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus Concilliorum, et Romanis Pontificibus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiae antiquo, et a S. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre, magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit, qui frangat eis, S. Tridentina Synodus mandavit Pastoribus et singulis curam animarum gerentibus ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter caetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim Dominicis et festis (2).

364. Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitaverit, maledictum in sacris literis eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet, omnem operam, et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxime fieri potest interiori cordis munditia, et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. Cum igitur multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuria et improbitate irrepsisse viderentur, quae a tanti sacrificii dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor, et cultus ad Dei gloriam, et populi fidelis aedificationem restitueretur, sancta Tridentina Synodus decrevit ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere sedulo curent, ac teneantur, quae vel avaritia idolorum servitus, vel irreverentia, quae ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, verae pietatis falsa imitatrix induxit (3).

365. Quod ad avaritiam pertinet prohibentur cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur: nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt. Deinde ut irreverentia vitetur; singuli Episcopi in dioecesibus suis interdicant, ne cui vago et ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat. Neminem praeterea, qui publice et notorie criminosus sit, aut sacris interesse permittant; neve patiantur privatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem Or-

(1) Conc. Trid. Sess. XII, cap. 6.
(2) Ibid. cap. 8.
(3) Ibid. Decretum de observandis et evitandis in celebr. Missae.

dinariis designanda, et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi, ac nisi prius qui intersint, decenter composito corporis habitu declaraverint, se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse (1).

366. Ab ecclesiis musicas, cum quibus sive organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur, item saeculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur ac dici possit. Postremo, ne superstitioni locus aliquis detur, edicto, et poenis propositis caveant ne sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neve ritus alius, aut alias caeremoniis, et preces in Missarum celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab Ecclesia probatae, ac frequenti, et laudabili usu receptae fuerint. Quarumdam vero Missarum et candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera religione inventus est, omnino ab ecclesia removeant; doceantque populum, quis sit, et a quo potissimum proveniat sanctissimi hujus sacrificii tam pretiosus ac coelestis fructus. Moneant etiam eumdem populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, et majoribus festis, accedat.

Haec igitur omnia, quae summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis in proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quaecumque alia ad hoc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a Sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut delegati Sedis Apostolicae prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda censuris Ecclesiasticis, aliisque poenis, quae illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque (2).

367. Contingit saepe in quibusdam ecclesiis, vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a testatoribus praescriptis nequeat satisfieri; vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur, qui velit huic muneri subjicere; unde depereunt piae testantium voluntates, et eorum conscientias, ad quos praedicta spectant, onerandi occasio datur. Ecclesia autem cupiens haec ad pios usus relicta, quo plenius, et utilius possit, impleri; facultatem dedit Sancta Tridentina Synodus Episcopis, ut in Synodo dioecesana, itemque Abbatibus et Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis Generalibus Ordinum, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in praedictis ecclesiis, quas sine provisione indicere cognoverint, statuere circa haec, quidquid magis ad Dei honorem et cultum, atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire (a Romana Sede facultate impetrata) ita tamen, ut eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro

(1) Conc. Trid. Sess. XII, cap. 6. Dec. de observandis et evitandis in celebr. Missae.

(2) Ibid.

suarum animarum salute legata ea reliquerunt (1).

368. Missae de illis tantum sanctis celebrari possunt, quorum nomina descripta sunt in Martyrologio; de aliis vero, non descriptis nominatim, nec officium nec Missam celebrare posse statutum est. In diebus autem, in quibus occurrit officium ritus duplicis, non possunt celebrari Missae defunctorum, sacrificium tamen potest pro illis applicari, idque valet, etiamsi celebretur ad altare privilegiatum. Anniversaria tamen et Missae cantatae de Requiem ex dispositione testatorum dici possunt etiam in festis duplicibus; exceptis quibusdam diebus ut infra (2). Missae celebratae in altare privilegiato ad septennium (vel aliud longius, vel brevius tempus) quotidie, aut aliquibus tantum diebus hebdomadae in paramentis convenientibus festo duplici suffragantur animabus purgatorii aeque ac si dicerentur de Requiem (3). Etiam suffragantur iisdem animabus Missae celebratae ad altaria privilegiata diebus Dominicis, infra octavam Pentecostes, Paschatis, Natalis Domini, Corporis Christi, quibus diebus licet ipsi non sint ritus duplicis, Missae tamen de Requiem celebrari nequeunt. In aliquibus ecclesiis, ob corpora Sanctorum ibi degentia, vel ob insignes eorum reliquias Missae specialiter et officia celebrentur si descripta sint in Martyrologio. Missae vero votivae et pro defunctis infra octavam Corporis Christi celebrari non possunt, idque ut augeatur devotio erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, nec infra octavam Nativitatis Domini. Si vero pro re gravi celebranda est Missa votiva infra aliquam e supradictis octavis praefatio dicenda erit juxta generalem rubricam (4).

369. Celebrare Missam tempore vespertino vetitum est, et qui contra facere praesumpserint mortaliter peccant deviantes ab antiquo catholicae Ecclesiae instituto et sanctorum Patrum decretis quovis praetextu etiam licentiarum sub poena perpetuae suspensionis (5). In nocte tamen Nativitatis Domini tres Missas celebrent Presbyteri (6), sed in media nocte ejusdem Domini Nativitatis celebrata prima Missa non licet alias duas Missas ante auroram celebrare, et communionem populo exhibere (7). Prohibetur insuper sine licentia S. Sedis ante lucem Missam celebrari et Missarum caeremonias observare quisque Presbyter tenetur (8). Prohibetur item omnibus Missam celebrare in feria VI Hebdomadae Majoris celebrare (9), insuper excepta conventuali Missa solemni, quae pro sacris functionibus exequendis canitur in feria V in Coena Domini, et in Sabbato Sancto, non licet alias celebrari Missas, in quibuscumque ecclesiis et oratoriis, non obstante quacumque contraria consuetudine (10). Sed si con-

(1) Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 4.
(2) Innoc. XII *Cum sacrae* Bull. Magn. Tom. VII.
(3) Ibid. (4) Ibid.
(5) Pius V constit. *Sanctissimus in Christo* Bullar. Mag. t. II.
(6) In c. *Nocte Sancta* de consecr. dist. 1.
(7) S. C. Rit. 18 dec. 1702.
(8) Pius V constitut. *Quo primum* 1570.
(9) Can. Et sabbato de consecr. dist. 3.
(10) Sacr. Rituum congr. 11 martii 1690. Bened. XIV 15 martii 1712.

tigerit in feria V in Coena Domini festum peragi Annuntiationis B. Mariae Virginis vel Sancti Joseph tantum aliquae privatae Missae celebrentur juxta judicium Episcopi (1). Qui duas Missas celebret in uno die, non evadit damnationem. Plura enim Concilia statuerunt ut unam tantum Missam singuli sacerdotes possint celebrare sine expressa Romani Pontificis dispensatione habita pro locorum necessitate.

370. Missa celebretur in ecclesia vel oratorio ab Episcopo approbato atque benedicto; nequit celebrari in loco interdicto sine S. Sedis licentia; secus Presbyter in ecclesia publice interdicta praesumptuose celebrans in irregularitatem Summo Pontifici reservatam incurrit (2).

Solis Episcopis concessum est habere sacella privata in suis domibus, et possunt in his Missam celebrare. Extra dioecesim suam possunt pro Missae celebratione uti altari portatili seu Viatico, sine licentia illius Ordinarii intra cujus dioecesis confinia sunt. Sed nequeunt erigere altare extra domum propriae habitationis; possunt tamen uti altari portatili in privata domo, in qua hospitantur, cum in aliena dioecesi propriam domum non habeant (3). Laici vero et cuicumque sacerdotes etiamsi regulares sint, erigere nequeunt oratoria privata in propriis domibus sine licentia Romani Pontificis (4).

371. Omnes et singuli, qui actu animarum salutem exercent, non solum Parochi et Vicarii saeculares, sed etiam regulares aeque, teneantur Missam parochialem omnibus diebus festis pro populo ipsorum curae commisso applicare: quamvis congruis redditibus destituantur, quamvis immemorabili consuetudine in eorum Parochiis obtinuerint, ut Missa pro populo non applicetur, eadem nihilominus omnino ab ipsis pro populo debeat applicari (5). Parochi tenentur applicationi praedictae Missae singulis diebus festis in unaquaque ex ecclesiis paroecialibus, quae vel aeque principaliter vel subjective conjunctae sunt, atque incorporatae; cum applicatio unius tantummodo Missae pro populo locum habeat in iis paroecialibus, quae invicem adeo unitae, conjunctae, atque incorporatae sunt, ut ex duobus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit (6). Item Capellani Curati amovibiliter a Capitulo deputati pro exercitio curae animarum tenentur in omnibus et singulis diebus festis Missam pro populo applicare eadem obligatione, qua tenentur Parochi inamovibiles, et generatim quicumque sive proprio, sive alieno nomine curam habet animarum Missam debet pro populo applicare (7).

372. Quando ex Beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in Beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur (8).

(1) Clem. XI., Bened. XIV.
(2) Cap. Is qui de sent. excom. in 6 decret.
(3) Clement. XI an. 1703.
(4) Ibid. et Bened. XIV ad Polon. Ep.
(5) Bened. XIV in Const. *Cum semper oblatus*, 1744.
(6) Congr. Concil. in Lucen. die 26 febr. 1774.
(7) Congr. Concil. die 4 sept. 1869.
(8) Concil. Trid., Sess. XXIV de Reform., cap. 5.

Beneficiatus tenetur sub laethali culpa et compensationis poena per se, vel saltem per alium ad eum numerum Missarum prout mens fundatoris ex verbis colligenda permittit (1).

373. Cum vero dierum festorum observatio ad Dei cultum maxime pertineat et in lege divina praecipiatur, decretum est ut omnes dies Dominici, et praecipui in honorem Dei et Beatae Mariae Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione observentur. Omnes in diebus praefatis ecclesias frequentent, divinis officiis devote intendant, ab omni illicito et servili opere abstineant, mercatus non fiant, prophanae negotiationes et judiciorum strepitus conquiescant. Districte praecipitur ut haec diligenter observentur in illis festivitatibus etiam, quae juxta consuetudinem celebrari consueverunt. Qui contrafecerint praeter divinam ultionem alias poenas arbitrio Ordinarii subeant (2). Hinc omnes Christi fideles in omnibus diebus festis Missam audire, et si commode fieri potest ad propriam paroeciam ad Missam audiendam accedant (3); ast praecepto audiendi Missam satisfaciunt in quacumque ecclesia Missam in diebus festis auscultent (4).

374. In Conventualibus et Cathedralibus et Collegiatis ecclesiis Missa Conventualis et horae canonicae dicuntur quotidie pro benefactoribus. Nec satisfit praecepto si ea Missa dicatur pro uno benefactore tantum nec valet excusatio, si dicatur in iis ecclesiis esse statuta anniversaria et preces. Ideo enim antiquis temporibus perhibent historiae, consuevisse haberi catalogum (dicebantur dyptica) nominum eorum qui auxissent conventus (5).

375. Non potest sacerdos duplicatum stipendium pro una Missa celebranda accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti respondentem, et contraria propositio damnata fuit ab Alexandro VII, sicuti etiam damnata fuit propositio asserens: « Non esse contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam esse contra fidelitatem, etiamsi promittatur cum juramento stipendium danti, quod pro nullo alio offeratur (6). Circa determinationem eleemosynae attendenda est consuetudo loci, vel Synodalis lex quatenus sit: sin minus statuenda est per Episcopum eleemosyna competens, ejus arbitrio (7). Juxta morem regionis et ejusdem Ordinarii arbitrio taxanda est eleemosyna pro qualibet Missa per Regulares in eorum ecclesiis celebranda (8). Prohibere tamen non potest Episcopus ne aliquis eleemosynam celebranti pinguiorem sua sponte offeratur (9). Bene prohibere potest Episcopus et poenam imponere celebrantibus pro minore quantitate taxae (10). Sed si

(1) S. Cong. Conc. 17 sept. 1683.
(2) Pius V, Const. *Cum primum*, 1566.
(3) Pluribus Constitut. Pontific. et Concilii decr.
(4) Bened. XIV de Synodo dioeces., Lib 7, cap. 64.
(5) Bened. XIV *Cum semper*, Bullar. Mag., Tom. 16, pag 214.
(6) Alex. VII *Prima*, Constitut. n. 8 in Bull. Mag.
(7) Sacra Congr. Concil. 15 nov. 1698.
(8) Eadem Congr. Conc. sub die 15 jun. 1639.
(9) Eadem Congr. contra Episc. Pistojen. 16 jun. 1649.
(10) Eadem Congr. die 6 julii 1689.

minorem taxam acceperit sacerdos debet Missam celebrare. Nam pro pluribus Missis celebrandis stipendia quantumcumque exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum sacerdotibus et clericis, mandatum est sub attestatione divini judicii ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint (1).

376. Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removeri decretum est: ac proinde prohibetur sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat (2). Quemcumque igitur qui stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt colligens Missas, retenta sibi parte eorumdem stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem, praeter alias arbitrio Ordinarii irrogandas poenas, excommunicationis poenam, clericum vero sive quemcumque sacerdotem poenam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo, statutum est, absolvi posse (3). Haec prohibitio valet etiamsi sacerdos celebraturus per minorem partem stipendii consentiat, sciens alterum majoris pretii eleemosynam accepisse (4).

377. Prohibitio haec non habet locum in Beneficiis; sed satis est ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione Beneficii aliud cautum fuerit (5). Idem licet Capellano amovibili modo pro Capellania certi redditus sint annuatim constituti, et perpetuo Capellano assignati: secus vero, si hujusmodi Capellano pro qualibet Missa celebranda certa detur eleemosyna (6). Quando in fundatione Beneficii, seu Capellae expresse autem adest non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium et unica Missa satisfacere obligatione Beneficii, seu Capellae, et item danti novum stipendium (7). Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellae, seu legati, aut salarii, si eleemosyna pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non possunt eadem Missa obligationi satisfacere (8). Celebrans tenetur applicare Missam pro testatore, semper hac in fundatione nulla sit adjecta declaratio, ad cujus suffragium applicandum sit sacrificium. Idem dicendum de Capellanis Confraternitatum et Monialium, qui celebrant ut confratres vel moniales satisfaciant praecepto audiendi Missam (9). Ca-

(1) Eadem Congr. jussu Urbani VIII.
(2) In dec. Congr. quoad id approbato ab Urbano VIII et confirmato ab Innocent. XII.
(3) Bened. XIV Encycl. a 30 junii 1741 quoad curas.
(4) Bened. XIV ibid.
(5) Innoc. XII in Bulla Nuper.
(6) S. Congr. Conc. 15 martii 1745.
(7) S. C. Concil. die 13 julii 1630.
(8) Decreto quoadem Conc. ab Innoc. XII.
(9) Congr. Conc. die 18 mart. 1686 ex 6 febr. 1627.

pellani vero aut beneficiati celebrantes pro Capellania si dotis assignatae capitale sine eorum culpa infructiferum est et otiosum possunt cessante redditu celebrationem Missarum suspendere (1).

378. Permittendum non est ut loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam minimam portionem retineant ratione expensarum in Missarum celebratione, nisi alios non habeant redditus; tunc nullatenus debent excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet Missae sacrificio necessariae sunt subeundae (2). Rector ecclesiae non tenetur ad subministranda utensilia iis, qui celebrant in sua ecclesia, ex obligatione Beneficii sive Capellaniae. Quoad vero Missas adventitias tenetur ad dictam subministrationem, quatenus permittat eas in sua ecclesia celebrari, nec tenetur ad has Missas adventitias admittendas, nisi solitis utensilibus, pro celebrantibus (3).

379. Districte prohibetur atque interdicitur ne Episcopi in dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis aut moderandis aut commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit omnino nullas atque inanes esse decernitur (4).

380. Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis, stipendia quantumcumque incongrua et exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerint, ac conferentur in futuram sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam saecularibus, quam regularibus, sub obtestatione divini judicii praecipitur, atque mandatur ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint; ita ut alioquin ii ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccant, et ad restitutionem tenentur (5).

381. Sacerdos qui sacrum facere quotidie per se ipsum debet, potest aliquando illud omittere, tum quia ea praesumitur voluntas fundatoris, tum ad majorem pietatem sibi comparandam (6); non tamen potest quae diu vacat, sacrum agere, et alicui attribuere perceptam eleemosynam (7).

Cum in alicujus forte ecclesiae capella celebrandarum Missarum multas Rector eleemosynas receperit, si eae quae supersunt in aliis altaribus ejusdem ecclesiae celebrentur, injunctum simul est, ut deinceps fideles eleemosynas oblaturi ea de re mo-

(1) Sacra Congr. Conc. die 8 augusti 1705.
(2) Sacra Congr. Conc. Innoc. XII jussu.
(3) Eadem Congr. 6 julii 1726.
(4) Urbanus VIII Const. *Cum saepe contingat*, 1625.
(5) Ibid.
(6) Et cap. significatum de Praebendis.
(7) De sacr. Miss. Bened. XIV, Lib. 3, cap. 22.

neantur, scripta tabella in loco visibili ecclesiae exposita (1).

Missa celebranda est ab aurora usque ad meridiem, toleratur tamen anticipatio tertiae horae partis, et prorogatio tertiae horae partis post meridiem (2).

Nemo ignotus sive saecularis sive regularis admittendus est ad Missam celebrandam, nisi adductis testimonialibus iisque visis et approbatis ab Episcopo; idque praecipi potest ab eodem Episcopo quoad sacerdotes regulares saltem exteros (3).

Peccat sacerdos celebrans sine ministro. Nemini licet ab altari recedere coepta Missa, relicto alio sacerdote, ut reliqua suppleat (4). Quod idem vetitum est sub poena suspensionis ferendae sententiae dummodo sit post consecrationem.

Sacerdotes saeculares in ecclesiis Regularium, illorum Missam legere vetatur, sed utendum est illis Romano Missali, ita tamen ut possint de Sancto de quo Regulares illi agunt officium, Missam recitare, eam desumendo ex communi Missalis Romani, ut pro Capellanis et Confessarius monialium decrevit S. Congregatio Rituum, Clemente XI approbante.

Praecipitur speciali praecepto obligante sub mortali omnibus Christi fidelibus usum rationis habentibus, non autem infantibus atque catechumenis, ut in omnibus diebus festis Missam audiant, hoc est humana et morali assistentia et reali praesentia interesse debeant (5).

382. Praeterea ne in ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, statuitur atque decernitur, ut pecuniae aut bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam saecularibus, quam regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim debeant penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam; ad effectum illa, seu illarum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur (6).

383. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, earumdem pretium sub eadem poena, ut supra, deponi atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat. Insuper omnibus quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus et Congregationibus, nec non omnibus et singulis ecclesiarum, ac piorum

(1) Bened. XIV. De Synodo dioeces., Lib. 7, c. 7.
(2) Bened. XIV inst. Eccl. 12.
(3) De Synod. dioeces., Lib. 7.
(4) Can. Nullus Episcopus de Const. dist. 1, ex cap. *Proposuisti*.
(5) Missas de consecr. dist. 2, et Cap. Omnes fideles.
(6) Urbanus VIII Constit. *Cum saepe contingat*.

locorum, tam saecularium quam regularium superioribus vel aliis ad quos pertinet, districte prohibetur, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, saeculares quidem sine Episcopi, vel ejus generalis Vicarii; Regulares vero sine Generalis, vel Provincialis consensu, et licentia in scriptis, et gratis concedenda; alioquin saecularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso: Regularis vero poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de caetero obtinenda, vocisque activae ac passivae, absque alia declaratione incurrat (1). Eleemosynas vero manuales, et quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas non habeant in ecclesiis cum inscriptione illa ELEEMOSYNA PRO MISSIS, vel alia simili sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustentur (2).

384. Episcopus vero, seu ejus Vicarius aut Generalis, aut Provincialis, ubi de licentia pro perpetui oneribus fuerint requisiti in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique ecclesiae, monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut redditus, qui ecclesiis, et locis piis relinquantur, omnino respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusve civitatis, vel provinciae; intelligantque si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus praetermissi muneris rationem esse reddituros (3).

385. Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missae, sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacumque consuetudine (4). Nec Parochis Sacrosanctum Eucharistiae ministraturis Sacramentum infirmis non est licitum de die, nocteque uti parvo pileolo, sub praetextu infirmitatis, absque ejusdem Sanctae Sedis licentia (5); nec quilibet sacerdos potest Missam celebrare cum caesarie ficta sine S. Sedis facultate (6). Quae facultates et licentiae concedi nequeunt nec ab Episcopis nec a Nuntiis Apostolicis, speciatim relate ad facultatem comas fictas in celebratione Missae ferendi (7). Altari enim Dei non nisi detecto ac nudo capite nemo unquam assistere praesumat sub poena suspensionis a divinis (8). Omnibus districte mandatum est, in virtute sanctae obedientiae, ut Missam juxta ritum, modum, et normam in Missali praescriptam decantent et

(1) Urbanus VIII Constit. *Cum saepe contingat.*
(2) Ibid. (3) Ibid.
(4) Urbanus VIII in Missal Rom.
(5) Sac. Congr. Rit. 13 aug. 1695.
(6) Ead. Congr. 3 aug. 1652.
(7) Innoc. XI ad Episc. Coloniens. die 21 martii 1689.
(8) Innoc. XI ad Episc. Coloniens. die 21 martii 1689.

legant. Neque in Missae celebratione alias caerimonias, vel preces addere vel recitare praesumant (1). Sacerdos autem maxime curare debet, ut quae clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quae legit; nec nimis morose, ne audientes taedio afficiat: neque etiam voce nimis elata ne perturbet alios, qui fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrant, neque tam submissa ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi, quae devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quae leguntur intelligant, quae vero secreta dicenda sunt ita pronunciet ut ipsemet se audiat et a circumstantibus non audiatur (2).

386. Juxta canonicam disciplinam Eucharistia in ecclesiis, quae parochiales non sunt retineri non potest absque Apostolico indulto vel consuetudine immemorabili (scilicet centenaria) quae hujusmodi indulti praesumptionem inducit (3). Non licet exponi publice divinam Eucharistiam, nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerit (4). Nec licet Regularibus etiam in eorum propriis ecclesiis Ss. Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi eadem causa publica, quae probata sit ab Ordinario. Ex causa privata autem possunt, dummodo Ss. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et sit velatum, ita ut ipsa Sacra Hostia videri non possit (5). Si quandocumque privata ex causa Sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, quin nunquam extrahatur a tabernaculo, pyxide velata in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo, cum assistentia alicujus sacerdotis stola et superpelliceo induti, et cum sex saltem lumineis cereis collocetur. Quod idem in ecclesiis tam saecularium quam regularium servari statutum est (6). Notandum etiam quod prohibitum omnino est apponi statuas, reliquias Sanctorum in altari, ubi sit expositio (7). Si autem Ss. Eucharistiae Sacramentum non debet a tabernaculo educi, facile intelligitur in designatis casibus non esse illud afferendum ad ecclesiae januam, nec cum eodem benedictionem impertiendam. Neque enim fas esse cuique debet privata auctoritate novum inducere ritum (8). Et quoties aliquem ritum ejusmodi induci contingerit, nihil continentem pietati oppositum, Apostolica Sedes eumdem interdicere non dubitavit ex quibusdam extrinsecis circumstantiis nullatenus praevisis vel neglectis ab eo, qui ritum invexit (9).

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

387. Universa Ecclesia semper intellexit institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et

(1) Pius V in Decr. appos. in fronte Missal. 7.
(2) In Rubr. Missal.
(3) Ben. XIV, *Quamvis justo*, 30 apr. 1749.
(4) Bened. XIV, decr. 16 apr. 1746.
(5) Congr. Conc. 17 aug. 1630.
(6) Sacra Congr. Episc. et Reg. die 9 dec. 1602.
(7) Decr. Innoc. XII, die 1 sept. 1730.
(8) Bened. XIV in Bulla *Cum ut recte nostis*, Bullar. tom. IV.
(9) Concil. Trid. Sess. 7, can. 13 a Bened. XIV citat. in eadem Bulla.

omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere; quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad coelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam praesides, et judices, ad quos omnia crimina deferantur, in quae Christifideles ceciderint: qui, pro potestate clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, sacerdotes judicium hoc, incognita causa exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent. Oportet igitur a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi praecepta commissa, quae nonnunquam animum gravius sauciunt et periculosiora sunt iis, quae in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte, et utiliter, citraque omnem praesumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt (1),

388. Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines irae filios et Dei inimicos reddant; necessarium est omnium etiam veniam, cum aperta, et verecunda confessione a Deo quaerere. Itaque dum omnia quae memoriae occurrunt, peccata Christifideles confiteri student, procul dubio omnia divinae misericordiae agnoscenda exponunt, qui vero secus faciunt et scienter aliqua retinent, nihil divinae bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. In confessione eae circumstantiae autem sunt explicandae, quae speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa nec a poenitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam, quam oportet, pro illis poenitentibus imponere. Unde alienum a ratione est docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe, peccasse in fratrem. Sed et impium est, confessionem, quae hac ratione fieri praecipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiae suae sinus omnes, et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, et Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: « Ab occultis meis munda me, Domine. » Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis et consolationibus levaretur,

(1) Conc. Trid. XIV, Cap. 5, ex c. de quot. de poen. dist. 3.

quae omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur (1).

389. Quarti hujus Sacramenti (id est poenitentiae), materia quasi remota et necessaria est omne peccatum mortale, post Baptisma, commissum; sufficiens et non necessaria est omne veniale, post Baptismum, commissum, vel etiam mortale alias rite confessum. Materia proxima vero sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero. Secunda est oris confessio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quae quidem praecipua sit per orationem, jejunium, et eleemosynam. Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert cum dicit: «Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti (2).» Orationes praeviae et subsequentes, quae juxta Tridentinam Synodum laudabiliter adduntur, non sunt necessitatis, et ex causa rationabili possunt amitti, quae preces simul cum verbis formae Sacramenti constituunt formulam a Clemente VIII et a Paulo V constitutam, in Rituali Romano servatam, quae est: « Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam, Amen. Indulgentiam absolutionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus, Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis (quae vox circa laicos omittitur) et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi et merita Beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris vel mali sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae, Amen. »

390. Confessio debet esse oralis; merito damnata est propositio asserens licere per literas, seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere. Nec unquam haec propositio tamquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quoquo modo deducatur sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda et Romano Pontifici reservata (3).

Si aliqui aegritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia ejus fidelium et circumstantium prodesse debebunt, ut simul et poenitentiam et reconciliationis beneficium consequantur (4). Si Presbyter poenitentiam negaverit moribundo reus erit

(1) Conc. Trid. XIV, Cap. 5 et c. de quot. de poen. dist. 3.

(2) Eug. IV in decreto pro Armenis *Exultate*, 1439.

(3) Clement. VIII in Const. edit. 29 junii 1602.

(4) S. Leo in Epist. 89 in c. *Is qui*, causa 26, q. 6.

animarum (1). Ne permittatur ut venialium confessio fiat sacerdoti non approbato ab Episcopo. Si quicumque sacerdotes secus egerint sciant Deo se rationem esse reddituros (2). Curati unius dioecesis vocati a Parochis alienae dioecesis possunt absque licentia Episcopi audire confessiones subditorum, non vero aliorum (3). Qui per concursum Paroeciam acceperit, idoneus judicatur ad excipiendas confessiones dumtaxat in ea civitate, seu oppido, ubi sita sit parochialis ecclesia, non autem passim per totam dioecesim (4). Sacerdotes tam saeculares, quam regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus non possunt confessiones excipere extra tempus, vel locum, vel genus praescriptum (5). Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari non intelligitur ignorantes, dummodo tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina (6). Regulares ad confessiones excipiendas approbati possunt in dioecesi, in qua fuerunt approbati confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi iidem confessarii sunt approbati, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverint in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse (7).

(1) Can. Si Presbyter.
(2) Innoc. XI de Communione quotidiana, 12 febr. 1679.
(3) S. C. Conc. 19 januar. 1641. (4) Ibid.
(5) Innoc. III *Apostolici ministerii.*

391. Secreti lex relate ad peccata in confessione audita a confessariis divina est. In Concilio Lateranensi decretum atque declaratum fuit poenis Ecclesiasticis transgressores hujus naturalis et divinae legis subesse. Proscripta est haec propositio atque damnata, quae docet scientiam ex confessione auditam uti licere, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur (8).

Caeterum quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ab Ecclesiae offensae aedificationem delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta praesertim secreta publica essent confessione aperienda. Unde cum a Sanctissimis Patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata: manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienum, et inventum humanum esse, quod est jure divino necessarium et institutum (9).

392. Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice et in

(6) C. 2 de Constitut. in 6.
(7) Clem. X Const. *Superna,* 21 junii 1670.
(8) Innoc. XI an. 1682.
(9) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 5.

multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam evocet vitam. Episcopus tamen publice hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire (1).

Christi fideles praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenerint impleatur, quod decretum fuit ab Innocentio III per Lateranense Concilium. Insuper mos ille salutaris, qui in universa Ecclesia observatur, confitendi scilicet sacro quadragesimae tempore tamquam pius maxime probatur et merito erit retinendus (2).

393. Quamvis presbyteri in sua ordinatione absolvendi potestatem recipiant, nullus tamen eorum hanc potestatem exerceri queat sine Ordinarii licentia. Presbyter igitur nec confessiones saecularium potest nec sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quae gratis detur obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus (3).

Sacerdos approbatus ab Ordinario in sua dioecesi ad audiendas confessiones, si ad aliam dioecesim se transferat, non potest eas audire, nisi approbetur ab illo Ordinario, in cujus dioecesim migravit; immo nec in hac dioecesi potest accipere confessionem ejus, cujus erat confessarius in alia, sine praedicta approbatione (4). Regularis semel approbatus in confessarium monialium non potest semper earumdem confessiones audire, sed toties est approbandus, quoties eligitur. Regulares designati a suis superioribus ad audiendas confessiones Regularium propriarum domorum possunt audire confessiones laicorum inservientium in monasterium aliorumque in hoc perpetuo morantium quia censentur hi de familia, quin hi regulares ab Episcopis probentur examine (5). Mortuo Episcopo regulares approbati possunt confessiones audire saecularium in propriis ecclesiis, donec provisum fuerit de Pastore. Nec subjiciuntur examini praebendo Vicario capitulari. Novo succedente Episcopo regulares possunt vocari ad novum examen, non vero si succedat novus in spiritualibus Vicarius Episcopi.

394. Episcopus potest suspendere a confessione quoscumque et revocare licentias quin teneatur cuiquam hujus rei rationem reddere pro hac suspensione. Non potest Episcopus vero omnes regulares ejusdem domus vel conventus ab audiendis confessionibus suspendere inconsulta Apostolica Sede (6).

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 8 de Refor.

(2) Conc. Later. sub Innoc. III, c. 21, c. *Omnis utriusque sexus*, de poenit. et remiss.

(3) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 15 de Reform.

(4) Clemens XIV. *Supremi Apostolatus*.

(5) Clemens IV apud Joan. Bapt. Confect.

(6) Clemens X Const. *Superna*, tom. 7, Bull. Rom.

395. Ordinarii omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, et locorum universis orbis Christiani in suis respective dioecesibus diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, et procedant contra omnes, et singulos sacerdotes, tam saeculares, quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicae immediate subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum, et cujuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio et indulto munitos, qui poenitentem quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post, vel occasione, vel praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionale, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint, et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate ex circumstantiis severe animadvertant per condignas poenas (1).

396. Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti teneri se, ac obligari suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, solicitatos sedulo monere juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denunciandi locorum Ordinariis praedictis personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam affluxerit, aut sollicitatio a confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos sacramentalem absolutionem impertiant nisi prius denunciationem praedictam ad effectum perducentes delinquentem judicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt delaturos spondeant ac promittant.

397. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, aliorum impiis suasionibus vel promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati tremendo Dei judicio posthabito, et Ecclesiae auctoritate contempta innoxios sacerdotes apud Ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coërceatur, quaecumque persona, quae execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per ipsum innocentes confessarios impie calumniando vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque sacerdote quovis pri-

(1) Gregor. XV et Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae*, 1741.

vilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a Pontifice Romano et Sanctae Sedi, nisi in fine vitae et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quae reservata est, perpetuo careat (1).

398. Interdicitur et prohibetur insuper omnibus et singulis sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus quovis privilegio et indulto etiam speciali, expressa et specialissima nota et mentione digno suffultis Auctoritate Apostolica ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc alio sacerdote qui confessarii munus obire possit confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata praeterea illi ipso quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ad hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita sit omnino, tamquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per Apostolicam auctoritatem adimere Pontifices intenderunt, et nihilominus si quis confessarius secus facere ausus fuerit majoris quoque excommunicationis poenam, a qua absolvendi potestatem sibi Pontifices Romani dumtaxat reservarunt ipso facto incurrunt: declaratum etiam est atque decretum quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilaei aut etiam Bullae, quae appellatur Cruciatae sanctae, aut alterius cujuslibet indulti confessionem dicti complicis hujusmodi quisnam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc casu nullus confessarius, utpote, qui in hujusmodi peccati et poenitentis genere jurisdictione, ut praefertur, careat, et absolvendi facultate privatus existat habendus sit pro confessario legitimo et approbato (2).

399. Praecipitur insuper ut omnes locorum Ordinarii existentes in approbatione confessariorum Constitutionem Gregorii XV et Benedicti XIV, quae haec omnia continent, omnibus sacerdotibus approbandis attente legi et accurate observari curent, moneantque eos in Domino atque hortentur, ut sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos ut Ministros Christi et dispensatores Mysteriorum Dei. Declaratur praeterea singulis, ut supra, sacerdotibus quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in praedicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, ita interdici re ipsa et prohiberi praedicto modo tunc audire et absolvere, ut si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo sacerdos fuerit, sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, pos-

(1) Gregor. XV et Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae*, 1741.

(2) Bened. XIV *Apostolici muneris*, 1745.

sit nihilominus ipse sacerdos simplex confessionem excipere et absolutionem impertiri. Porro si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutus in dicto articulo personae confessionem vocari aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo nequeat, tunc alium sacerdotem perinde haberi censeriqué posse, ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impartiri. Sciat autem complex ejusmodi sacerdos et serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest reum gravis adversus constitutiones Pontificum inobedientiae latisque in eis poenis obnoxium si praedictae infamiae vel scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt; imo intelligat teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, ante revertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis absque ullius infamia vel scandalo audiendae. Ita enim ipsum teneri declaratum est. Quod si idem sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere se industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicis, eoque in articulo ut praefertur constitutae sacramentalem confessionem excipere, ab eo que crimine absolutionem nulla necessaria causa cogente praesumpserit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte poenitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Poenitentiae valorem requisitae non defuerint (non intenditur autem pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti quantumvis indigno necessariam jurisdictionem auferre ne hac ipsa occasione aliquis pereat) : nihilominus sacerdos ipso violatae ausu hujusmodi temerario legis poenas nequaquam effugiat : ac propterea latam majorem excommunicationem, Sanctae Romanae Sedi reservatam incurrit. Non obstantibus quibuscumque (1).

400. Omnibus et singulis confessariis utriusque cleri tam saecularis, quam regularis quantumvis exempti, et quacumque speciali et expressa mentione alias fortasse nominandi, graviter et districte, divini interminatione judicii, atque in virtute sanctae obedientiae prohibetur ne poenitentes qui peccatum seu crimen aliquod, cujus socium, aut socios habuerint, ipsis in tribunali Poenitentiae confiteantur, interrogare praesumant de nomine socii, seu complicis, loco habitationis vel aliis hujusmodi adjunctis, sive circumstantiis, expressionem magisque individuam ejusdem complicis manifestationem concernentibus, eidem poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando : alioquin noverint se se ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio

(1) Bened. XIV decr. *Apostolici muneris*, 1745.

audiendarum confessionum aliisque etiam gravioribus poenis fore subjiciendos (1).

Quicumque vero cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis, et ordinis etiam speciali et individua ad effectum, ut in supradicta prohibitione comprehendantur, mentione et expressione dignus ausus, in posterum fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, reprobatam articulo praecedenti, vel scribere, aut loqui praesumpserit in ejusdem damnatae praxis defensionem: vel ea, quae contrae praxim decreta sunt a Summis Pontificibus impugnare aut in alienos sensus detorquere, seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio quocumque etiam dignitate fulgente, vel auctoritate suffultu, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

401. Est denuntiandus confessarius, qui poenitenti dat chartam in confessione, postea legendam in qua ad venerem sollicitabat. Item si consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii (supra recensitas contra sollicitantes) et est denuntiandus. Pariter sollicitans in parvitate materiae, quia in venereis, et in hujusmodi sollicitatione non datur materiae parvitas. Sacerdos, qui jurisdictione caret si in confessionario poenitentem sollicitat est denuntiandus. Pariter si confessarius et poenitens invicem se sollicitant. Item si confessarius metu inductus sollicitationi consensit. Insuper est denuntiandus confessarius qui propter sollicitationem alterius abjuravit (2).

402. Quoniam igitur natura, et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et Tridentina Synodus confirmavit, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus Ecclesiae visum est, ut atrociora quaedam, et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur: unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique dioecesi in aedificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate; praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis

(1) Bened. XIV Const. *Ubi primum*, 1746.

(2) Congr. Supr. Inquis. 11 febr. 1661 et a Bened. XIV approb. in Bulla Sacramentum

pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt, extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant (1).

403. Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sanctae Sedi reservatis non ideo possunt absolvere a casibus reservatis ab Episcopo in sua dioecesi absque licentia ejusdem Episcopi. Si aliquis poenitens alicujus dioecesis, in qua quidam casus est reservatus ad aliam dioecesim se conferat, in qua ille idem casus non est reservatus, potest ab eo casu a confessario absolvi, modo id non noverit confessarius factum esse a poenitente in fraudem.

Regulares possunt absolvere in foro conscientiae quoad censuras si hujusmodi facultate gaudeant non quoad judiciale forum seu quoad externum tribunal (2).

404. In omnibus etiam Cathedralibus ecclesiis ubi commode id fieri poterit, poenitentiarius aliquis, cum unione praebendae proxime vacaturae ab Episcopo instituatur, qui magister sit, vel doctor, aut licentiatus in theologia vel jure canonico, et annorum quadraginta, vel alias, qui aptior pro loci qualitate reperiatur: qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur (3). Praebenda vero tam theologi, quam poenitentiarii etiam postquam est effectum, sortita, non subjaceat optioni (4). In mensibus Apostolicae Sedi reservatis praebenda vacans non potest erigi in praebendam poenitentialem, sine ejusdem Romanae Sedis licentia atque auctoritate (5).

Poenitentiarius Cathedralis, cum ordinariam habeat jurisdictionem in tota dioecesi, in qua poenitentiarius in officium stabile erecta est, potest omnes ejus dioecesis incolas et etiam extra dioecesim subditos propriae dioeceseos absolvere (6).

CAPUT IX.

DE EXTREMA UNCTIONE.

405. Instituta est sacra Unctio infirmorum tamquam vere et proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro. Apud Marcum quidem insinuatum est per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum: « Infirmatur, inquit, quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, dimittentur ei (7). »

(1) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 7 ex can. *Si Episcop.* de poen. in 6. Cap. *Si quis suadente,* 17, 9, 4. Cap. *Ita quorumdam,* cap. conquesti de sent. excom. et alibi.

(2) Clemens X anno 1670, *Superna;* Bullar. Mag. tom. 6.

(3) Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 8 de Ref.

(4) Congr. Conc. 1 martii 1598.

(5) Sacra Congr. Conc. apud Gonzales ad reg. 8 Cancell. gloss. 9, § 2, n. 84.

(6) Innoc. XII *Cum sicut,* 19 apr. 1700: Bened. XIV *Apostolica indulta,* 5 aug. 1744.

(7) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 1.

406. Jam vero, quod attinet ad praescriptionem eorum, qui et suscipere, et ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis praedictis traditum; nam et ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiae presbyteros; quo nomine eo loco, non aetate seniores aut primates in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyterii.

407. Haec Unctio infirmis est adhibenda, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur; unde et Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt cum in aliud simile vitae discrimen inciderint (1). Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent hanc Unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum (2).

408. Hujus Sacramenti materia est oleum olivae ab Episcopo benedictum (3). Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet, qui in his locis ungendus est, scilicet in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibi vigentem. Forma est haec: « Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (ungendo oculos), per auditum (ungendo aures), per odoratum (ungendo nares), per gustum et locutionem (ungendo os, compressis labiis), per tactum (ungendo manus), per gressum (ungendo pedes), per lumborum delectationem (ungendo lumbos sive renes) deliquisti. »

409. Debet autem hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui cum ad usum rationis pervenerint; tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur: et iis, qui prae senio deficiant, et in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate. Infirmis autem, qui dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur. Sed si infirmus, dum phrenesi, aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino (4).

Impoenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur et excommunicatis, et nondum baptizatis, penitus denegetur. Non ministretur etiam praelium inituris, aut

(1) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 3 exc. *Illud supplicandum*, 95 dist. cap. Ecce ego, § Presbyteri, dist. 95.

(2) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 2.

(3) Ita Episcopalis benedictio est de necessitate Sacramenti, ut inutiliter administretur, etiamsi extrema necessitas adsit, cum oleo a simplici sacerdote sine pontificis delegatione benedicto. Paulus V 14 januarii 1655; Greg. XVI 4 sept. 1842; Pius IX 10 januarii 1850, et pluries Congr. Inquisit.

(4) Ritual. Rom. de Sacram. Extrem. Unct.

navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus.

410. Si quis autem laborat in extremis, et periculum immineat, ne discedat antequam finiantur unctiones, cito ungatur, si adhuc supervivat dicantur orationes praescriptae in Rituali. Quod si dubitetur an vivat priusquam ungatur infirmus, sub conditione pronuntiabitur forma. Si vero dum ungitur infirmus decedat, presbyter ultra non procedat, et orationes in Rituali praescriptas omittat. Si autem acciderit, infirmum post peccatorum suorum confessionem ad exitum vitae properare, tunc cum sacro Viatico poterit extremam Unctionem suscipere per ipsum sacerdotem, qui defert sacram Eucharistiam. In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, aut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit. Ne Sacramentum hoc ministretur iis qui gravi morbo laborant: quoties viaticum infirmis ministratur, statim et ministrari potest extrema Unctio; quia censetur infirmitas grave periculum vitae inducere (1). In mulieribus, honestatis gratia, unctio renuum semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet. Manus vero, quae reliquis infirmis interius ungi debent, presbyteris exterius ungantur.

Dum oculos, aures, et alia corporis membra, sacerdos ungit, quae paria sunt, caveat, ne alterum ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo paria hujusmodi membra perunxerit. Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.

Sacrae Unctionis extremae olea loco nitido et decenter ornato, in vase argenteo, seu staneo diligenter a Parocho habeantur; et in ecclesia in sacrario clavibus custodito asserventur, nec potest a Parocho domi retineri excepto casu magnae distantiae ab ecclesia, quo in casu omnino serventur domi (2). Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se, vel per alium sacerdotem, vel saltem per alium Ecclesiae ministrum haec olea deferantur: caveat item, ne de iis quidquam unquam tribuat cujusvis rei praetextu (3).

Minister hujus Sacramenti (ut in art. 405) est sacerdos. Legitur enim in actibus Apostolorum: « Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. » Effectus hujus Sacramenti est mentis sanatio et in quantum expedit ipsius etiam corporis (4).

CAPUT X.

DE ORDINE.

411. Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum

(1) Bened. XIV in Bulla *Ex quo*.
(2) S. R. C. 16 dec. 1828.
(3) Rit. Rom. de Extr. Unct.
(4) Eug. IV in decr. pro Arm. saepe cit.

igitur in novo Testamento sanctum Eucharistia sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse atque Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi Corpus et Sanguinem ejus, nec non et peccata dimittendi, sacrae literae ostendunt et catholicae Ecclesiae traditio semper docuit (1). Cum sacrae Scripturae testimonio Apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, ordinationem esse vere et proprie unum ex septem sanctae Ecclesiae Sacramentis. Inquit enim Apostolus: « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis (2). Si quis dixerit non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata retinendi; sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi Evangelium, vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes; anathema sit. Si quis dixerit praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, et majores, et minores per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; anathema sit. Si quis dixerit Ordinem, sive Ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam, humanum excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros Dei et sacramentorum; anathema sit. Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum ac proinde frustra Episcopos dicere: « Accipe Spiritum Sanctum, » aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit. Si quis dixerit, sacram unctionem quo Ecclesia in sancta ordinatione utitur; non tantum requiri, sed contemnendam, et perniciosam esse; similiter et alias Ordinis caeremonias; anathema sit (3).

412. Prima tonsura non initientur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saecularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse (4). Ne promoveantur inhabiles et indigni ab Episcopo, qui nulla vocatione ducuntur, sed tantum respicientes commodum suum. Ne Episcopus ordinet quemquam ante legitimam statutam aetatem. Ne permittant Episcopi clericos sibi subjectos ab alio Episcopo ordi-

(1) Conc. Trid. Sess. XIII, cap. 1.
(2) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 3.
(3) Ibid. can. 1, 2, 3, 4, 5.
(4) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 4.

nari, ut antea eorum mores conversationemque inquirant, et eos de scientia examinent; etiam natalia legitima aetatemque eorum scire velint. Eos vero in quibus aut omnes hae conditiones, aut earum pars aliqua desit, ne ordinent. Poena suspensionis ab acceptorum ordinum exercitio subjaceant clerici male promoti. Episcopus autem haec non servans est ab officio suspensus et a perceptione fructuum, nec ab his poenis illos, atque hunc potest aliquis absolvere nisi Romanus Pontifex; poenitentiarii quibuscumque etiam Romanae Poenitentiariae, etiam tempore Jubilaei vetitum est has poenas relaxare (1).

413. Nullus Episcopus promoveat exteros ratione originis et domicilii, quamvis sibi essent subditi ratione beneficii, et eum, qui non habeat testimoniales Ordinarii sui ratione originis et domicilii. Est considerandum beneficium, tamquam titulus justus si detractis oneribus sufficiat honestae clerici sustentationi; si non sufficiat, ad ejus titulum non est clericus ordinandus. Nomine porro originis intelligitur locus, in quo natus est pater clerici, et in quo est domus clerici; nativitas enim accidentalis nihil efficit, sicut nihil facit mora accidentalis, sicut litis vel studii in aliqua urbe. Et si pater alio se transferat e loco, ubi natus est, cum animo ibi morandi, et revera ibi moretur, domicilium dicitur. Domicilium facit clericum subditum Episcopo loci, in quo cum sua familia commoratur, ubi domum habet. Si igitur clericus in ea aetate, in qua possit esse obnoxius canonico impedimento discesserit e loco originis, ad accipiendos ordines, indiget etiam testimonialibus Episcopi loci originis; si vero in tenera aetate cum suis consanguineis inde migraverit, non indiget. Item nullus Episcopus subditum alienae dioecesis, licet familiarem suum, ordinet, absque testimonialibus Episcopi originis vel domicilii; sin autem per integrum triennium in suo actuali servitio eum retinuerit, potest eum absolute ordinare, modo illi statim beneficium conferat. Episcopus denique clericos sibi quoque modo subditos ab aliis Episcopis ordinatos, etiam cum suis commendatitiis, si in suam dioecesim redeant, debet eos recognoscere, perquiratque num officium suum adimpleverint, num laudabiliter se gesserint. Ordinarii aliter ordinantes suspendantur ab ordinatione per annum et secus ordinati suspendantur, ab exercitio suorum ordinum, aliisque poenis et illi et hi subjiciantur (2).

414. Ad minores ordines promovendi bonum a Parocho et a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant. Si vero, qui ad singulos majores erunt assumendi per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat ut nominibus ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et literas testimoniales i-

(1) Sixtus V Const. *Sanctum et salutare*, Bullar. Magn. tom. 2.

(2) Innoc. XII Constitut. *Speculatores domus*, An. 1694, Bull. tom. 3.

psam inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum quam primum transmittat (1).

415. Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus constitutus ante decimum quartum aetatis annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi et beneficium Ecclesiasticum habeat: aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat; vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur (2) clericus, qui cum unica et virgine contraxit, si tonsuram et vestes deferat clericales, privilegium retineat canonis (3) modo hic clericus alicujus ecclesiae servitio, vel ministerio ab Episcopo deputatus eidem ecclesiae serviat vel ministret, et clericali habitu et tonsura utatur; nemini, quoad hoc, privilegio vel consuetudine etiam immemorabili suffragante (4). Clericus ut fori privilegium gaudeat requiritur: Quod clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiae de mandato Episcopi inserviat: Quod clericalem habitum et tonsuram deferens in aliquo seminario de licentia Episcopi degat: Quod in habitu et tonsura incedens in aliqua schola de licentia Episcopi versetur: Quod habitum et tonsuram gestans in aliqua Universitate de licentia Episcopi versetur. Si vero quae in aliquo ex capitibus comprehensa sunt in clerico concurrant, sed aliqua occasione habitum a se gestari solitum ad breve tempus deposuerit, non ideo fori privilegium amittitur. An vero habitus sit clericalis, ad judicis Ecclesiastici cognitionem pertinere: quibus autem casibus clericus fori privilegio non gaudeat, nullam requiri monitionem, ut illud amittat (5). Clericus prima tonsura insignitum habitum clericalem et tonsuram deferentem, nec alicujus ecclesiae servitio de mandato Episcopi adscriptum, licet fori privilegio non gaudeat, gaudere tamen potest beneficio (6). Clericus in minoribus ordinibus constitutus in habitu et tonsura incedens ac de mandato Episcopi inserviens capellae, quae in ecclesia existit, ab ipsoque Episcopo confraternitati laicorum pro oratorio assignata est, gaudeat privilegio fori et idem censendum, si servitium non continuatum, sed aliquo impedimento necessario interpolatum praestiterit (7).

416. Regulares qui directe, non per communicationem, post Concilium Tridentinum accepere privilegium suscipiendi ordines a quocumque Antistite communionem cum Apostolica Sede habente, possunt eo privilegio uti, sed cum causa, nec pridie illum diem, quo habendae sunt ab Episcopo domicilii ordinationes, ad alium Episcopum ordines accepturi convolent. Episcopi vero charitative et paterne tractent regulares, nec erga eos ita sint male affecti, ut eos in praejudicium privilegiorum nolint

(1) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 5.
(2) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 6.
(3) Bonifac. VIII in 6 de clericis conjugatis. Quod observandum est in Ecclesia Graeca.
(4) Congreg. Conc. 21 julii 1593.
(5) Ibid.
(6) Congr. Conc. 16 nov. 1581.
(7) Ibid. 18 sept. 1593.

nisi statutis temporibus ordinari. Alii regulares a superioribus suorum ordinum dimissorias accipiant, quas superiores dare nequeunt pro ordinationibus, neque alius Episcopus potest regulares ordinare, nisi habeant attestationem Vicarii Generalis ejus Episcopi, sub quo vivunt, Ordinarium abesse a dioecesi, vel non esse habiturum ordinationes (1). Nam regulares superiores pro suis subditis regularibus ordinandis literas dimissorias mittere debent Episcopo dioecesano, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis ad quos pertinet is regularis positus fuerit, et si dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, vel Episcopalis sedes vacaret, ad quemcumque alium Episcopum, attamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, dummodo ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus dioecesanus vel abfuturus, vel nullas habiturus esse ordinationes. In literis dimissorialibus superiorum hae causae enuncientur (2). Si vero Episcopus sit praesens et noluerit facere ordinationes habeatur uti absens (3).

417. Nemo ad sacrum ordinem permittitur accedere, nisi aut virgo, aut probatae castitatis (4). Nullus enim debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata (5).

(1) Bened. XIV Const. *Impositi nobis*, 1747.
(2) Congr. Conc. 1590.
(3) Ead. Congr. 23 apr. 1594.
(4) Innoc. in c. A cunctis in Extrav. de aetate et qual. Ord.

Ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, nec unquam heri sacrilegi, hodie sacerdotes, heri prophani, hodie sacrorum Antistites veteres vitio, virtute rudes et recentes discipuli simul ac magistri pietatis creentur. Sed iis tantum, juxta constitutas a majoribus leges ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui diurna conversatione inter clericos fuerint comprobati (6).

Regulares habentes privilegium posterius Tridentina Synodo ut exempti sint ab interstitiis, frui illo debent, nec possunt Episcopi illos eo nomine ab ordinatione recedere (7).

418. Ne quis clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus, moribus scientia et aetate ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus neque ea resignatio admittatur nisi constet quod aliunde vivere commode possit: et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari non possint nisi illi, quos Episcopus judicaverit, assumendo pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere, ab eis obtineri, taliaque esse,

(5) Greg. lib. 1 de Ep. 42.
(6) Innoc. XII Const. *Speculatores*, 1694.
(7) Congr. C. die 24 aug. 1686.

quae eis ad vitam sustentandam satis sint, atque sine licentia Episcopi deinceps alienari, aut extingui vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint (1).

Si quis voluerit de suo patrimonium sufficiens ordinando donare, curandum est ut bona illa adeo libera sint ab aliis oneribus ut remaneant ex iis sufficientia alimenta ordinato, dummodo etiam absit omnis pactio tacita, vel expressa facta extra instrumentum, ut possessio bonorum remaneat apud assignantem. Non valet assignatio patrimonii facta a patre respectu filii, cui in praejudicium legitimae reliquorum filiorum omnia sua tribuit. Sicut nec admittitur, si pater transferat omnia sua in filium cum onere ut se alat, nisi id expressum candide fuerit in instrumento patrimonii. Patrimonii alienatio absque Ordinarii licentia est ipso jure nulla. Nec commutari potest in alia bona, vel in aliud pariter beneficium sine facultate Ordinarii. Nec possunt obligari bona patrimonii; ideo si forte ut debitum solvendum sit, nulla fieri executio poterit nisi supra bonorum eorum partem, quae alimentis ordinati superfluit. Ordinati ad titulum beneficii, resignare illud nequeunt, nisi facta mentione tituli qui beneficio resignando adjacet, et concludentibus probationibus demonstretur aliam suppetere resignanti viam qua commode sibi de victu provideat (2).

419. Clerici, qui sine patrimonio, vel falso simulantes obtinuisse beneficium, ordinantur, si Episcopus sciens promoveat eos, tenetur eis subministrare necessaria vitae (3). Si quis tantum habeat quod ex industria vel honesto labore lucratur; scilicet quod sit musicus, pictor et id sufficiat ad sustentationem vitae non poterit tamen ullo modo promoveri; sed talis ordinetur, qui de sua vel paterna haereditate subsidium vitae possit redditus stabiles ab immobili re habere (4). Episcopi auctoritate subrogari potest beneficium ecclesiasticum loco patrimonii familiaris: et hujusmodi beneficium sic surrogatum, etiamsi ad nutum Episcopi amovibile sit; auctoritate tamen Episcopi potest esse titulum ordinationis eo ipso induens titulo perpetuitatis (5).

Clerici vero religiosi non professi, vel saeculares, qui more religiosorum in communi vivunt, si absque beneficio, vel patrimonio promoveantur ad ordines sacros, ab exercitio ordinum, quos susceperint, suspensi remaneant, et in irregularitatem incidunt, a quibus poenis nemo, nisi Romanus Pontifex absolvere nequeat (6).

Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsurae, nec pro literis dimissorialibus, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa etiam sponte oblatum Episcopi et alii ordinum col-

(1) Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 2 de Reform.
(2) Bened. XIV Inst. Eccl. 25, 87.
(3) Conc. Later. III, can. 5.
(4) Alex. III Concil. Later. in cap. Episc. de Praebendis.
(5) Congr. Conc. 11 aug. 1858.
(6) Pius V Const. *Romanus Pontifex*, 1568.

latores, aut eorum ministri quovis praetextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis, aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint; dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo; nec Episcopo ex Notarii commodis aliquid emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit: tunc enim gratis operam suam eos praestare omnino teneri decretum est: contrarias taxas, ac statuta et consuetudines etiam immemorabiles, quorumcumque locorum, quae potius abusus et corruptelae, simoniacae pravitati faventes, nuncupari possunt, penitus cassando et interdicendo: et qui secus fecerint tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem poenas a jure inflictas ipso facto incurrant (1).

420. Qui per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari avelli debeat; qui sua voluntate homicidium perpetraverit etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit; nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum et altaris ministerium, et beneficia quaecumque ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causa cognita, et probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensare possit (2).

Ex homicidio autem mere casuali, cum nulla penitus fuerit admissa culpa, et in quo non dabatur opera rei illicitae nulla oritur irregularitas (3). Item si quis mandat aliquem baculo verberari, eo expresso ut non occidetur, nec mutiletur, si mandatarius armis percusserit et occiderit non incurrit in irregularitatem in ordine ac beneficio (4).

421. Cum honestius et tutius sit subjecto debitam Praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extra judicialiter, fuerit interdictus: aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus; nulla contra ipsius Praelati voluntatem, concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, et dignitates, sive restitutio suffragetur (5).

422. Episcopus quoscumque suos clericos, praesertim in sacris consti-

(1) Concil. Trid. Sess. XXI, cap 1 de Reform. In tractatu *De poenis* omnes in unum recensebimus poenas in crimina ab Ecclesia inflictas.

(2) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 7.

(3) Congreg. Concil. an. 1599.

(4) Congreg. Concil. an. 1587.

(5) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 1.

tutos, absque suo praecedenti examine, et commendatitiis literis quacumque auctoritate promotos, licet tamquam habiles ab eo, a quo ordinati sunt probatos, quos tamen ad divina officia celebranda, seu ecclesiastica sacramenta ministranda minus idoneos et capaces repererit, susceptorum ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, suspendere; et illis, ne in altari, aut aliquo ordine ministrent, interdicere possit (1).

423. Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur; etiamsi in loco nullius dioecesis etiam exempto, aut in aliquo monasterio cujusvis ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi alterius subditum etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae absque proprii Praelati expresso consensu, aut literis dimissoriis ad aliquos sacros aut minores ordines, vel primam tonsuram promovere, seu ordinare valeat. Contrafaciens ab exercitio Pontificalium per annum (2).

424. Quando Episcopus ordinationem facere disposuerit omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur ad civitatem evocentur. Episcopus autem sacerdotibus et aliis prudentibus viris peritis divinae legis ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet (3).

Filii haereticorum et eorum qui haereticos defenderint, vel receptaverint, vel haereticis auxilium praebuerint, vel crediderint, dummodo parentes constiterit esse emendatos et reincorporatos Ecclesiae possunt ad ordines promoveri (4).

425. Clerici, antequam sacros ordines suscipiant, vacare debent per decem dies exercitiis spiritualibus, quibus rite peractis praesententur Episcopis et ordinentur (5).

Ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus, ac in Cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ad id ecclesiae canonicis publice celebrentur. Si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur (6).

426. Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur; quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus ei, etiam cujusve generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittitur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum executione quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire sit suspensus (7).

427. De eo tempore statuto intelligitur tempus a consuetudine Ecclesiae determinatum, et usque nunc

(1) Conc. Trid. Sess. XIII, cap. 11 de Reform.
(2) Ibid. V, cap. 11, Sess. II.
(3) Ibid. XXIII, cap. 7, de Ref.
(4) Clem. VIII cum ex Injuncto, 1593.
(5) Clem. XI anno 1710.
(6) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 8, de Ref.
(7) Ibid.

observatum. Non licet igitur extra jejunia quatuor temporum, et imo extra sabbata eorumdem quatuor temporum jejunorum Episcopis ad subdiaconatum, et alios sacros ordines promovere clericos praeterquam Romani Pontificis dispensatione accedente. Licet tamen in diebus dominicis aliisve festivis unum aut duos ad minores ordines clericos promovere (1). Licet etiam Episcopis ordinare clericos, eisque conferre sacros ordines in Sabbato ante dominicam de Passione, aut in Sabbato Sancto (2).

428. Omnes et singuli, qui absque canonica dispensatione, aut legitima licentia sive extra tempora a jure statuto, sive aetatem legitimam, vel absque dimissoriis literis, etiam citra montanis praeter quam si in hoc ultimo casu per Cameram Apostolicam juxta illius stylum ordinati sint, ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri a suorum ordinum executione ipso jure suspensi sint; et si hujusmodi suspensione durante, in iisdem ordinibus ministrare praesumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Praeterea ultra alias poenas in tales generaliter inflictas a jure, beneficiis ecclesiasticis possunt jure privari (3).

Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus dioecesis existentibus numquam etiamsi nullius dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre; ipsi Abbates et alii exempti aut Collegia, vel Capitula quaecumque etiam ecclesiarum Cathedralium literas dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant; sed horum omnium ordinatio servatis omnibus servandis ad Episcopos intra quorum dioecesis fines existunt, pertineat: non obstantibus quibusve privilegiis (4).

429. Capitulis ecclesiarum sede vacante non licet infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere: si secus fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint nullo privilegio clericali gaudeant; in majoribus vero ab executione ordinum, futuri Praelati ad beneplacitum, sint ipso jure suspensi (5). Haec poena extenditur ad illos, qui easdem literas non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis, in jurisdictione Episcopali, loco Capituli, sede vacante, succedentibus, obtinerent. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi (6).

(1) Alex. III cap. *De eo* De temp. ordinat. Dies vero festi dicuntur illi, qui sunt de praecepto uti Benedictus XIV declaravit in notificatione CVI. Sed festa suppressa intelliguntur de praecepto quoad ordines conferendos ex decr. C. Rit. 12 nov. 1831 et 16 mart. 1833 sed mane tantum.

(2) Alex. III, De temp. ordin., cap. 3.
(3) Pius II, § 5, *Nulli ergo*.
(4) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 10, de Ref.
(5) Conc. Trid. Sess. VII, cap. 10, de Ref.
(6) Ibid. Sess. XXIII, cap. 10.

430. Facultates de promovendo a quocumque non suffragantur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint in literis exprimendam, et tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua dioecesi residente, aut pro eo pontificalia exercente, et diligenti praevio examine (1).

431. Superiores regulares literas dimissorias concedere possunt subditis suis ut promoveantur ad ordines ab Episcopo loci, in quo monasterium existit, in quo ordinandus positus sit. Episcopo vero hujusmodi loci vel absente vel impedito, potest Superior mittere subditum suum ad alium Episcopum, ut ordinetur (2). Ita tamen si susceptio ordinum data opera non fuerit dilata in id tempus, quo Episcopus dioecesanus nullas habiturus esset ordinationes (3). Et in literis dimissorialibus, quas Superior regularis dederit subdito suo promovendo ad ordines ab aliis Episcopis exprimatur hujusmodi causa absentiae dioecesani, vel ordinationum ab eo non habendarum (4). Hujusmodi literas dimissorias dare potest subditis suis Superior regularis sede vacante illius dioecesis, in qua monasterium existit promovendi (5). Episcopi ordinantes hujusmodi regulares eos examinent quoad doctrinam (6).

432. Minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant pro temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur; ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinae pondus, possint edoceri, ac in unoquoque munere juxta praescriptum Episcopi se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt, ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint: atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina major accrescat; quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros et Superiores ordines reverentia et crebrior, quam antea, Corporis Christi communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes majoribus ordinibus dignum ostendat. Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut ecclesiae utilitas judicio Episcopi aliud exposcat (7). Haec facultas, remittendi interstitia, quae Episcopo competit ex causis necessitatis aut utilitatis transit in Vicarium Capituli Sede vacante (8), et habeatur etiam a Vicario Episcopi habente generale mandatum in forma, absente tamen Episcopo, et literas dimissorias etiam concedendi (9). In ordinationibus vero regularium Episcopus ordinans facultatem habet remittendi interstitia; in hac re tamen debent quoad causas, deferre judicio et atte-

(1) Conc. Trid. Sess. XIII, cap. 11
(2) Innoc. XIII *Impositi nobis*, an. 1747.
(3) Congreg. Concil. approbante Clemente VIII anno 1594.
(4) Congreg. Concil. die 5 junii 1590.
(5) Ibid.
(6) Ibid.
(7) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 11, de Ref.
(8) Congreg. Conc. Actoricens. 21 apr. 1591. Sebricns. 10 sept. 1591.
(9) Congreg. Conc. 5 mart. 1557.

stationi Superioris regularis ordinandi (1).

433. Nullus ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori aetate; nec sine diligenti examine ordinentur; privilegiis quibuscumque penitus exclusis (2).

434. Subdiaconi et diaconi ordinentur ut habentes bonum testimonium et in minoribus ordinibus jam probati, ac literis, et iis, quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi. Qui sperent, Deo auctore, se continere posse, ecclesiis, quibus ascribentur, inserviant, sciantque maxime decere si saltem diebus dominicis et solemnibus, cum altari ministraverint, sacram communionem percepperint. Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo sunt versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur ascendere non permittantur. Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus conferantur; privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque (3).

435. Qui pie et fideliter in ministeriis ante actis se gesserint, et ad Presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium; et hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiae utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint, sed etiam ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem ac ministranda sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur: atque ita pietate, ac castis moribus conspicui; ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint expectari. Curet Episcopus ut ii saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus, ex legitima causa possit dispensare (4).

436. Causae pro indultis obtinendis ut extra tempora a jure statuta ordines suscipiantur esse possunt quae sequuntur. Ut quis beneficio vi cujus arctatur ad presbyteralem ordinem suscipiendum, vel altari, etiam beneficio, quod obtinet, vel vi Capellaniae ad vitam sibi concessae per se ipsum inservire possit. Ob penuriam sacerdotum in aliis partibus, vel in monasterio pro regularibus. Ob solatium Patris vel Matris dummodo quinquaginta aetatis annos excedant et orator saltem per triennium in clericali habitu honeste et laudabiliter vixerit (5).

437. Item concedi potest indultum hujusmodi Referendariis utriusque signaturae, familiaribus Summi Pon-

(1) Congreg. Conc. 31 mart. 1597.
(2) Concil. Trid. Sess. XXIII, cap. 12.
(3) Concil. Trid. Sess. XXIII, cap. 13.
(4) Concil. Trid. Sess. XXIII, cap. 14.
(5) Innoc. XII in Congregat. particul. Cardin. pro tuenda disciplina Eccl. 14 dec. 1693.

tificis, Canonicis Cathedralis, vel etiam Collegiatae Ecclesiae, eorumque coadjutoribus, magistris, seu etiam baccalaureis in sacra theologia, doctoribus utriusque, vel saltem canonici juris, sive licentiatis dummodo singulos praefatos gradus in publica et approbata Universitate obtinuerint. His etiam, qui saltem per triennium sedulam theologiae studiis operam navaverint, ac tandem vigesimum sextum aetatis annum excesserint, qui per triennium in clericali habitu honeste ac laudabiliter vixerint (1).

438. Non vero concedatur hujusmodi indultum scriptoribus literarum, apostolicarum, quatenus hujusmodi scriptores sint, nec subdiaconis, ac diaconis, ex eo quod magistri in artibus liberalibus, vel nobiles, aut praesentes in curia sint, vel quod philosophiae cursum absolverint; aut alicui ecclesiae adscripti fuerint, ad cujus servitutis titulum ex apostolico indulto clerici ordinari possunt, aut onus Missarum, non tamen ex beneficio ecclesiastico proveniens habere se doceant. Insuper hujusmodi indulta deneganda iis, qui aliqua dispensatione indigent impedimenti ex eorum debito provenientis, et Sede Episcopali vacante, infra annum a die vacationis minime danda iis, qui beneficii ecclesiastici recepti, seu recipiendi occasione arctati non fuerint. Item numquam concedenda pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolato aliquo temporis spatio Episcopi arbitrio definiendo (2).

439. Indulta praedicta non ita passim, sed ex certis tantum legitimisque causis concedi possunt; nec Episcopi ad eorum executionem astringuntur sed illa ipsorum arbitrio, onerata eorumdem conscientia relinquuntur. Item per eadem indulta non tribuitur licentia promovendi quempiam ad patrimonii titulum, nisi ad normam Concilii Tridentini jam supra memoratam (3). Si vero omnes, qui ab Apostolica Sede facultates obtinent conferendi ordines extra tempora, vel aliis respective tribuendi licentiam ut conferant, limites concessionis ne praetergrediantur.

Non solum promoveri nequeunt ad ordinationem filii illegitimi et qui aetatem praescriptam non expleverint, sed etiam irregulares ex defectu animi, nempe amentes, furiosi, epilepsiae morbo laborantes vel obsessi a daemone, sive qui simularunt se esse obsessos (4). Item ex defectu corporis irregularis est coecus qui omnino visu caret (5), surdus, mutus, claudus, qui sine baculo nequit sustentari in altari (6). Item qui caret manu, aut digitis omnibus, aut pollice (7). Insuper qui habet corporis vitium, quod magnum affert horrorem et deformitatem (8). Si quis in aegritudine a medicis sectus est (propter infirmitatem) iste permaneat in clero; item si a barbaris castratus. Si quis autem sanus se ipsum ascidit,

(1) Innoc. XII in Congregat. particul. Cardin. pro tuenda disciplina Eccl. 14 dec. 1696.
(2) Loc. cit.
(3) Loc. cit.
(4) Ex cap. communiter dist. 34 M. Leo ex c. illud 7, q. 1.
(5) Ex can. ult. dist. 55.
(6) Nullus Episcopus 57 de cons. dist. 7.
(7) In c. ult. de corp. vitiatu.
(8) Ex c. Presbyterorum de cler. aegrot.

etiamsi est in clero, cessare debet; et ex hoc nullum talem oportet ordinari. Sicut autem de his qui affectaverunt, vel ausi sunt se ipsos abscindere, haec quae diximus statuta sunt (1), qui infamiam suorum parentum portant, et qui defectum habent laenitatis. Irregulares ex delicto neque promovendi sunt ad ordinationem, de iis loquemur cum de criminibus et poenis erit tractandum. Si quis autem simoniace ordinatus fuerit ab officio omnino cadat, quod illicite usurpaverit (2).

Sanctorum Patrum exempla sequentes, et officii nostri debito innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei, seu promoveri, auctoritate Sedis Apostolicae modis omnibus prohibemus. Si quis vero in Ecclesia ordinationem vel promotionem taliter acquisierit, acquisita prorsus careat dignitate (3).

CAPUT XI.

DE MATRIMONIO.

440. Maritalis conjunctio, quae antea non alio spectabat, quam ut stirpem ex se gigneret in aevumque proferret, ea nunc a Christo Domino Sacramenti dignitate aucta et coelestibus ditata muneribus *gratia perficiente naturam* non tam procreare ex se sobolem, gaudet quam educare illam Deo et divinae religioni, atque ita veri Numinis cultores propagari admittitur. Constat enim matrimonii hanc conjunctionem, cujus Deus auctor est, perpetua ac summam Christi Domini cum Ecclesia conjunctionem significari, et arctissimam hanc viri uxorisque societatem sacramentum esse, idest sacrum signum immortalis amoris Christi erga suam sponsam (4).

441. Dogma fidei est ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum. Hinc fit ut ad solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertinet suam assignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto (5).

442. Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. » Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tamquam a Deo prolata, referens dixit: « Itaque non sunt duo sed una caro; » statimque ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam his verbis confirmavit: « Quod Deus conjunxit, homo non separet (6). »

(1) Conc. Nicaen. can. 1 apud Isid. Merc.
(2) Conc. Later. sub Innoc. II, can. 1.
(3) Conc. Lat. a Callisto II.
(4) Pius VIII in Encycl. 24 maji 1819.
(5) Pius VI ad Episc. Motulens. 16 sept. 1788.
(6) Conc. Trid. Sess. XXIV.

443. Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret; conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor, atque perfector, sua nobis passione promeruit; quod Paulus Apostolus innuit dicens: « Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea: » mox subjungens: « Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia. » Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet merito inter novae legis sacramenta adnumerandum Sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt; adversus quam impii homines saeculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo, praetextu Evangelii, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiae catholicae sensu, et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine, aliena, scripto, et verbo asseruerunt non sine magna Christifidelium jactura: quorum temeritati Sancta et Tridentina Synodus cupiens occurrere insigniores praedictorum schismaticorum haereses et errores ne plures ad se traherent perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit hos in ipsos haereticos, eorumque errores anathematismos decernere.

444. Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre: anathema sit.

Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.

Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum: nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant; anathema sit.

Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: anathema sit.

Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit.

Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet juxta evangelium, et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu

quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.

Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse; non obstante lege ecclesiastica, vel voto, et oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id, quod possumus tentari.

445. Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus; et non esse melius, ac beatius manere in virginitate ac caelibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit. Si quis dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, et alias caerimonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.

Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit (1).

446. Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum. Verba consensum exprimentia sint de praesenti; nam surdi et muti contrahunt matrimonium per consensum sine verbis. Error, circa personam desponsandam, vis, et metus injustus et gravis nullas faciunt nuptias (2).

447. Matrimonium infidelium verum existit, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum et ratum existit; quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret (3). Quoad matrimonium inter infideles, si uterque conjux ad fidem convertitur fit ratum, scilicet indissolubile (4). Prohibitio copulae conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum non excedat. Si quis contra hanc prohibitionem contraxerit nullum irritumque erit matrimonium (5).

448. Decernit S. Synodus Tridentina inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto, et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter, arbitrio judicis dotare (6).

449. Qui vagantur et incertas habent sedes, et, ut improbi sunt in-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV.
(2) Innoc. III Const. *Tuae Fraternitati*, c. 25 de spons., et cap. Cum locum 14, et c. Cum dilectis de vi et metu.
(3) Idem Pontifex ex cap. 4 de Divortio.
(4) Ibid.
(5) Conc. Later. IV sub Innoc. III 1215.
(6) Conc. Trid. Sess. XXIV.

genii, prima uxore relicta, aliam et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt; omnes ad quos spectat, monentur, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant; Parochis autem praecipitur ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Crimen adulterii cum conjugis morte, vel mortis machinatione ejusdem, aut cum mutua promissione matrimonii vet ejus attentatione, nullum facit inter hujusmodi adulteros matrimonium (1).

450. Grave peccatum est homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, et in hujus magni sacramenti singularem contemptum admissum uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere, et retinere. Quare, ut huic malo Tridentina Synodus opportunis remediis provideret, statuit hujusmodi concubinarios tam solutos, quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis et conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse; a qua non absolvantur, donec reapse admonitioni factae paruerint. Quod si in concubinatu per annum censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario severe pro qualitate criminis procedatur. Mulieres sive conjugatae, sive solutae, quae cum adulteris seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitae non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpae puniantur, et extra oppidum vel dioecesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio saeculari: ejiciantur; aliis poenis contra adulteros, et concubinarios inflictis in suo robore permanentibus (2).

451. Ita plerumque temporalium Dominorum ac Magistratuum mentis oculos terreni affectus cupiditate excaecant, ut viros et mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel spem magnae haereditatis habentes minis et poenis adigant; cum iis matrimonium invitos contrahere, quas ipsi Domini, vel Magistratus illis praescripserint. Quare cum maxime nefarium sit matrimonii libertatem violare, et ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur; praecepit Sancta Tridentina Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis, et conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant (3).

452. Ab adventu Domini Nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniae et a IV feria Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter observari Sancta Tridentina Synodus praecepit; in aliis vero tem-

(1) Ibid. et C. super hoc 8. C. significasti 6 de eo qui duxit quam poll. per adult. C. Literarum 4.

(2) Conc. Trid. Sess. XXIV.

(3) Ibid. cap. 10.

poribus nuptias solemniter celebrari permittit; quas Episcopi, ut ea qua deret modestia, et honestate fieri curabunt; sancta enim res est matrimonium et sancte tractandum.

Sponsalia praecedunt matrimonium. Ea sunt futurarum nuptiarum promissio (1). Contrahuntur consensu expresso verbis, vel literas vel per procuratorem. Sunt pura si vir, et mulier futuros conjuges se invicem pollicentur. Dicuntur « adjecta die » cum intra certum temporis spatium invicem promittunt nuptias celebraturos. Dicuntur conditionalia si dependet eorum voluntas ex actuatione alicujus conditionis. Sponsalia certa spem et jus matrimonii inducunt; adeo ut ne poenitere quidem liceat, et ad matrimonium contrahendum possit alter dissentiens ecclesiastica censura compelli; dissolvuntur mutuo consensu. Sponsalia de futuro inita, absque praesentia Parochi, vel absque scriptura valent; cum matrimonia non quidem sponsalia clandestina prohibentur. Prima sponsalia vero etiam non jurata, etiam sine copula praevalent secundis sponsalibus etiam juratis et etiam cum copula. Si alteruter ex sponsis se ad alias partes transferat inscio altero, admonendus est superior ecclesiasticus, qui tempus aptum assignet absenti, ut redeat, quo elapso, si non pareat, vinculum dissolvitur (2).

Sponsalia autem inita invitis parentibus quamquam judicari possunt valida, illicita sunt tamen, et detecto dissensu parentum dissolvi possunt. Promissio de praesenti absque praesentia Parochi et testium neque valet ratione matrimonii neque sponsalium (3). Porro ex sponsalibus quae parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si praesentes fuerint, nec contradixerint, obligantur (4). Et est idem si filii tempore sponsaliorum absentes atque etiam ignorantes eadem sponsalia postea scienter ratificaverunt tacite vel expresse (5). Impuberes vero cum ad annos pubertatis pervenerint, si reclamaverint judicio Ecclesiae poterunt ad invicem separari (6). Qui praestito juramento promittunt se aliquas mulieres sponsaturos, et postea eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, liberum erit mulieribus se ad alia vota transferre (7).

453. Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sunt illi, ut eos Tridentina Synodus damnavit, qui ea vera et rata esse negant, quique falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse; nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit; verum cum Sancta Synodus Tridentina animadverterit prohibitiones il-

(1) C. Nostrates 3 caus., 30 qu. 5.
(2) C. ex literis 20 et 21.
(3) Bened. XIV de Inst. Eccles. 46. Et ex pluribus Sacr. Congr. decretis.
(4) Bonifacius VIII, ex cap. un., § 1, fin. de Despons. impub. in 6.
(5) Ibid.
(6) Ex c. de illis de despons. impub.
(7) In c. de illis 5 de spons.

las propter hominum inobedientiam jam non prodesse et gravia peccata perpenderint, quae ex iisdem clandestinis conjugiis ortum habent, praesertim vero eorum qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraherant relicta, cum alia palam contrahunt et cum ea perpetuo adulterio vivunt (1). Curare fideles debent (ubi civilis potestas adstringat omnimode subditos ad civile matrimonium) contrahere matrimonium coram testibus et quidem, quoad fieri possit, catholicis, priusquam municipalitati se praesentes sistant, ut praescriptam a civili potestate declaratam faciant. Nihil impedimento esse debet, quominus fideles ut civilibus potiantur effectibus, praescriptam declarationem faciant (2).

Nunquam tamen licebit fidelibus declarationem edere matrimonii jam contracti magistratui civili, si forte adstringantur aliam iniquissimam sane declarationem facere, se scilicet haud esse catholicos. Sed ne permittendum quidem fidelibus, ut matrimonii jam contracti declarationem coram civili magistratu faciant, si ob istam catholici pro acatholicis habeantur (3).

454. Cui malo ab Ecclesia, quae de occultis non judicat succurri non possit nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo praecepit Sancta Tridentina Synodus, ut antequam matrimonium contrahatur, terra propria contrahentium a Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis si nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur: ubi Parochus, viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: « Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur (4).

455. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et judicio Sancta Synodus Tridentina reliquit. Qui aliter quam praesente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Tridentina Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddidit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decrevit prout eos irritos facit Ecclesia et annullat (5).

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV.
(2) Pius VI ad Episc. Lucionensem, 28 mai 1793.
(3) Pius VI Instruct. super quaest. Episc. Galliar.
(4) Conc. Trid. Sess. XXV. (5) Ibid.

Insuper Parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero et testes qui sine Parocho vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio ordinari puniri praecipit. Praeterea Tridentina Synodus hortatur ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent; statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse; quacumque consuetudine etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis Parochus vel alius sacerdos sive regularis, sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat alterius parochiae sponsos, sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit; ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur (1).

Habeat Parochus librum, in quo conjugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem apud se custodiat.

456. Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia; in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Tridentina Synodus huic incommodo providere, a cognationis spiritualis impedimento statuit ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta Canonum instituta, vel ad summum unus ut una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem, tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab his, ad quos spectabit sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam cognationem spiritualem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant; constitutionibus in contrarium non obstantibus. Si Parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit arbitrio Ordinarii puniatur. Ea cognatio, quae ex confirmatione contrahitur, confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis. Justitiae publicae honestatis impedimentum ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant (2).

457. Impedimentum, quod propter

(1) Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 2.

(2) Ibid.

affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui primo et secundo gradu conjunguntur restringit: in ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere (1).

Matrimonia impuberum nulla sunt nec non cum voto solemni adstrictis aut in ordine sacro constitutis et cum absolute et antecedenter impotentibus (2). Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahit separetur, et spe dispensationis careat; idque in eo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, si quidem solemnitates necessitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur poenis, non enim dignus est, qui Ecclesiae benignitatem facile experiatur, cujus salubris praecepta temere contempsit. Si vero, solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit; tunc facilius cum eo et gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi quam contrahant vel saltem triduo, ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, et sanctissimum Eucharistiae sacramentum pie accedant. Si quae provinciae aliis ultra praedictos laudabilibus consuetudinibus et caerimoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri Sancta Tridentina Synodus vehementer monet. Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus praecepit, hoc decretum populo publicari atque explicari in singulis suarum dioecesum parochialibus Ecclesiis: idque quoties expedire viderint (3). Parochi non faciant publicationes in Ecclesiis pro matrimonio nisi certiorato Ordinario (4).

Declarationes authenticae
de Sacramento Matrimonio.

458. Si Episcopus generatim interdicat Parocho, ne matrimoniis adsistat, adhuc tamen matrimonium valere definitum est (5). Si vero interdictum istud venerit a Pontifice cum decreto irritante, tunc utique non valet conjugium, cum Pontifex jure suo possit impedimenta constituere. Nisi tamen adsit huic interdicto decretum irritans, matrimonium valet; cum impedimentum illud impediens, non irritans censendum sit. Parochus coram quo celebrari potest matrimonium est Parochus domicilii, non originis (6).

Si quis habeat duo domicilia in duplici paroecia, in alterutra matrimonia jungi potest: attamen ad habendum duplex domicilium requiritur, ut in utraque aequalem moraliter ha-

(1) Ibid. et c. 2 et cap. 11. Ex literis et ult. de despons. impub. — Ex clementin et Conc. Trid. can. report.

(2) Ibid et cap. Fraternitatis — de trig. et Sixti V Const. *Cum frequenter*, 1587.

(3) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. de Reform.

(4) Clemens X. *Cum aliis*, 1670.

(5) Bened. XIV, De Syn. Dioec., lib. 7, cap. 68, § 11.

(6) Idem in Instit. Eccles. 53, § 6.

bitationem habeat. Parochus ruralis, quo quis pergit ad rusticandum, non est aptus matrimonio illius, qui ibi moratur causa recreationis, et ad rusticana negotia; ita enim perpetuo censuit S. Congregatio Concilii. Nullum est matrimonium ejus, qui e loco propriae habitationis, non tamen deserto ibi domicilio pergit ad alium locum animo se conjungendi in matrimonium, non adepto novo domicilio, seu quasi-domicilio; ita perpetuo eadem Congregatio censuit.

Necessarium fore censemus nonnihil adjungere ut in propatulo sit quidnam requiratur ad quasi-domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio facto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille qui contrahit habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur (1).

Vagorum Parochus quoad matrimonium, est Parochus loci, ubi tunc versantur. Diligenter tamen distinguendi sunt vagi a peregrinis. Vagi sunt enim illi, qui relicto proprio domicilio, aliud quaesituri vagantur; peregrini vero qui non relicto domicilio, peregrinantur alicubi. Scholares, judices, medici, et qui alicubi conducti habitant, in loco ejusdem habitationis contrahunt quasi-domicilium, si ibi permaneant aliquo idoneo tempore. Ita ex decretis S. Congregationis Concilii. Quoad matrimonia eorum, qui in carcere adstricti detinentur, si detineantur in carcere ex sententia judicis, sive deputati in perpetuum, sive ad certum tempus, respectu illorum. Parochus loci ubi carcer situs est, est Parochus matrimonii. Si vero detineantur in carcere donec causa eorum expediatur, tunc Parochus eorum est ille, ubi habent domicilium. Parochus eorum, qui expositi sunt, et in hospitali aluntur, quoad matrimonium non est capellanus ejusdem hospitalis, sed Parochus, ubi situm est hospitale. Educandae in monasterio degentes habent pro Parocho matrimonii illum, in cujus loco est domicilium paternum, maternum, vel fraternum. Si eo careant est Parochus loci, ubi est monasterium. Famuli habentes domum, et familiam in alia paroecia diversa ab ea, quam habet domus domini, Parochum matrimonii habent illum, in quo est domus, et familia. Si vero domicilium familiae habeant extra urbem, et in urbe famulatum, tunc coram Parocho urbano contrahant (2). Parochus ruralis non est verus et proprius Parochus, quando rus itur causa recreationis vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram hujusmodi Parocho celebrari non potest (3). Vir et mulier a loco suae habitationis absque animo illam relinquendi discedentes et ad locum alterius parochiae solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi se transferentes, ubi cum Parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt, hoc matrimonium, est nullum (4). Si Episcopus mandet alicui Parocho, ut assistat matrimonio, reputans hunc esse verum Pa-

(1) Bened. XIV const. *Paucis abhinc.*
(2) Benedictus XIV ibid., Inst. Eccl. 33 et 88, § 5.
(3) Cong. Conc. in una Urbinatens., 1 dec. 1640.
(4) Cong. Conc. in una Romana, 22 feb. 1631.

rochum alterutrius ex contrahentibus, et si postea reperiatur vere non esse Parochum illorum, adhuc tamen mandatum Episcopi valet, ut consensus iste sustineatur (1). Matrimonium etiam bona fide contractum coram Parocho, et unico teste non valet, ut ex responsis Congregationis Concilii constat (2). Vicissim valet contractum coram duobus testibus sine Parocho in loco, ubi non est nisi haereticus, vel si est, illum adeundi libera potestas deest. Parocho praesente, ita tamen ut neque videat contrahentes, neque auribus verba eorum percipiat, matrimonium est nullum, uti definitum est a S. Congregatione Concilii post diligens examen in causa Romana die 7 martii 1700. At si Parochus affectaverit non intelligere verba contrahentium, matrimonium valere respondit alio Decreto anni 1593 in causa Ulyssiponensi S. Congregatio Concilii (3). Tunc vero non audire affectat Parochus, si invitus adhibetur ad contractus celebrationem, et data opera neque videre vult, neque percipere, cum tamen facile posset, et testes audierunt, et viderunt, quae sane ratio fuit decreti S. Congregationis anno 1753 lati pro similis matrimonii validitate (4). Si qui sub animo contrahendi matrimonium sine Parocho et testibus eo se transferant ubi Concilii Tridentini decretum de clandestinitate non est acceptatum habitationem non mutantes, non est legitimum matrimonium inter transferentes sic et transeuntes cum fraude. Si domicilium vere transferunt matrimonium est validum (5).

459. Parochus, cui interdictum est ab Episcopo, ne interveniat matrimonio contrahendo, adhuc tamen non reddit matrimonium invalidum. Ita ex Decisionibus S. Congregationis Concilii (6). Idem dicas, si Ordinarius tantum vetet Vicario Parochi, ne assistat, ille contra mandatum assistat. Item pariter judicandum est, si vel Parochus, vel ejus Vicarius prohibiti ab Episcopo, nolentes et inviti assistere cogantur (7). Matrimonio jungendi non sunt sponsi a Parocho, si comperiat illos ignorare necessaria ad salutem (8). In cancelleriis Episcoporum circa statum valentium nubere liberum admoneantur testes de gravitate juramenti, tum interrogentur de nomine, patria contrahentium et caetera. Admittantur pro testibus potius consanguinei quam extranei, magis credatur civibus quam exteris. Excluduntur a testimonio vagi et milites (9).

460. In impedimento disparitatis cultus animadvertendum est, conjugem, qui ad fidem transiit, altero in infidelitate relicto, teneri quidem admonere infidelem, num velit cohabitare absque contumelia Creatoris, et sine ista admonitione fidelis non potest ad secunda vota transire. Verum Pontifex Benedictus XIV cum neophytis baptizatis pii loci catechu-

(1) Idem Instit. Eccles. 88. § 4.
(2) De Synodo Dioeces., lib. 12, cap. 3. nov. edit.
(3) Ibid. Lib. 23, cap. 23, nov. edit.
(4) Ibid. § 11.
(5) Urbanus VIII, *Exponi nobis*, 1627.
(6) Ibid. Lib. 13, cap. 23, § 1, nov. edit.
(7) Bened. XIV in eodem Decreto.
(8) Idem Encyclica *Etsi minime*, Bull. Rom. tom. 1, n. 42.
(9) Urbanus VIII, *Exponi nobis*, 1627.

menorum Venetiis dispensavit, ut potuissent contrahere, etiam consensu alterius conjugis infidelis non requisito, dummodo constet summarie, et extrajudicialiter illum moneri minime posse, quamvis postea compertum sit infideles illos tempore secundi matrimonii fidelis baptizatis ad fidem fuisse conversos (1).

Si infidelis conjux veniat ad fidem, et alter consentiat habitare cum illo absque injuria Creatoris, quamvis in infidelitate perseverare velit (quod judicandum pertinet ad Episcopum) decrevit S. Congregatio Concilii non posse conversum ad fidem aliam sibi conjugem adsciscere. At eo ipso quod alter velit in infidelitate perseverare censeri debet plures satis esse periculi in neophyto. Verum hujus dubii solutionem recte ex moribus regionum, et casuum circumstantiis pendere videtur (2).

Accidit ut infidelis plures uxores in infidelitate accipiat, tum veniat ad fidem, et fidem pariter una ex his uxoribus recipere sit parata, non tamen illa, quae prior ducta est, quae propter distantiam locorum, vel ignorando ubinam sit, requiri judicialiter non possit. Demum post renovatum cum illa, quae venit ad fidem, matrimonium (quod fieri non potest absque renovatione consensus coram Parocho, et testibus, eo quod prior consensus in infidelitate datus fuerat nullus, propter matrimonium prius cum altera celebratum), comparet uxor prior, et probat, se non fuisse praemonitam, vel fuisse impeditam, ut suam voluntatem manifestaret; nunc vero paratum se dicit ad fidem amplectendam, vel jam fuisse amplexam antequam conjugium neophyti cum neophyta celebraretur. In hoc rerum eventu S. Pius V concessit Missionariis, ut cum Judaeis baptizatis dispensare possent, ad effectum remanendi tamquam cum uxore legitima, cum ea uxore, quae fuerit pariter baptizata. Eamdem dispensandi facultatem concessit Gregorius XIII. Episcopis, Parochis, et e Societate Jesu presbyteris, ad sacramentales confessiones in iis regionibus approbatis, quoad eos, qui ab Anglia, Aethiopia, ac Brasilia, in captivitatem adducti erant et in remotas regiones delati fuerant, ut non expectato, nec requisito consensu conjugis in infidelitate ducti, matrimonium inire possent cum quocumque fideli, etiamsi conjuges infideles declarare possent se juste fuisse impeditos ad manifestandam suam voluntatem, vel etiamsi probarent se fuisse conversos ad fidem tempore secundi matrimonii. Has Constitutiones certe emanare potuisse ab iis Pontificibus fuse demonstratur; sed eas extendi non posse ad alias regiones, quantumvis similes rationes suppetant, citare constat. Quare si forte casus accidat, petenda est facultas dispensandi a Romanis Pontificibus (3).

Si infideles unam conjugem infidelem duxerit, ita matrimonium valet ut si ea vivente alteram superinducat, secundum matrimonium nullum

(1) Idem Constit. *In suprema*, Bull. tom. I, n. 117.

(2) Idem De Syn. Dioeces. Lib. 13, cap. 21, § 1, nov. edit.

(3) Bened. XIV, De Synod. Dioec. nov. edit. l. 13, c. 21, n. 3 et seqq.

est, cum matrimonium institutum sit, ut unicas habeat (1). Si matrimonium ineatur inter duos, qui pravum habent horrorem substantiae matrimonii repugnantem, ut inter Graecos, qui censent conjugii vinculum dissolvi per alterutrius conjugis adulterium, prava haec opinio non officit validitati matrimonii (2). Verum si haec opinio deducatur in pactum tanquam conditio in actu ineundi matrimonii, tunc matrimonium nullum est, uti semper accidit cum matrimonio est apposita conditio substantiae matrimonii repugnans (3).

461. Non est recedendum a Romanorum Pontificum sententia et ecclesiastica disciplina, quae non adprobant matrimonia inter partes utrinque haereticas vel inter catholicam unam et haereticam alteram, multo minus in casu quo dispensatione in aliquo gradu opus sit. Quod si non obstante monitione ad avocandam partem catholicam ab illicito matrimonio, infallibiliter tamen matrimonium secuturum praevideatur, poterit tum Parochus catholicus materialem suam praesentiam adhibere dummodo, 1° non assistat tali matrimonio in loco sacro, nec sacris vestibus indutus, neque recitet super contrahentes ullas preces et nullomodo benedicat ipsis; 2° ut exigat a contrahente haeretico declarationem in scriptis juramento firmatam coram duobus testibus ab ipsis pariter subscriptam, qua pars haeretica se obliget ad permittendum comparti usumliberum religionis christianae et ad educandos in eadem omnes liberos nascituros absque ulla sexus distinctione. Pars contrahens catholica declarationem edat a se et a duobus testibus subscriptam, in qua cum juramento promittat non tantum se nunquam recessuram a religione catholica, sed et educaturam in ipsa omnem prolem nasciturum et procuraturum se efficaciter conversionem alterius contrahentis. Sic potest deinceps ad sacramenta admitti pars catholica si poeniteat suae conjunctionis peccaminosae et pro viribus reparet scandalum aliis fidelibus datum (4).

462. In formula, quam Calvinistae in conjugiis ineundis adhibent, minister sponsum interrogat: « ACCIPIS NE ILLAM IN UXOREM? » Respondet ille: « ACCIPIO. » Eadem verba interroganti ministro repetit sponsa. Tum minister iterum ad sponsum: « Personam quam manutenes amas, et accipis eam in perpetuam uxorem, nec in ulla illius aerumna deferes, quoadusque in sua honestate, et puritate permanserit. » Tantumdem dicit sponsae. Porro illud quoadusque in sua honestate et puritate permanserit in sensu Calvinistarum denotat virum accipere sponsam in uxorem, quoadusque adulterium non contraxerit, eoque commisso, vinculo conjugii solvi. Celebrant igitur haec conjugia cum conditione opposita perpetuitati matrimonii, quae sane perpetuitas essentiae conjugii adnexa est, ut ex Concilio Florentino in decreto de

(1) Bened. XIV, De Syn. Dioec. nov. edit. l. 13, c. 21, n. 3 et seqq., § 8.

(2) Ita resolvit S. C. Concilii die 15 januarii 1724; Bened. XIV, De Syn. Dioec., lib. 13, cap. 22, § 4, nov. edit.

(3) Cap. De appositis, ibid. § 5.

(4) Pius VI, *Exequendo nunc*, 1782.

unione Armenorum, et instructione Clementis VIII pro Italo-Graecis, confirmata a Benedicto XIV sua Constitutione (1). Quare optime definitum in Congregatione S. Officii die 20 maji 1754 conjugium illud nullum extitisse, adeoque integrum fuisse alterutri sponso ad alia vota transire (2). Neque obstare debet prius dixisse utrumque sponsum, accipio hunc in conjugem, deinde ad novam interrogationem utramque conditionem subdidisse, quia et prior, et secunda interrogatio unus, idemque actus judicatus est.

Vir et foemina convenerunt celebrare matrimonium coram Ecclesia, ut illud nequaquam consummare deberent, sed post quindecim dies mulier monasterium ingrederetur, et post probationis annum profiteretur: interim vero omni juri renuntiabat, quod in mariti personam ex matrimonio sibi acquirere potuisset, consenseratque, ut si ab his pactis defecisset, matrimonium nullum, irritumque declararetur. Ita conventum inter illos, pactaque haec scriptis consignata sunt, ac significata testibus, et Parocho, coram quibus ineundae erant nuptiae. Hoc matrimonium nullum esse declaratum est (3); nam abdicatio facta ab utroque de potestate in corpus alterius, aperte contraria est substantiae matrimonii. Quamvis enim in ipsa matrimonii celebratione actu expressae non essent pactiones istae, constabat tamen ex antecedentibus, et sequentibus simul junctis conjuges ab iis non recessisse (4).

Matrimonium infidelis in infidelitate contractum non statim resolvitur, ex quo alteruter conjugum baptizatur, et alter nolit, sed tunc cum baptizatus ad altera vota transit (5). Hebraei cum haeretica non valet, obstante cultus disparitate. Si alteruter ex conjugibus ad fidem venerit, relicto altero, qui negat cohabitare sine injuria Creatoris, dein vero et ipse ad fidem conversus sit atque interim postquam secundus licet ad fidem conversus est, prior conjux secundas nuptias iniverit, in eo casu adeundum sit Pontifici, ut matrimonium in infidelitate consummatum dissolvat in favorem secundi conjugii, merito censetur id fieri non debere, nisi adsint causae gravissimae (6).

Catholici, qui cum haeretico matrimonium celebrant etiam in locis haereticorum gravissime peccant, quia hoc agendo cum illis in divinis communicant, quod, nisi forte cum gravissima causa, illicitum est. Si vero postquam sic contraxerint coram Parocho catholico, possint iterum coram ministro protestante conjugi ad evitanda gravia damna, quaestio fuit; ad quam S. Congregatio Concilio respondit, ministrum haereticum si assistat hisce matrimoniis, ut minister politicus, tunc a catholicis peccatum non commiti; secus vero si assistat ut minister sacris addictus (7).

(1) Bened XIV, Const. *Etsi Pastoralis*, quae est 57, Bullar. tom. 1.

(2) Bened. XIV, De Synod. Dioec., lib. 13, cap. 22, § 9.

(3) Ex cap. Si conditiones, De condit. apposit. Congr. Conc., die 8 julii 1724.

(4) Bened. XIV, De Syn. Dioec., lib. 13.

(5) Idem postremo Mense, Bull. tom. 2, n. 28. Vide etiam De Syn. Dioec., l 7, c. 4, § 4.

(6) De Syn. Dioec., lib. 6, cap. 4.

(7) Bened. XIV in Syn. Dioec., l. 6, c. 5, § 4 et 5.

Conjugia haeretici protestantis cum foemina haeretica coram Parocho non catholico in Belgio confoederato celebrata valida habenda sunt. Adest enim decretum a Pontifice Benedicto XIV approbatum. Item valet ita, et in iis regionibus celebratum, si haereticus Catholicum ducat, quamquam postremum hoc illicitum haberi debet (1). Idipsum reperitur in nuptiis inter catholicum, et haereticum conjugem quae multo rectius non sunt benedicendae, neque Missa in praesentia haeretici celebranda, nec tandem connubii ritus inter Ecclesiae ambitum peragendus, quod et vetitum fuisse a Clemente VIII circa benedictiones refertur (2).

Impedimentum ex adoptione proveniens ita explicatur a Benedicto XIV (3) connubium iniri non potest inter adoptantem, et adoptatum, atque ab isto descendentes; quod impedimenti genus semper durat quoad adoptantem tantum, et adoptatum. Secundo inter adoptatum, et filios naturales adoptantis. Sed impedimentum istud tamdiu durat, quamdiu perseverat adoptio, seu filii remanent sub patria potestate; nam ea solata, sive per mortem adoptantis, sive per emancipationem filii, sive adoptivi, sive naturalis cessat impedimentum. Tertio inter adoptantem, et uxorem adoptati, seu vicissim inter adoptatum, et uxorem adoptantis, idque semper durat (4). Porro adoptio perfecta tunc est, cum persona extranea sui juris ex principis rescripto, ita transit in potestatem, et familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus fiat ejus haeres necessarius tam ab intestato, quam extra. Adoptio imperfecta dicitur, cum persona extranea constituta sub patris, seu avi potestate, filius magistratus, alteriusve judicis competentis auctoritate in filium, aut nepotem adsciscitur; non tamen in familiam, et potestatem adoptantis transit, et succedit solum ab intestato (5).

Matrimonia filiorum familias sine parentum consensu contracta, etiamsi in Galliis habentur invalida quoad effectus civiles, ut de dotis invaliditate, et communitate inter virum, et uxorem; valida tamen habenda esse in ratione Sacramenti censeri debet, et oppositum sentientes rejiciendos esse omnino decretum est (6).

In matrimonio puberis cum impubere, malitia aetatem supplente, Episcopus potest jure suo licentiam contrahendi largiri (7). Ad pronunciandum in ea causa cumulativum jus est inter Sedem Apostolicam, et judices ordinarios (8). Matrimonia inter impuberes nondum conjugio aptos solus Romanus Pontifex dispensat (9).

(1) Bened. XIV ad Cardinalem Ducem Eboracensem data die 9 febr. 1749, § 17.

(2) Idem De Syn. Dioec., l. 6, c. 5, § 5, nov. edit. — Matrimonia inita a Graecis Catholicis in Ecclesia Orientali post susceptum sacrum ordinem: dubium est num valeat, an tantummodo illicita habenda sint: quare si forte id accidat, petenda est dispensatio a Sede Apostolica, sed in dispensatione non exprimitur conditio, ut consensus inter conjugatos repetatur. Quoad Italo-Graecos matrimonia post ordinem sacrum inita, nulla sunt. — Constit. *Etsi Pastoralis*, Bull. tom. 1, n. 7.

(3) Tract. de Syn. Dioec., lib. 7, cap. 36.

(4) An vero haec impedimenta obtineant tam in adoptione perfecta, quam imperfecta, lis est inter Doctores.

(5) Bened. XIV. De Synod. Dioeces., lib. 7, c. 36.

(6) Bened. XIV. De Synod. Dioeces., lib. 7, c. 68, § 2.

(7) Idem Encycl. ad Ep. Pol., Bull. tom. 2, n. 51, *Magno malis*.

(8) Ibid.

(9) Ibid.

Impedimenta matrimonium impedientia ab Episcopo relaxari possunt, si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero prius initis, et illud quod ex voto perpetuae castitatis, et ingrediendi in Religionem, nisi fuerint conditionata, ortum duxit. Caetera vero matrimonium irritantia tollere, nisi Romanus Pontifex, nemo potest. Excipiuntur tamen casus sequentes:

Si forte accidat, ut matrimonium jam fuerit contractum in faciem Ecclesiae cum omnibus solemnitatibus, initumque fuerit bona fide ex ignorantia impedimenti juris, et facti, et sit consummatum, occultum sit tamen impedimentum, et adiri non possit Pontifex, seu ab eo dispensatio obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, nec possit separatio fieri sine scandalo. Dum simul omnes istae circumstantiae adfuerint, tunc ab Episcopo ea dispensatio tuto conceditur, quam potest major poenitentiarius Papae, et in foro tamen conscientiae tantum. Quare si impedimentum illud postea detegatur, et deducatur ad forum contentiosum, impetranda est a Summo Pontifice dispensatio (1).

Forte etiam Episcopus dispensare poterit in impedimento dirimente occulto, cum matrimonium proxime contrahendum est, in casu quo tales urgeant rerum circumstantiae, ut nec S. Pontifex consuli possit, nec matrimonium differri sine scandalo, aut infamia contrahentium. Tunc censendus est S. Pontifex tacite delegare Episcopo potestatem dispensandi (2).

(1. Idem De Synod. Dioec., lib. 7, cap. 31, § 1.

His praecisis rerum circumstantiis, nemini fas est Episcopo dispensare in impedimentis publicis matrimonium dirimentibus. Neque enim verum est, et sanum axioma illud a nonnullis adoptatum: « Quidquid potest Pontifex in universo Orbe, si excipiantur, quae totius Ecclesiae statum respiciunt, velut, fidei articulum definire, potest Episcopus in sua dioecesi, nisi Papa sibi illud reservaverit. » Non enim potest inferior legem a superiore latam relaxare. Sunt qui consuetudinem praetendant; at considerent attente, cum res sit de minuendis juribus Romani Pontificis unice competentibus ad minus annorum spatium sine ulla interruptione perseveraverit. Considerandum insuper et potissimum, num per eam consuetudinem disrumpatur nervus ecclesiasticae disciplinae: tunc enim nunquam contra legem praescribitur (3).

In contractis matrimoniis pro eorum revalidatione non dispensat S. Poenitentiaria in gradibus primo et secundo consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, nisi forte in secundo gradu per decennium duraverit occultum impedimentum, et conjuges ut legitimi reputati fuerint. In reliquis vero dispensat, sicut in gradibus et tertio, et quarto publicis revalidat matrimonia ex causa occulta subreptionis, et obreptionis literarum Apostolicarum nulliter contracta, nisi si falsitas consistat in narratione falsa praecedentis copulae (4).

(2) Ibid. n. 2.
(3) Cap. Cum inter, de Consuet. Ben. XIV, Tract. de Syn. Dioec., lib. 7, c. 31.
(4) Bened. XIV, *Pastor Bonus*, Bull., tom. 1.

Si in dispensatione a Dataria obtenta quoad gradus prohibitos reticeatur copula ex causa infamiae, tunc sacra Poenitentiaria dispensat in matrimonio contrahendo, et etiam contracto, at cum agitur de primo in secundo gradu exigit compositionem 50 Ducatorum auri de camera, nisi gratia prior fuerit expedita in forma pauperum (1).

Si in dispensatione a Dataria petita in impedimentis graduum expressa fuerit copula, tacita tamen mala intentione facilius obtinendae dispensationis, tunc si mala intentio sit occulta, dispensat S. Poenitentiaria cum miserabilibus personis absolute, cum reliquis taxa definita. Si vero copula habita fuerit affinitate, seu consanguinitate non agnita, tunc pro dispensationibus non est necessario exprimenda (2).

In impedimentis occultis affinitatis ex copula illicita absente etiam periculo scandalorum in contracto, et contrahendo matrimonio in foro conscientiae dispensat.

Dispensat etiam in impedimento criminis tam pro contracto, quam pro contrahendo, ubi nulla adest machinatio. Potest etiam dispensare, quando agitur de machinatione ex parte tantum alterutrius; id tamen rarius praestat (3).

In impedimentis dispensat etiam si fuerint multiplicia, sicut et dispensat in foro conscientiae pro legitimatione prolis, nisi illa concepta fuerit in adulterio (4).

In dispensationibus pro impedimentis matrimonii super gradibus vetitis impetrandis, si taceatur copula antecedens, sicut (si adfuerit) intentio facilius obtinendae dispensationis, rescriptum vitiatur (5).

In contractis tamen matrimoniis, si hoc vitium occultum perseveret, dispensat Poenitentiaria (6).

Clausula illa in dispensationibus matrimonialibus, ABSOLUTIO, ET DISPENSATIO IN FORO JUDICIARIO NULLATENUS SUFFRAGETUR, eam vim habet, ut si impedimentum ex occulto fiat publicum, potest Ordinarius conjuges separare a toro. Si tamen illi occulte sine scandalo debitum invicem reddant, non peccant (7).

Si Ordinarius subodorans impedimentum velit procedere in cognitionem delicti, id potest, imo debet facere, etiamsi reus protestetur de obtenta dispensatione. Si vero certioretur ea de re ab aliquo fide digno, ut a Confessario, seu Parocho, qui possunt id clam retificari Episcopo, tunc debet Episcopus acquiescere, nec debet ad delictum puniendum procedere (8).

Postrema clausula sic enunciatur: DICTA MULIERE DE NULLITATE PRIORIS CERTIORATA, SED ITA CAUTE ET ALIA. Rejicitur sententia opinantium hanc non esse conditionem; sed ut Confessarius instruatur, quod certior sit contractus; ac veram esse conditionem qua enunciatur, demonstrat (9). Nec admittitur sententia asserens, quando fieri non possit revelatio im-

(1) Bened. XIV, *Pastor Bonus*, Bull., tom. I.
(2) Idem Pontifex Inst. Eccl. 87, § 24.
(3) Ibid. § 44.
(4) Bened. XIV de Synod. dioeces.
(5) Idem Institut. Eccles. 87, § 13.
(6) Ibid. § 14.
(7) Ibid. § 50.
(8) Ibid. § 59.
(9) Ibid. § 68.

pedimenti, sufficere, ut pars illud sciens habeat copulam cum parte ignorante affectu maritali, cum prior consensus partis insciae fuerit nullus, adeoque ex parte illius nullus sit, unde debet innovari. Aliorum sententia pariter rejecta est, eorum nempe, qui suadent ut sciens impedimentum proponat alteri se adeo illam amare, ut denuo cum illa velit ligari; si alter respondeat affirmative, consensus censetur innovatus. Haec tamen opinio rejicitur, eo quod consensus praestitus a parte inscia, est consensus, junctus cum errore, quare non adimpleatur conditio, DICTA MULIERE CERTIORATA.

Praefertur caeteris quarta ratio certiorem reddendi partem ignaram, et tunc fit, cum parti ignarae dicitur in priori matrimonio defuisse consensum validum; adeoque suasu Confessoris se proponere, ut iterum innovetur ex parte utriusque (1).

Sed si timor occurrat, ne parte ignara certiorata de nullitate consensus, futurum sit, ut illa renuat novam celebrationem, adeoque sic soluto matrimonio, nata antecedenter proles timeatur, ne declaretur illegitima, tunc utique de prole non est cur dubitetur, nam semper habetur ut legitima, cum impedimentum est occultum, et unus saltem ex conjugibus in bona fide versatur. Verum si adhuc perseveret metus scandalorum ex resolutione hujus matrimonii: tunc opus est, ut per novas literas exponatur S. Poenitentiariae casus, vel recurratur ad Episcopum, qui id suadebit, quod erit opportunum (2).

Causae matrimoniales a Curia Romana commissae in partibus, non delegantur nisi Episcopis, vel si nullus sit in dioecesi, saltem vicinioribus; et si vel illi adfuerint, Judicibus Synodalibus (3). Mandatur insuper, ut in singulis dioecesibus defensor matrimoniorum designetur, qui semper adsit in judicio, et citetur in omnibus actibus. Si vero Judex in partibus pro validitate matrimonii sententiam ferat ab ea sententia appellatio nulla intercedat. Secus si pro invaliditate, defensor appellare debet intra tempus legitimum, sive pars instet, sive non. Pendente vero appellatione ad novas nuptias omnino transire conjuges vetantur sub poenis contra polygamos constitutis. Post duas conformes de nullitate matrimonii, tunc licitum est conjugibus transire ad alias nuptias, dummodo pars, seu defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum (4). Pacta praevia inita inter conjuges de non appellando a sententia de nullitate matrimonii sunt irrita (5).

Matrimonia inter haereticos sine praesentia Parochi in Provinciis foederati Belgii, cum non sit ibi receptum Concilium Tridentinum, tenent; quemadmodum etiam matrimonia inter haereticam, et catholicum ab incolis illorum locorum subtinentur. Idem statuitur si uterque contrahens pertineat ad militiae Ordinum foederati Belgii addictae muniendis arcibus, vulgo dicti DI BARRIERA. Extenditur ad contrahentes in civitate Mo-

(1) Bened. XIV, Institut. Eccles. 87, § 78.
(2) Bened. XIV, Instit. Eccles. 87, § 80.
(3) Idem Constit. *Dei miseratione*, Bull. tom. 1, n. 33.
(4) Ibid.
(5) Idem Encycl. ad Pol., Bull. tom. 1, n. 85.

sae Trajectensis. Sed si contrahentes habentes domicilium in Provinciis foederatis velint contrahere in regionibus catholicis, seu vicissim velint contrahere in Provinciis foederatis, cum habeant domicilium in regionibus catholicis; nihil de illis decernitur (1).

Denunciationes matrimoniales non sine gravi causa dispensentur ab Episcopo, Benedictus XIV mandavit (2). In eo vero casu, quo fiat dispensatio, jussit nomina contrahentium, et fides celebrati matrimonii a ministro deputato facta in libro secreto adnotetur, quem sigillis clausum servandum esse in Episcopali Cancellaria edixit. Si proles nascatur, ejus parentes, et fides collati illi Baptismatis in eodem libro adnotanda est, quapropter moneantur contrahentes in actu contrahendi matrimonii, ut intra triginta dies a nativitate numerandos, instruant he his omnibus Episcopum, et si secus fecerint, sciant occultum matrimonium fore revelandum ab Episcopo.

Matrimonio celebrato non praemissis denunciationibus, nec obtenta ea de re ab Episcopo facultate, si adsistat Parochus, suspensione ad triennium plectendus est a qua suspensione toto eo triennio absolvi ab Episcopo nequit (3).

Diebus, quibus interdicuntur matrimonia, non quidem absolute illa vetantur, praecisa consuetudine, sed solemnitas tantummodo et pompa nuptiarum (4). Nomine vero solemnitatis nuptiarum censentur, et quidem potissimum benedictiones in Missali Romano expressae, vetantur vero illae sub peccato gravi (5). Quare cum temporibus feriatis celebrari nuptias permittit Episcopus, numquam licet benedictiones illas conferre (6). Immo, et tota Missa pro sponso, et sponsa omittenda est, cum benedictiones illae pars ejusdem habeantur. Tunc igitur celebranda est Missa de tempore. Ideo vero requiritur facultas Episcopi ad celebrandum matrimonia diebus feriatis (quamquam illa sint de se licita), quia in Synodis, vel ex consuetudine introducta vetita illa habentur; quare requiritur, ut Episcopi facultas intercedat (7). Semel tamen inita matrimonia diebus feriatis, consummari possunt (8). Quare licita est traductio sponsae ad domum viri (9).

Matrimonia per procuratorem contracta valent. Quamquam cautius est, ut quae sic conciliata sunt, iterum praesentibus conjugibus coram Parocho renoventur; quae tamen dicta sunt ad cautelam, non ad necessitatem (10). Matrimonia occulta antequam ab Episcopo permittantur, debet ille exquirere qualitatem, gradum, et conditionem petentium, an sint sui vel alieni juris, an sint filii familias et num illae nuptiae sint tales, ut pater juste talis possit dissentiri. Cum vero omnia repererit ad formam, de-

(1) Bened. XIV, Const. *Matrimonium*, Bull. tom. 1, n. 34.

(2) Idem Const. *Satis vobis*, Bull. tom. 1, n. 55.

(3) Cap. *Cum inhibitio*, § final. Ben. XIV in Tract. de Synod. Dioeces., lib. 7.

(4) Cap. *Capellanus de feriis*, Ben. XIV Inst. Eccles. 70, § 5.

(5) Bened. XIV, Inst. Eccles. 80, § 7.

(6) Ibid. § 2.

(7) Ibid. § 4.

(8) Ibid. § 17 et 18.

(9) Ibid. § 21.

(10) Idem De Syn. Dioec. l. 13, cap. 23, § 9, nov. edit.

bet deputari ed assistendum eisdem nuptiis Parochus alterutrius ex contrahentibus, nec, nisi ex gravi causa, id numeris demandari debet Sacerdoti a Parocho diverso; qui Sacerdos vel Parochus debet exhibere Episcopo documentum celebrati matrimonii cum nota loci et temporis et testium qui interfuerunt. Hoc vero documentum transcribatur in libro diverso ab illo, in quo reliqua publica matrimonia adnotantur, idemque liber clausus et sigillis obsignatus in Episcopali Cancellaria caute servetur, non aperiendus, nisi cum alia similia matrimonia adnotanda sunt. Mandatur quoque ut proles inde nata denuncietur Episcopo vel per literas parentum manu propria signatas, vel per personam fide dignam a parentibus designatam, eademque attestatio scribatur in libro diverso ab eo, in quo matrimonia occulta describuntur: utriusque parentis nominibus appositis. Qui liber custodiendus est ea diligentia, qua liber matrimoniorum occultorum. Verum in celebratione matrimonii hujusmodi, ille qui Parochi nomen, et vices gerit, debet monere conjuges ut prolem ex eo conjugio natam denuncient Episcopo, eo modo quo supra; alioquin, si haec omittantur, denunciet, Episcopum, secreti fide neglecta, matrimonium illud occultum revelaturum, ne filiis natis jactura inferatur (1).

Cum petita fuisset a Pontifice dispensatio de tertio in quartum consanguinitatis gradu, et contracto matrimonio non consummato, repertum fuit inter conjuges intercedere non unum, sed duplex impedimentum itidem de tertio in quartum, ideoque supplicatum fuit pro dispensatione in eodem secundo impedimento, et vir cujus nomine oblata est supplicatio significavit uxorem suam esse insciam novi hujus impedimenti, quia si hoc scivisset, institisset pro nullitate matrimonii, et si hoc dissolveretur, magna scandala oritura essent, Pontifex concedit novum Breve, in quo dispenset in radice matrimonii. Si uxor in nova supplicatione demonstrabit se consciam fuisse secundi hujus impedimenti ante concessionem secundae hujus dispensationis, et dum parabat se opponere huic matrimonio ratificando, obtentam fuisse a viro, se inscia, dispensationem. Bene resolvi debet pro invaliditate ejusdem matrimonii (2).

(1) Ben. XIV in Bulla *Satis vobis*, n. 35, Bullar. tom. 1.

(2) Idem Pontifex Const. *Etsi matrimonialis*, Bullar. tom. 4, n. 50.

LIBER QUARTUS

De Jure Clericorum.

CAPUT I.

DE OFFICIIS CARDINALIUM.

463. Cum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales caeteros omnes in ipsa Ecclesia post Summum Pontificem honore ac dignitate praecedant conveniens ac debitum est ut vitae munditia ac virtutum splendore cunctis praefulgeant. Quapropter non modo monentur, sed etiam statutum (pro eis) est ac ordinatum ut quilibet Cardinalis pro tempore existens, juxta doctrinam Apostoli ita sobrie, caste ac pie vivat ut non solum a malo, sed ab omni etiam specie mali abstinens coram hominibus luceat, Deumque, in primis, operibus honorificet.

Sint omnes vigiles ac divinis officiis, missarumque celebrationibus intenti, habeantque capellas suas in loco honesto, sitque eorum domus, familia, mensa, supellexque non fastu aut pompa, neque superfluis rebus, neque aliquo modo reprehensibilis, nec peccandi, excedendique modum licentia inde nascatur, sed ut aequum est modestiae et frugalitatis speculum dici mereantur. Illis itaque sint contenti, quae sacerdotalem prae se ferant modestiam ac Praelatos et quoscumque alios insignes viros ad Romanam Curiam venientes benigne honorificeque tam publice quam privatim tractent et apud successores Sancti Petri gratiose liberaliterque eorum negotia commendata suscipiant.

Praeterea ministerium indecorum Episcoporum Praelatorumque in domibus non habeant, ne caeteris praeesse instituti, et sacro charactere insigniti in vilia descendant ministeria passimque pastoralis officii contemptum inducant. Eos itaque honorifice ut fratres ac juxta eorum status condecentiam tractent.

Cumque Romano Pontifici communi omnium Christifidelium Patri assistant, personarum acceptatores, vel advocatos eos fieri valde inconveniens est. Propterea statutum est ne partialiter suscipiant aliquam personam, neque principum aut communitatum, vel quorumcumque aliorum, contra quemquam, nisi quantum justitia et aequitas postulat, eorumque dignitas et conditio requirit, promotores et defensores fiant, sed a privata omni passione sejuncti, sedandis et componendis inter quoscumque litibus omni diligentia vacent incumbantque: principum et quorumcumque aliorum, ac praeser-

tim pauperum ac religiosorum justa negotia pio promoveant affectu, oppressos et injuste gravatos juxta vires suas et officii debitum, adjuvent.

Tituli sui loca, si praesentes in Curia fuerint personaliter: si vero absentes per vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent: clericos et populos ecclesiarum titulo suo subjectarum, cum diligentia inquirant, vigilentque circa cultum divinum, et bona dictarum ecclesiarum moresque in primis et vitam clericorum et parochianorum solerter explorent, eosque omnes et singulos ad recte honesteque vivendum paterno moneant affectu.

Pro augmento autem divini cultus et salute animae suae, quilibet Cardinalis, vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat suo titulo, quantum sit satis ad Presbyterum unum commode ibi sustentandum: vel si ecclesia indigeat reparatione, vel alia subventione, tantum illi relinquat vel donet quantum conscientiae suae videbitur. Et cum minime deceat, affines et consanguineos praesertim benemeritos et ope indigentes negligere, sed illis providere justum et laudabile sit non propterea tamen vel beneficiorum multitudine, vel ecclesiasticis redditibus ita eos impleri convenire arbitramur ut caeteri damnum ex hujusmodi largitionis intemperantia patiantur, et inde scandalum nascatur. Statutum est itaque ut ecclesiarum bona temere non effundant, sed ea in piis et sanctis operibus exponant, quorum causa magni, et opimi redditus per sanctos Patres statuti et ordinati fuerunt.

Volumus etiam ut ecclesiis eisdem Cardinalibus commendatis, etiamsi Cathedrales, Abbatialesve, aut Prioratus, vel quaecumque alia beneficia Ecclesiastica fuerint absque omni prorsus excusatione procurent, ac omni conatu suo provideant debite inserviri Cathedralibus, dignos et idoneos vicarios seu suffraganeos prout consuetudo fuerit, cum digna et competenti mercede opponentes, reliquis autem sibi commendatis ecclesiis aut monasteriis de justo clericorum vel capellanorum, seu religiosorum aut monachorum, Deo sufficienter et laudabiliter servientium numero providentes: aedificia quoque, possessiones et jura quaecumque in statu convenienti conservent, et diruta instaurent, sicut ad bonorum Praelatorum, et commendatariorum officium spectat.

464. Statutum est ut dicti Cardinales circa numerum familiarium, aequorumque suis impensis alendorum, magna utantur circumspectione ac diligenti providentia, ne majorem numerum, quam sua facultas conditiove ac dignitas patiatur, habentes luxus ac prodigalitatis vitio notari possint, neve rursus avari, sordidique habeantur, si in magnis et amplis redditibus paucissimis victum praebeant, cum domus Cardinalium patens hospitium, portusque ac refugium proborum et doctorum maxime virorum, et pauperum nobilium honestarumque personarum esse debeat. Sint igitur circa modum et numerum tenendi prudentes, ac de familiarium qualitate in primis curiosi, ne ex alienis vitiis turpem sibi con-

trahant infamiae notam, vulgoque obloquendi calumniandique justas praebeant occasiones.

Et cum non solum coram Deo, cui primum placere debemus, sed etiam coram hominibus opera nostra probentur, ut caeteris exemplo ad imitandum possimus esse, ordinatum est ut quilibet Cardinalis se domus ac familiae suae optimum rectorem, perfectumque ostendat esse, tam circa ea, quae extrinseca omnibus apparent, quam quae intus latent abscondita. Habeat itaque eorum quisque sacerdotes et levitas honestis vestimentis indutos, attenteque provideat, ne quis in familia sua quoquo modo beneficiatus et in sacris ordinibus constitutus vestes pandet versicolores, nec eo habitu utatur, qui ordini ecclesiastico parum conveniat. Quare in Presbyteratus ordine constituti, vestes colorum, quae clericis a jure non prohibeantur, deferre debeant usque ad talos saltem demissas.

465. Et quoniam ad Cardinales maxime spectat operum optimorum cura, pro viribus laborabunt scire, quae regiones haeresibus, erroribusque ac superstitionibus contra veram et orthodoxam fidem infectae sint, et ubi divinorum mandatorum ecclesiastica deficiat disciplina: quique reges ac principes seu populi bellis infestentur, vel infestam timeant. Haec et hujusmodi scire ac Romano Pontifici pro tempore existenti referre operam dabunt, ut opportuna et salutaria talibus malis ac pestibus remedia vigilanti studio excogitare valeant. Et cum frequenti, ac prope quotidiana experientia notum sit, provinciis ac civitatibus propter suorum legatorum de latere absentiam multa saepius contingere mala variasque non sine Apostolicae Sedis praejudicio scandala oriri, statutum est ac ordinatum ut nullis Cardinalibus provincias ac civitates legationis titulo obtinentibus eas per locum tenentes aut officiales quoscumque administrare liceat, sed personaliter ipsi pro majore parte temporis adesse, atque eas omni vigilantia regere et gubernare teneantur. Pro reverentia autem Sedis Apostolicae utilitateque et honore communi Pontificis et ipsorum Cardinalium, ut scandalorum, quae nasci possent occasio tollatur, majorque in sacro Senatu libertas votorum fiat, liceatque, ut par est, Cardinali cuique secundum Deum et conscientiam suam libere et impune quodcumque sentiat dicere, statutum est ne quis Cardinalium vota in consistorio data, et quaecumque ibi gesta aut dicta, quae in odium, aut praejudicium, aut scandalum alicujus redundare possint, scripto aut verbo, aut quovis alio modo revelet sub poena perjurii et inobedientiae: et quotiescumque a Romano Pontifice pro tempore existente specialiter et expresse ultra praemissa indictum fuerit pro aliqua re silentium. Si quis contrafecerit, ultra poenas excommunicationem latae sententiae incurrat, a qua non possint nisi a Pontifice Romano cum expressione causae, praeterquam in mortis articulo (1).

466. Cum Cardinales veri sint car-

(1) Concilium Lateran. sub Leone, Sess. IX.

dines et clarissima Ecclesiae lumina, templi Dei bases, et firmamenta Christianae Reipublicae singulari quadam pietate ac doctrina, nec vulgare, aut mediocri, sed insigni atque eximia virtute abundare debent, ut quam gerunt personam digne et honorifice valeant sustinere. Ac quemadmodum praecipuae sunt partes Summi Romani Praesulis in iis asciscendis exquisita diligentia, et accurata circumspectione providere, ut viri optimi ac lectissimi assumantur, et in hoc potissimum necessitati atque utilitati totius Ecclesiae sibi commissae consulatur, ita etiam Praelati ceteraeque personae ecclesiasticae ad tantae dignitatis sublimitatem promovendi anteactae vitae laude atque excellenti quadam rara meritorum commendatione prae caeteris fulgeant necesse est, ut hoc amplissimo honore digni habeantur (1).

Siquidem eorum vita ac mores caeteris exemplo esse debent, quorum verba et responsa pro oraculis, monita ac praecepta ab universis Christianis regulae et norma vivendi, recteque sentiendi extimantur ab iis quasi sapientissimis Ecclesiae disciplinae forma suscipitur, quae ad mores vitamque cunctorum fidelium componendo longe lateque diffusa propagetur. Ipsi vere sunt sal terrae ac lucernae positae super candelabrum, ut inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram ac lepram discernant, ac dotrinae opportunitate et veritate, infirma confirment, disrupta consolident, depravata convertant, luceant omnibus, qui in domo Domini habitant et Sanctae Sedi Apostolicae assistentes cunctos pastores, dum in gravioribus negotiis eamdem Sedem consulant, ejusve opem implorant, sub judicio, consilio, et auctoritate instituere, dirigere ac docere non cessent; praesertim cum non solum ad eos spectent plurima et maximi momenti negotia, et causas, quae eis in dies committuntur praeclara fide et prudentia cognoscere, verum etiam legationibus in provinciis gubernandis et in gravioribus rebus saepius ad Reges, et Imperatores perfungi (2).

467. Omnes et singuli ejusdem S. Romanae Ecclesiae Cardinales, nisi obtinuerint a Romano Pontifice licentiam, extra temporalem Status Ecclesiastici ditionem se minime transferant, secus eo ipso, absque aliqua judicis vel alterius praecedente declaratione omnibus, et quibuscumque privilegiis, immunitatibus, exemptionibus et indultis etiam conferendi beneficia ecclesiastica, nec non transferendi pensiones, seu fructus ecclesiasticos, etiam loco pensionum reservatos, ac testandi et disponendi sibi quomodolibet a Sede Apostolica concessis privati existant. Ac insuper etiam poenam interdicti ingressus ecclesiae eo ipso pariter absque aliqua declaratione incurrunt. Nec non etiam aliis per Pontificem Romanum quovis modo arbitrandis poenis subjiciant et ad sequestrum omnium et singulorum fructuum redditum, proventuum jurium subven-

(1) Sixtus V in Constit. *Postquam verus ille*, anno 1586.

(2) Sixtus V in Constitut. *Postquam verus ille*, anno 1586.

tionum et emolumentorum universorum, tum quorumcumque officiorum et munerum etiam majorum etiam consistorialiter concessorum specialique nota et expressione dignorum, quae quomodolibet etiam ex titulo vere oneroso obtinent, nec non pensionum super quibusvis fructibus ecclesiasticis ex quavis causa, etiam alimentorum et sustentationis ac alias quomodolibet eis assignatarum et fructuum ecclesiasticorum etiam loco pensionum ipsis reservatorum deveniri etiam sine aliqua citatione, intimatione, vel declaratione possint et debent.

468. Et si praedicti Cardinales per sex menses, qui pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis assignantur a die eorum recessus hujusmodi computandos ad Romanam Curiam personaliter et cum effectu non redierint, ultra poenas et alia supradicta ac cumulative cum illis, etiam eo ipso, ut praemittitur, incurrant poenas privationis omnium et singulorum fructuum, redditnum, proventuum, jurium obventionum, et emolumentorum universorum, tam quorumcumque officiorum, et munerum etiam majorum etiam consistorialiter concessorum, specialique nota et expressione dignorum, quae quomodolibet etiam et titulo vere oneroso, quam monasteriorum et aliorum quorumcumque beneficiorum saecularium et quorumvis ordinum, etiam S. Antonii Viennensis, et Hospitalis S. Joannis Jerosolymitani, regularium, et alias quovis modo obtinent, et pro tempore obtinebunt, nec non pensionum super quibusvis fructibus ecclesiasticis ex quavis causa, etiam alimentorum et sustentationis, ac alias quomodolibet eis assignatorum et fructuum ecclesiasticorum, etiam loco pensionum ipsis reservatorum arbitrio Romani Pontificis libere, et absque eo quod jus aliquod Titularibus acquiratur distribuenda.

469. Quod si lapsis praedictis sex mensibus per alios sex menses immediate sequentes, quos pariter pro tribus canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus et terminis assignato esse decretum est adhuc abfuerint, et in termino horum ultimo dictorum sex mensium ad Romanam Curiam, personaliter, et cum effectu non redierint, cumulative cum omnibus et singulis supradictis poenis, etiam privationis ipsorum praedictorum omnium, et singulorum officiorum et munerum, etiam majorum etiam consistorialiter et alias quomodolibet etiam titulo oneroso, ut praefertur concessorum arbitrio Romani Pontificis distribuendis et disponendi eo ipso itidem et absque alia declaratione incurrant.

470. Si autem Cardinales absque licentia Summi Pontificis extra Statum Ecclesiasticum se transferunt per tres menses immediate sequentes, quos pariter pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis assignatis, et sic in totum infra quindecim menses personaliter et cum effectu ad Romanam Curiam non redierint, decernitur devenire posse ad alias poenas etiam quantumlibet majores et graviores ac individua mentione, specialique nota

dignas per Romanos Pontifices declarandas ac etiam usque ad poenam privationis dignitatis Cardinalatus inclusive (1).

CAPUT II.

DE OFFICIIS EPISCOPORUM.

471. Episcopos oportet esse irreprehensibiles. Ipsis omnimode Sancta Nicaena Synodus et alia Concilia subintroductam habere mulierem interdicitur. Ipsi nullam rei extraneae curam ad se revocent, sed lectioni et orationi, nec non verbi Dei praedicationi vacent. Modestam supellectilem habeant, et frugali mensa contenti caveant ne quid appareat, quod non simplicitatem in eis, et carnis mortificationem, et contemptum vanitatum, ac Dei zelum praeseferat (2). Si qui regulares fuerint ad Episcopatus honorem promoti, religionis habitum retineant: praeter designata tempora divini officii aut ecclesiasticae functionis (3).

Episcopi rebus ecclesiae tamquam commendatis non tamquam propriis utantur. Ipsis interdictum est ne ex redditibus ecclesiae consanguineos, familiaresve suos augere studeant. Sed, si hujusmodi consanguinei pauperes sint, ipsis ut pauperibus distribuant. Bona ecclesiae ne distrahant vel dissipent parentum causa: imo quam maxime potest quisque Episcopus humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquos, carnis affectum penitus deponat (4). Antiqua enim Ecclesiae lex est et semper in vigore habita quod nulli Episcoporum liceat res de subjectis plebibus et aliis locis piis in proprios usus habere. Contra agens canonica auctoritate coërceatur (5).

472. Episcopi principibus, eorumque ministris in ecclesia vel extra indecenti quadam dimissione locum non cedant, nec personaliter inserviant; sed gradum et ordinem ad quem promoti fuerunt prae oculis habentes, ubique se patres et pastores esse meminerint; et tam Reges, quam caeteros omnes paterno honore ac debita reverentia prosequantur (6).

Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum operum omnium exemplo pascere, pauperum, aliorumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in caetera munia pastoralia incumbere; quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt; sed mercenariorum more deserunt; admonentur hinc atque hortantur Episcopi, ut divinorum praeceptorum memores factique forma gregis in judicio et veritate pascant et regant (7). Adver-

(1) Innocentius X Constitut. *Cum juxta*, 1646.
(2) Concil. Carthag. IV, cap. 15; Conc. Antioch., cap. 25; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 1 de Reform.
(3) Conc. Laod. can. 31.
(4) Conc. Trid. Sess. XXV de Reform., cap. 1.
(5) Eugenii et Leonis IV apud Deusdedit. col. can. ex Vaticano codice per dominum Martucci editum, Romae typis de Prop. Fide.
(6) Conc. Trid. Sess. XXV de Ref., cap. 17. — Conc. Agath. c. 33, c. *Quanto de off. ord.* et supra *de Reg.* c. 4.— C. Episcopus in Eccles. 95 d. c. *Quis dubitet* — et alibi.
(7) Ibid. Sess.

tendum tamen est quod damnatur qui profitetur persuasum sibi esse Episcopum accepisse omnia jura necessaria pro bono regimine suae dioecesis (1). Nullus Episcopus aliquem Episcopum nisi canonice electum ad consecrandum manus mittat. Quod si praesumpserit, consecratus et consecrator absque recuperationis spe deponatur (2). A suis Episcopis excommunicatus, ab aliis Episcopis, Abbatibus et Clericis in communionem recipi prohibetur (3).

473. Indispensabile debitum, et munus praecipuum Episcoporum est praedicatio evangelii. Omnes proinde Episcopi, Archiepiscopi, Primates, et omnes alii Ecclesiarum praelati tenentur per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum sanctum Jesu Christi evangelium. Si vero contigerit Episcopos et alios praedictos legitimo impedimento detinere juxta formam Lateranensis Concilii habiti sub Innocentio III scilicet vel senectute, vel morbo gravatos esse, vel hostilibus incursibus exagitatos, ad ministrandum populo panem spiritualem praedicationis, viros idoneos assumere tenentur, iidem Episcopi, ad hujusmodi officium salubriter exequendum. Si autem hoc adimplere contempserint districtae subjaceant ultioni (4).

474. Si quis a patriarchali vel primatiali, metropolitana, aut cathedrali ecclesia quocumque titulo, causa, nomine seu jure sibi commissa, quocumque ille dignitate, gradu, et praeeminentia praefulgeat, legitimis impedimentis, seu justis causis cessantibus sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerit, quartae partis fructuum unius anni fabricae ecclesiae, vel pauperibus loci per Superiorem applicandorum poenam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censurae subjiciatur Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per literas, seu nuncium Romano Pontifici denuntiare teneatur, qui in ipsos absentes prout cujuscumque major aut minor contumacia exegerit suae supremae Sedis auctoritate animadverteret, et Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus poterit providere, sicut in Domino noverit salubriter expedire (5).

475. Cum vero christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, et exigant, has legitimae absentiae causas a Beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente a suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit in scriptis esse approbandas statutum sit; nisi cum absentiae inciderit propter aliquod munus et reipublicae officium

(1) Pius VI *Auctorem fidei*.
(2) Ibid. (3) Ibid.
(4) Conc. Trid. Sess. V. cap. 2. de Reform.
(5) Concil. Trid. Sess. VI de Reform., cap. 1.

episcopalibus adjunctum; cujus quoniam causae sunt notoriae et interdum repentinae, nec eos quidem significari Metropolitano necesse erit: ad eumdem tamen cum provinciali Concilio spectabit judicare de licentiis a se vel suffraganeo datis et videre ne quis eo jure abutatur; et ut poenis canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri ita ovibus suis providendum, ut quantum fieri poterit ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem quia aliquantis per tantum absunt, ex veterum canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, Sacrosancta Synodus voluit illud absentiae spatium singulis annis sive continuum sive interruptum extra praedictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, et haberi rationem ut id aequa ex causa fiat et absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit abscendentium conscientiae relinquitur. Admonentur interea Episcopi, ne per illius temporis spatium Dominicae adventus, quadragesimae, nativitatis, resurrectionis Domini, Pentecostes, et Corporis Christi, diebus quibus refici maxime et in domino gaudere Pastoris praesentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua dioecesi eos alio vacent. Non obstantibus quibuscumque privilegiis (1).

476. Insuper Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi aliique quavis auctoritate et dignitate fulgentes vel gradu, aut praeeminentia qui ecclesias in commendam vel administrationem aut quovis alio nomine obtinuerint et alii beneficiati curam animarum habentes, qui personalem in suis Ecclesiis residentiam habitualiter non habent, non solum privationis poenam a regimine et administratione Ecclesiarum suarum ac alias poenas a Summorum Pontificum arbitrio imponendas incurrunt, verum etiam in poenam inhabilitatis testandi de iis, quae poterant, incidunt, quae ad apostolicam Cameram devolventur, ut spolia, omnia jura, pensiones et redditus beneficii cujuscumque (2).

Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae, qui residentiae officium in propriis Ecclesiis contempserint, non solum incapaces fiunt ad alias ecclesiasticas dignitates obtinendas, sed etiam privantur omnibus privilegiis et indultis, quae forsan ipsis concessa fuerint tamquam pontificio solio assistentibus (3).

477. Transgressores hujusmodi intelliguntur ii, qui, praeter tres menses toleratos, absque legitima causa et expressa Romani Pontificis licentia extra dioeceses commorantur, et ii etiam, qui hujusmodi licentiam falsis, simulatisque causis dolose extorquere non dubitaverint, vel ea semel rite, recteque obtenta praescriptos in ea limites, ac praefinitum tempus praetergressi fuerint (4). Leges residentiae in propriis Ecclesiis respiciunt quoque Sanctae Romanae Ec-

(1) Ibid. Sess. XXIII, cap. 1.
(2) Pius IV " In suprema „ 1564.
(3) Bened. XIV Const. *Ad universae*, 1746.
(4) Ibid. et Urbanus VIII Const. *Sancta Synodus*, 1634, et Innocentii in Epist. Apost. 1707.

clesiae Cardinales, qui patriarchalibus, primatialibus, archiepiscopalibus Ecclesiis praesunt (1).

478. Cum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas: et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte ac sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret, statutum sit, ut singulae cathedrales, metropolitanae, atque his majores ecclesiae pro modo facultatum, et dioecesis amplitudine certum puerorum ipsius civitates et dioecesis vel ejus provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo alere, et religiose educare, ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere ac scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios praecipue eligi oportet nec ditiorum filii excludantur modo suo sumptu alantur et studium praeseferunt Deo et Ecclesiae inserviendi. Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei videbitur, divisos juxta eorum numerum aetatem ac in disciplina ecclesiastica progressum; partim cum ei videbitur opportunum ecclesiarum ministerio adjiciet: partim in collegio erudiendos retinebit, aliosque in locum eductorum sufficiet; ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit. Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim, atque habitu clericali semper utentur; grammatices, cantus, computi ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam discent, Sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum maxime quae spectant ad confessionem, et rituum, et caeremoniarum formas ediscent. Curet Episcopus ut singulis diebus Missae sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus peccata confiteantur, et juxta confessariorum judicium sumant Corpus Domini nostri Jesu Christi. Cathedrali et aliis loci ecclesiis diebus festivis inserviant.

279. Quae omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituant ea, quae ut semper observentur saepius visitando operam dabunt. Discolos et incorrigibiles et malorum morum seminatores acriter puniant eos etiam si opus fuerit expellendo, omniaque impedimenta auferentes quaecumque ad conservandum, et augendum tam pium et sanctum institutum pertinere videbuntur diligenter curabunt (2).

480. Et quia ad collegii fabricam instituendam si hujusmodi seminaria adhuc erecta non fuerint, vel eversa,

(1) Bened. XIV in citata Const.

(2) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 18.

et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, et ad alendam juventutem, et ad alios sumptus certi redditus erunt necessarii, ultra ea ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis, et locis destinata, quae ex ipso huic seminario sub eadem cura applicata censentur, iidem Episcopi cum consilio duorum e Capitulo, quorum alter ab Episcopo alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat ex fructibus integris Mensae episcopalis et Capituli, quorumcumque dignitatum personatuum, officiorum, praebendarum, portionum abbatiarum et prioratuum cujuscumque ordinis etiam regularis aut qualitatis vel conditionis fuerint, et hospitalium, quae dantur in titulum vel administrationem, et beneficiorum quorumcumque etiam regularium, etiamsi jurispatronatus, cujuscumque fuerint, etiamsi exempta, etiamsi nullius dioecesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis et hospitalibus: et aliis quibusve locis piis etiam exemptis annexu, et ex fabrica ecclesiarum et aliorum locorum etiam ex quibuscumque aliis ecclesiasticis redditibus, seu proventibus, etiam aliorum collegiorum, in quibus tamen seminaria discentium vel docentium ad commune bonum Ecclesiae promovendum actu non habentur, haec enim exempta esse debent, praeterquam ratione redditiuum, qui superflui essent, praeter convenientem ipsorum seminariorum substentationem, seu corporum vel confraternitatem, quae in nonnullis locis scholae appellantur, et omnium monasteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi solent, et milites cujuscumque militiae aut ordinis pertinentes, fratribus Sancti Joannis Jerosolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam vel portionem detrahent, et eam portionem sic detractam nec non beneficia aliquot simplicia cujuscumque qualitatis et dignitatis fuerint, et etiam praestimonia vel praestimoniales portiones nuncupatas, etiam ante vacationem, sine cultus divini et illa obtinentium praejudicio, huic collegio applicabunt et incorporabunt, quod locum habeat etiamsi beneficia sint reservata vel affecta, nec per resignationem ipsorum beneficiorum uniones et applicationes suspendi, et nullo modo impediri possunt: sed omnino quacumque vacatione, etiamsi in curia effectum suum sortiantur, et quacumque constitutione non obstante (1).

481. Ad hanc autem portionem solvendam beneficiorum, dignitatum, personatuum, et omnium singulorum supra commemoratorum possessores non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis formas ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis pensionibus illis erit solvendum ab Episcopo loci per censuras ecclesiasticas ac alia juris remedia compellantur, etiam vocato ad hoc si videbitur brachio saeculari: quibusvis, quoad omnia et singula supradicta privile-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 18.

giis exemptionibus, etiamsi specialem, derogationem requirerent, consuetudine etiam immemorabili, quavis appellatione et allegatione, quae executionem impediat non obstantibus (1).

482. Succedente vero casu, quo per uniones, effectum suum sortientes vel aliter seminarium ipsum in totum vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex singulis beneficiis ut supra detracta et incorporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerit in totum vel pro parte remittatur. Quod si cathedralium et aliarum majorum ecclesiarum praelati in hac seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint, Episcopum Archiepiscopus; Archiepiscopum et superiores Synodus provincialis acriter corripere et ad supradicta cogere debeat, et ut quamprimum hoc sanctum et pium opus ubicumque fieri poterit, promoveatur studiose curabit. Rationes autem redditum hujus seminarii Episcopus annis singulis accipiat, praesentibus duobus a Capitulo et totidem a clero civitatis deputatis. Deinde ut cum minori impensa hujusmodi scholis instituendis provideatur, statutum est ut Episcopi, Archiepiscopi, Primates et alii locorum Ordinarii scholas obtinentes et alios quibus est lectionis adnexum munus, si idonei fuerint, alioquin per idoneos substitutos ab iisdem scholasticis eligendos, et ab Ordinariis approbandos, etiam per subtractionem fructuum cogant et compellant. Quod si judicio Episcopi digni non fuerint, alium, qui dignus sit, nominent omni appellatione remota, quod si neglexerint, Episcopus ipse deputet. Docebunt autem praedicti quae videbuntur Episcopo expedire (2).

483. De caetero vero officia vel dignitates illae, quae scholasticae dicuntur, nonnisi doctoribus, vel magistris aut licentiatis in sacra theologia aut jure canonico, et aliis personis idoneis, et qui per se ipsos id munus expleant conferantur et aliter facta provisio nulla sit et invalida, non obstantibus quibusve privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus.

Si vero in aliqua provincia Ecclesiae tanta paupertate laborent, ut collegium in aliquibus erigi non possit, Synodus provincialis, vel Metropolitanus cum duobus antiquioribus suffraganeis in Ecclesia metropolitana, vel alia provinciae Ecclesia commodiori unum aut plura collegia, prout opportunum judicabit ex fructibus duarum aut plurium Ecclesiarum, in quibus singulis collegium commode institui non potest erigenda curabit, ubi pueri illarum Ecclesiarum educentur. In Ecclesiis autem amplas dioeceses habentibus possit Episcopus unum vel plura in dioecesi prout sibi opportunum videbitur habere Seminarium, quae tamen ab illo uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit in omnibus dependeant. Postremo si vel pro unionibus, seu pro portionum taxatione vel assignatione et incorporatione aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam o-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 18.

(2) Ibid.

riri contigerit, ob quam hujus Seminarii institutio vel conservatio impediretur aut perturbaretur, Episcopus cum supra deputatis, vel Synodus provincialis pro regionis more, pro ecclesiarum et beneficiorum qualitate, etiam suprascripta, si opus fuerit moderando, omnia et singula, quae ad felicem hujus Seminarii profectum necessaria et opportuna videbuntur, decernere ac providere valeat (1).

484. Ecclesiarum Praelati ad corrigendum subditorum excessum prudenter ac diligenter intendant: et nemo saecularis clericus cujusvis personalis, vel regularis cujusvis ordinis extra monasterium degens, privilegii sui ordinis praetextu, tutus censeatur, quominus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc, a Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, et corrigi valeat (2). Meminerint tamen Episcopi se esse pastores non percussores, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tamquam filios et fratres diligant elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint debitis eos poenis coërcere cogantur: quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas; plus exhortatio, quam comminatio; plus charitas, quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit; tunc cum mansuetudine rigor cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est; ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, et qui correcti fuerint emendentur, aut si resipiscere noluerint, caeteri, salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur, cum sit diligentis et pii simul pastoris officium morbis ovium levia primum adhibere fomenta, post, ubi morbi gravitas ita postulet ad acriora et graviora remedia descendere: sin autem ne ea quid proficiant, illis submovendis, caeteras saltem oves a contagionis periculo liberare. Cum igitur rei criminum plerumque ad evitandas poenas, et Episcoporum subterfugienda judicia, querelas et gravamina simulent, et appellationis diffugio judicis processum impediant, ne remedio ad innocentiae praesidium instituto ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ut hujusmodi eorum calliditati et tergiversationi occurratur: ita statutum sit atque decretum in causis visitationis et correctionis, sive habilitatis, et inhabilitatis, nec non in criminalibus, ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario generali ante definitivam sententiam, ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur, nec Episcopus, seu Vicarius appellationi hujusmodi, tamquam frivolae, deferre, teneatur, sed ea, quacumque inhibitione ab appellationis judice emanata, nec non omni stylo et consuetudine etiam immemorabili contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi grava-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 18.

(2) Ibid. Sess. VI, cap. 3 de Reform.

men hujusmodi per definitivam sententiam rapararit, vel ab ipsa definitiva appellari nequit, quibus casibus sacrorum et antiquorum statuta illibata persistant (1).

485. Capitula cathedralium et aliarum majorum ecclesiarum, illorumque personae, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, et concordiis, quae tantum obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus a suis Episcopis, et aliis majoribus Praelatis per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis juxta canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi et emendari etiam auctoritate Apostolica possint et valeant (2).

486. Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu Pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia et in personis eidem Ordinario subjectis tantum, si secus factum fuerit Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi (3). Curent Episcopi aliique Ordinarii ut hospitalia quaecumque a suis administratoribus quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis fideliter et diligenter gubernentur (4). Illi autem ad quos de jure vel statuto in ipsorum fundatione locorum apposito aut ex consuetudine legitime praescripta, vel privilegio Sedis Apostolicae pertinet, loca ipsa studeant in praedictis omnibus informare salubriter, ac occupata, deperdita, et alienata, indebite, in statum reduci debitum faciant, et ad ipsarum miserabilium personarum receptionem et substentationem debitam juxta facultates et proventus locorum ipsorum rectores Praelatos compellere non omittant. In quo si forte commiserint negligentiam vel defectum Ordinarii locorum tenentur, ut etiamsi pia loca praedicta exemptionis privilegio munita consistant, per se ipsos, vel per alios impleantur omia praemissa et singula et rectores compellant, si non exemptos, propria auctoritate, exemptos vero Apostolica auctoritate. Contradictores cujuscumque status aut conditionis existant ac praebentes iisdem circa praemissa consilium, auxilium vel favorem per censuram ecclesiasticam et aliis juris remediis compescendo nulla tamen per hoc exemptionibus, seu privilegiis ipsis quoad alia praejudicium generando (5).

487. Ut autem praemissa promptius nullus ex locis ipsis saecularibus clericis in beneficium conferatur, etiamsi de consuetudine, quae penitus reprobatur, hoc fuerit observatum, nisi in illorum fundatione secus constitutum fuerit, seu per electionem si sit de Rectore loci hujusmodi providendum. Sed earum gubernatio viris providis, idoneis, et boni testimonii committatur, qui sciant, velint, et valeant loca ipsa, bona eorum, ac jura utiliter regere, et eorum proventus et redditus in personarum usum miserabilium fideliter dispensare, et quos in usus alios bona prae-

(1) Conc. Trid. Sess. XIII, cap. 1 de Ref.
(2) Ibid. Sess. VI, cap. 4 de Ref.
(3) Ibid. cap. 4.
(4) Ibid. cap. 15.
(5) Clemens V in Conc. Vienn. an. 1311.

dicta convertere praesumptio verisimilis non existat. In quibus sub obtestatione divini judicii illorum, ad quos dictorum locorum gubernatio, seu administratio committetur ad instar tutorum et curatorum juramentum praestare ac locorum ipsorum bonis inventaria conficere et Ordinariis, seu aliis quibus subsunt loca hujusmodi, vel deputandis ab eis annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem. Quod si secus a quocumque fuerit attentatum, collationem, provisionem, seu ordinationem ipsam carere sciat (1).

488. Praemissa vero, ad hospitalia militarium ordinum, aut religiosorum etiam aliorum extendi minime intelligatur; quorum tamen hospitalium rectoribus in virtute sanctae obedientiae praecipitur ut in illis secundum sacrorum ordinum instituta et antiquas observantias providere pauperibus et hospitalitatem debitam in illis tenere procurent ad quod per superiores eorum arcta districtione cogantur statutis aut consuetudinibus quibuslibet non obstantibus in praemissis (2).

Episcopus sit vigilans in petendo rationem ab administratoribus, tam ecclesiasticis, quam laicis, fabricae cujusvis ecclesiae etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, montis pietatis, et quorumcumque piorum locorum singulis annis, privilegiis quibuscumque et consuetudinibus in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine aut privilegio aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius aliter factae liberationis dictis administratoribus minime suffragentur (3).

489. Episcopus puniat severissime pravos eleemosynarum quaestores, qui a Tridentina Synodo jam sublati sunt. Indulgentias vero aut spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet privari, deinceps per Episcopos, aliosque Ordinarios locorum adhibitis duobus de Capitulo debitis temporibus populo publicandas esse decretum sit, quibus etiam eleemosynas, atque oblata sibi charitatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur ut tandem coelestes hos ecclesiae thesauros non ad quaestum sed ad pietatem exerceri omnes vere intelligant (4). Religiosi vero possunt publicare indulgentias sibi a Summis Pontificibus concessa sed Ordinarii licentia (5).

490. Episcopus ne puniat subditos alienos; quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri sunt pastores ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus praeesse quaerunt, et ita alicujus subditis quandoque intendunt, ut suorum curam negligant: quicumque, etiam Episcopali praeditus dignitate, qui alienos subditos privilegium puniendi habuerit, contra clericos sibi non subditos, praesertim in sacris

(1) Clemens V in Conc. Vienn. an. 1311.
(2) Clemens V in Conc. Viennensi an. 1311 " Quia contigit. "
(3) Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 9 de Reform.
(4) Ibid.
(5) Ibid.

constitutos, quorumcumque etiam atrocium criminum reos, nisi cum proprii ipsorum clericorum Episcopi, si apud ecclesiam suam resederit, aut personae ab ipso Episcopo deputandae interventu, nequaquam procedere debeat: alias processus et inde secuta viribus omnino careant (1).

491. Quoniam subditi Episcopo tametsi jure correpti fuerint, magnopere tamen eum odisse et tamquam injuria affecti sint, falsa illi crimina objicere solent, ut quoque pacto possent ei molestiam exhibere, cujus vexationis timore plerumque illum ad inquirenda et punienda eorum delicta segniorem reddit; idcirco, ne his magno sua et Ecclesiae incommodo gregem, sibi concreditum relinquere, ac non sine episcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ita statutum est, Episcopus, nisi ob causam ex qua deponendus sive privandus veniret, etiamsi ex officio aut per inquisitionem seu denunciationem, vel accusationem, sive alio modo quovis procedatur, ut personaliter compareat nequaquam citetur vel moneatur (2).

Causae Episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur ac per ipsum terminentur (3).

492. Omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi per universum terrarum orbem constituti etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant, seu eis consecratis Pallium de B. Petri corpore sumptum tradatur, aut si ad aliam Ecclesiam transferantur, et antequam illius regimini et administrationi se immisceant; si quidem praesentes in Curia fuerint, in manibus Sanctae Ecclesiae Diaconi Cardinalis ordine prioris, si vero absentes in manibus antistitis, qui ad impendendum munus praedictum, aut ad tradendum Pallium hujusmodi a S. Sede delegabitur, jurent juxta formulam in libro Cancellariae Apostolicae quinterno appellato, descriptam, se beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli limina statutis temporibus, personaliter, ac per se ipsos visitatores, ac Pontificibus Romanis pro tempore existentibus rationem reddituros de toto eorum pastoralis officio, deque rebus omnibus ad ipsorum quibus praesunt Ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animorum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata Apostolica recepturos, et quam diligentissime executores.

493. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint jurent se praedicta omnia adimpleturos per certum nuntium ad id speciale mandatum habentem, et de gremio suorum Capitulorum, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut si hujusmodi hominem ecclesiastica dignitate et personatu praeditum non habeant per dioecesanum sacerdotem, et si clero careant, omnino per aliquem alium sacerdotem saecularem, vel regula-

(1) Ibid. Sess. XIV, cap. 8 de Reform.

(2) Conc. Trid. Sess. XIII, cap. 6 de Reform.

(3) Ibid. cap. 8.

rem spectatae probitatis, et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum Diaconum Cardinalem per supradictum nuntium transmittendas (1).

494. Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi Itali videlicet vel ex Italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi et alii adjacentium provinciarum Italiae, ac etiam Dalmatiae et Graecarum, quae e regione ipsis Italiae et Siciliae oris sunt tertio anno; Germani vero Galli, Hispani, Belgae, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Hiberni et caeteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum et Balticum, ac omnium insularum maris Mediterranei, quarto anno, et qui intra Europae fines sunt his provinciis remotiores, ac etiam Africani litoribus nostris adversi, ac insularum maris Oceani septentrionalis et occidentalis Europae et Africae, citra continentem novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad Catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno: Asiatici vero et qui extra Asiam, et in aliis novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus et septentrionalibus, tam in insulis, quam in continentibus et denique in quibuslibet mundi partibus decimo anno iter suscipiant, et Deo concedente perficiant. Itemque institutum tertio quoque, quarto, quinto, et decimo anno repetant, et observent.

495. Haec autem annorum spatia a tempore suscepti muneris consecrationis vel Pallii traditionis aut translationis, ut praefertur, incipiant. Quae ne longius differatur, tempus qualecumque excursum alicui ex supradictis praesulibus, quo sive morte praeventus, sive alia quaecumque de causa ad non finitum tempus ei praescriptum dicta limina non visitaverit, ita illius successori effluxisse et excurrisse intelligatur, ut termino ipso juxta praedecessoris sui jusjurandum completo debitam tunc visitationem quamprimum conficere teneatur.

496. Si vero, quod absit, praedicta omnia antistites supradicti non egerint eos ab ingressu Ecclesiae, ac etiam in administratione tam spiritualium, quam temporalium, nec non a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum a Capitulis eorum, omni exceptione, et mora cessante, interim libere exigendorum, et in opus fabricae, seu ornamentorum Ecclesiae emptionem, prout major exegerit necessitas insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis hujusmodi a Sede praedicta meruerint obtinere. Non obstantibus quibuscumque (2).

497. Patriarchae, Primates, Metropolitani, et Episcopi propriam dioecesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem

(1) Sixtus V Constit. *Romanus Pontifex*, 20 dec. 1585.

(2) Sixtus V Constit. *Romanus Pontifex*, 20 dec. 1585.

visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant. A Metropolitanis vero, etiam post plene visitatam propriam dioecesim, non visitentur cathedrales ecclesiae, neque dioeceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita, et probata in Concilio provinciali. Archidiaconi autem, Decani, et alii inferiores in iis ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto notario, de consensu Episcopi deinceps per semetipsos tantum ibidem visitare. Visitatores etiam a Capitulo deputandi, ubi Capitulum jus visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur, sed non ideo Episcopus, vel eo impedito, ejus visitator easdem ecclesias seorsim ab his visitare prohibeatur; cui ipsi Archidiaconi, vel alii inferiores, visitationis factae infra mensem rationem reddere, et depositiones testium, ac integra acta ei exhibere teneantur; non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili atque exemptionibus et privilegiis quibuscumque (1).

498. Visitationum autem omnium istarum praecipuus sit scopus sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus inducere bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, et admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamque accendere; caetera prout locus, tempus et occasio foret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quae ut facilius feliciusque succedant, monentur praedicti omnes, et singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate, christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modesto contenti equitatu, famulatuque studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia visitationem ipsam absolvere. Interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint; neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, praeter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodçumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant; non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tantum victualibus, quae sibi ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate et non ultra erunt ministranda. Si tamen in optione eorum, qui visitantur si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum; an vero praedicta vectualia subministrare: salvo item jure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisque piis locis, aut ecclesiis non parochialibus inito, quod illaesum permaneat. In iis vero locis, seu provinciis, ubi consuetudo est ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant ibi id observetur. Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere praesumpserit is praeter dupli restitutionem, intra mensem faciendam aliis etiam poenis in Synodo provinciali arbitrio Synodi, absque ulla spe

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 3.

veniae mulctetur. Patroni vero in iis, quae ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se praesumant ingerere; neque visitationi ornamentorum ecclesiae aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant; nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat, sed Episcopi ipsi haec faciant, et fabricarum redditus in usus ecclesiae necessarios, et utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit expendi curent.

499. Beneficia ecclesiastica curata, quae cathedralibus, collegiatis seu aliis ecclesiis vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis aut piis locis quibuscumque perpetuo unita et annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur qui sollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum aut majori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum judicum deputatione, et illorum inhibitionibus quibuscumque in praemissis non obstantibus. Episcopus in visitatione formali potest res ecclesia rum suae dioecesis visitare earumque administratores dolosos et usurpatores castigare (1).

500. Omnes Episcopi et locorum alii superiores tamquam Apostolicae Sedis delegati omnes et quascumque parochiales ecclesias, caeteraque beneficia ecclesiastica suarum civitatum et dioecesum, quibus cura animarum imminet et ad quamvis regularem ordinem pertineant, et milites etiam capellanos, ministros, rectores ordinis Jerosolymitani Hospitalis S. Joannis etiam quod in eis episcopalem et temporalem jurisdictionem religio et milites praedicti haberent eorum ecclesias, rectores, vicarios et ministros quoscumque (in his tamen dumtaxat, quae ad animarum curam illiusque exercitium et sacramentorum administrationem respiciunt) visitare, omnesque actus visitationem concernentes exercere posse et debere; et rectores caeterosque hujusmodi ministros curam animarum exercentes minus idoneos repertos, si quidem ad annum amovibiles sint, statim amovere: sin vero titulares sint, illico suspendere ac superiores illorum monere, ut intra aliquod breve tempus loco emotorum subrogent alios idoneos, prius tamen per Episcopos et alios superiores examinatos et approbatos. Interea vero dum haec subrogatio, seu deputatio fiat, ipsi Episcopi et superiores dictorum Rectorum intra tempus praefixum non subrogent aut deputent; sed elapso termino ipsi Episcopi et aliis superiores, alios, praevio examine idoneos repertos in locum amotorum subrogent (2). Episcopus in visitatione imponere poenas ordinarias delictorum non debet sed tantum extraordinarias, quae magis morum

(1) Conc. Trid. Sess. VII, cap. 7 et C. " Romana " de censibus in 6.

(2) Pius V "Exposit. pastoralis officii debitum " 12 sept. 1571.

emendationem ac correctionem, quam ordinariam delicti vindictam respiciant (1).

501. Non licet Episcopo visitationem aggrediendi proponere edicta quibus subditi jubeantur delicta detegere multoque minus proposita poena excommunicationis, nec exigere juramentum a visitatis (2).

Cum visitare voluerint illos, qui sunt de Capitulo tenentur Episcopi ad locum accedere, ubi capitulares se congregare voluerunt, si id commode fieri possit; sin minus, ad locum congruum, non tamen tenentur accedere ad locum Capituli, quoties prosequi voluerint visitationem alicujus personae de Capitulo, et si Episcopus aliquis visitaverit ad morum correptionem et emendationem, utique non potest non compilato processu, nec servatis de jure servandis poenam ordinariam infligere (3).

502. Quaecumque in dioecesi ad Dei cultum spectant ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri aequum est, propterea commendata monasteria, etiam abbatiae prioratus et praepositurae nuncupatae, in quibus non viget regularis observantia, nec non beneficia tam curata quam non curata, saecularia et regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta ab Episcopis etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatis, annis singulis visitentur, curentque iidem Episcopi congruentibus remediis etiam per sequestrationem fructuum, ut, quae renovatione indigent, vel restauratione reficiantur, et vera animarum, si qua illis vel eorum adnexis immineant aliaque debita obsequia recte exerceantur, non obstantibus quibuscumque. Si vero in eis vigeret observantia regularis provideant Episcopi paternis admonitionibus ut eorum regularium superiores, juxta regularia eorum instituta, debitam vivendi rationem observent, et observari faciant, et sibi subditos in officio contineant ac moderentur. Quod si admoniti intra sex menses eos non visitaverint nec correxerint, tunc iidem Episcopi etiam ut delegati S. Sedis eos visitare possint et corrigere prout ipsi superiores possent juxta eorum instituta, quibuscumque non obstantibus (4).

CAPUT III.

DE MINORIBUS BENEFICIIS AB EPISCOPO CONFERENDIS.

503. Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilegium non gaudet nisi beneficium ecclesiasticum habeat, et clericalem tonsuram deferens alicui ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat; vel in seminario clericorum aut in aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur (5). Laicus non insignitus clericali tonsura inhabilis existit ad assequenda beneficia, adeo quidem ut non sufficiat

(1) Congregat. Conc. 28 april. 1597.
(2) Congr. Conc. 2 Januarii 1601.
(3) Eadem Congr. 26 aug. 1594.
(4) Conc. Trid. Sess. XX. cap. 8.
(5) Ibid. Sess. XXIII, cap. 6.

post illud, jam acquisitum tonsurari (1).

504. Promovendus sit in statu caelibatus, si quidem collatio facta ei qui matrimonio est ligatus invalida omnino est. Immo si clericus in minoribus ordinibus constitutus habeat beneficium et postea matrimonium contrahit illud ipso jure amittit (2). Ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habuerunt, vel habent, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent vel alias obtinuerint, habere quibuscumque non obstantibus (3). Filii autem legitimi clericorum (nati antequam viduus pater habitum clericalem susceperit) nequeunt immediate succedere beneficiis paternis, neque in titulis neque in commendis a suis parentibus obtentis (4).

505. Cum in beneficiis ecclesiasticis ea, quae haereditariae successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa et Patrum decretis contraria; nemini accessus, aut regressus etiam de consensu ad beneficium ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur, extendatur aut transferatur. Hocque decretum in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, et etiam in cathedralibus ecclesiis, ac in quibuscumque personis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus locum habeat. In coadjutoriis quoque cum futura successione idem observetur ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittuntur. Quod si quando ecclesiae cathedralis, aut monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet praelato dari coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a Sanctissimo Romano Pontifice sit cognita et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae a jure et decretis Sanctae Tridentinae Synodi in Episcopis et Praelatis requiruntur: alias concessiones super his factae surreptitiae esse censeantur (5).

506. Beneficia ecclesiastica saecularia conferri nequeunt Canonicis Lateranensibus aut Ss. Salvatoris absque Apostolico indulto. Beneficia vero curata, aut residentialia conferri nequeunt, presbyteris aut clericis Congregationis Missionis. Canonici Regulares Praemonstratenses etiam non intercedente apostolica dispensatione beneficiorum parochialium et vicariorum tam saecularium, quam regularium capaces sunt (6).

507. In eadem Ecclesia nullus plures dignitates aut personatus habere

(1) Cap. Ex literis 6 de Transact. Rota p. 4, tom. 1, recent. decis. 307, n. 1 et par. 18, tom. 1, decis. 40, n. 4.

(2) Conc. Later. III in append. cap. *Si qui clericorum*, 1 cap. *Sane*, 2 cap. *Quod ad te*, 3 *Clericis conjugatis*.

(3) Conc. Trid. Sess. XXV de Reform., cap. 5.

(4) Clemens VII, *Ad canonum*, Const. edita 1530, Bullar. tom 1, pag. 684.

(5) Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 7 de Ref.

(6) Bened. XIV Const. 135, *Quod inscrutabili*. Constit. *Oneroso*. Const. 69, *Quo magis*.

praesumat; etiamsi curam animarum non habeant. Circa sublimes tamen et literatas personas, quae majoribus sunt beneficiis honorandae; cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari (1).

Beneficia unius diöecesis etiamsi parochiales ecclesiae, vicariae perpetuae aut simplicia beneficia, aut praestimonia, vel praestimoniales pensiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum aut alia quacumque de causa alterius dioecesis beneficio, collegio aut monasterio vel loco etiam pio perpetuo non uniantur (2).

Regularia beneficia in titulum Regularibus professis provideri consueta cum per obitum, aut resignationem vel alios illa in titulum obtinentis vacare contigerit. Religiosis tantum illius ordinis vel iis, qui habitum omnino suscipere et professionem emittere teneantur, et non aliis conferuntur (3).

508. Non liceat patrono cujusvis privilegii praetextu aliquem ad beneficium suis juris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, jure pertinere quoquo modo praesentare; alias praesentatio ac institutio forsan secuta nullae erunt et esse intelligentur (4).

Praesentati seu electi vel nominati a quibusvis ecclesiasticis personis etiam Sedis Apostolicae nuntiis ad quaevis ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur neque admittantur etiam praetextu cujusvis privilegii seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore praescriptae, nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati et idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur. Praesentatis tamen, electis, seu nominatis ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum exceptis (5).

509. Patronus laicus debet praesentare inter quatuor menses, quibus transactis quin praesentet patronus, eliget Episcopus pro ea vice tantum (6).

Nemo ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum suae aetatis annum attigerit. Ad caeteras autem dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla subest; clerici, alioquin idonei non minores viginti duobus annis adsciscantur (7). Neminem autem ad dignitatem, canonicatum aut portionem accipere fas est nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatum, quem illa dignitas, praebenda, aut portio requirit, aut in tali aetate ut infra tempus a Tridentina Synodo statutum (ut retulimus) initiari valeat (8).

510. Ratio postulat ut illis quae bene constituta sunt contrariis ordinationibus non detrahatur; quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae

(1) Conc. Later. sub Alex. III, an. 1179, cap. 13; Conc. Later. sub Innoc. III, an. 1215, cap. 29.
(2) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 9 de Ref.
(3) Id. Conc. Sess. XIV, cap. 10 de Ref.
(4) Id. Sess. XIV, cap. 13 de Ref.
(5) Id. Sess. VII, cap. 13.
(6) Innoc. III *De jure Patronatus*, 10, cap. 27.
(7) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 2.
(8) Id. Sess. XXIV, cap. 14.

requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur. Idem in praebendis Theologalibus, Magistralibus, Doctoralibus aut Presbyteralibus, Diaconalibus, aut Subdiaconalibus, quandocumque ita constituta fuerint observetur, ut eorum qualitatibus, vel ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur et aliter facta provisio surreptitia censentur (1).

511. Districte prohibetur atque interdicitur ne Episcopi in dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alios quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum aut post idem Concilium imposita aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae re diligenter perspecta id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioquin reductiones, moderationes, et commutationes hujusmodi, si quae contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes esse intelligantur (2).

512. Collatio beneficii non sit obtenta subreptitie vel obreptitie, idest, per expressionem falsitatis, vel ob suppressionem veritatis exprimendae; aliter ipsa collatio nulla est et nullius momenti (3). Collatio debet esse libera absque omni vi atque metu et fieri publice: beneficia debent conferri sine diminutione fructuum: et denique omnes sunt vocandi, ad quos spectat collatio, etiam absentes (4).

513. Quaevis collatio et quaevis beneficii ecclesiastici provisio fieri debet sine ullo pretio aut mercede temporali; aliter contraheretur simonia, quae collationem seu provisionem beneficii ipso jure evadit invalida; item sine ullo pacto, conditione, ac privata partium conventione; et quibusvis aliis obsequii modis. Lex est cum generatim quotiescumque temporale ordinatur ad spirituale obtinendum, licet bene dispensetur, semper male accipitur, et nullam ac irritam collationem, et provisionem efficit (5).

514. Nulla ecclesiastica beneficia seu ministeria Ecclesiae alicui tribuantur vel promittantur antequam vacent, ne desiderare quis proximi mortem videatur in cujus locum vel beneficium se crediderit successurum. Cum vero praebendas ecclesiasticas, sive beneficia, ac officia in aliqua Ecclesia vacare contigerit non diu maneant in suspenso, sed infra sex menses personis quae digne administrare valeant conferantur. Si Episcopus vero ubi ad eum spectat conferre distulerit per Capitulum ordinetur. Quod si ad Capitulum pertinuerit et infra praedictum terminum hoc non fuerit expletum, Episcopus secundum Deum hoc cum religiosorum hominum consilio exequatur. Vel si omnes forte

(1) Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 5.

(2) De Mandato Urbani VIII decr. Sacrae Cong. Conc. edit. 2 junii 1625 et confirm. ab Innoc. VII, 23 dec. 1697, § 1.

(3) Cap. Si is 2 de Filiis Presb. in 6: Clem. c. si dignitatem, de Praebend.

(4) Cap. unic. ut Ecclesiastica Beneficia, cap. cum in Ecclesiis 33 de Praebend. in 6.

(5) C. Ea quae 5 causa prima q. 3 et Extrav. Cum detestabile 2 de sim. inter com. Alex. in cap. ex multis, § constituimus.

neglexerint Metropolitanus de ipsis secundum Deum disponat (1).

515. Gratia quam super beneficio a Sede Apostolica aliquis obtinuerit vitiosa reputari non debet quamvis de alio beneficio, quod ab Episcopo suo antea ei absenti et ignoranti collatum fuerit et cum tempore impetrationis illam nesciret, nullam fecerit mentionem. Utrumque tamen (si talia sint beneficia, quae simul nequeant de jure teneri) habere non potest, eligat quod ex eis maluerit pertinere (2).

516. Quamvis is cujus gratia, per quam mandabatur in certa Ecclesia provideri sibi de beneficio proxime vacaturo, per Pontificem Romanum fuerat revocata, restituatur denuo ad eumdem non tamen ei, cui post revocationem et ante restitutionem praedictus similis in eadem Ecclesia gratia facta fuerit (nisi de hoc expresse dixerit Summus Pontifex) anteferri debebit. Cum talis restitutio (ubi aliud non exprimitur) intelligatur fieri sine juris praejudicio alteri (3).

517. Sola praesentatio et receptio in canonicum secundi impetrantis in eadem Ecclesia non excludit primum impetrantem a praebenda vacante tempore suae receptionis, vel postea vacante ante suam receptionem vel praesentationem, et hoc si per processum (4).

518. Susceptum ab Apostolica Sede mandatum ut ab aliquo beneficii (quod obtinet) facta resignatione et recepta, ipsum alteri conferat et assignet adimpleri non potest; si ille ante quam resignet rebus eximatur humanis; cum non per resignationem vacaverit, sed per mortem. Nisi de intentione mandantis aliud appareret expresse si duo super eodem beneficio literas impetrent: primo eorum per illius obitum, qui tenebat, secundo vero per cessionem ejusdem ipsum proponente vacare. Secundus (cum beneficium ipsum cessione non morte vacaverit) debet primo in ipsius assecutione praeferri (5).

519. Si eo tempore quod alicui de beneficio curam habente, vel sine cura mandaverit Pontifex provideri, si tempore datae literarum apostolicarum non esset idoneus per aetatem de beneficio cui cura animarum imminet, nequaquam poterit provideri. Beneficium autem sine cura (cum ipse sufficientem tunc aetatem haberet) per eum licite poterit obtinere (6).

Si primo sub conditione provideri mandatur a Pontifice Romano, et secundus jure impetrans (priusquam veniat conditio) a Papa vel executore suo canonicatum obtineat assecutione praebendae primo praefertur (7).

520. Duobus super provisione simili facienda in eadem Ecclesia literas a Pontifice obtinentibus una die certis eis executoribus deputatis, si non appareat quis primo impetraverit ex eisdem eorum cui canonicatum Summus Pontifex contulit est in praebenda praeferendus alteri, qui a Pontifice canonicatum non

(1) Conc. Later. III, can. 8.
(2) In VI decret., lib. I, de Reser., Tit. III, cap. 7.
(3) Ibid. cap. 8. (4) Ibid. cap. 25.
(5) In sexto decret. Lib. I, Tit. III, de Rescriptio cap. 6
(6) Ibid. cap. 9.
(7) Ibid.

extitit assecutus, licet priusquam alius eis (ad quos spectat canonicorum receptio et collatio praebendam) suas praesentavit literas et ab eis in canonicum sit receptus. Si vero neutri eorum vel utrique canonicatum contulit, tunc (ex quo in gratia sunt aequales) is qui primo praesentaverit erit potior in praebenda.

521. Quod si forsan ambo simul in praesentando concurrant ii, ad quos spectat canonicorum receptio et collatio praebendarum vel eorum major pars, ex eis alterum quem voluerint eligere teneantur, quo electo alius omnino careat impetratis, nisi ex tenore literarum ipsius expresse appareat, quod utrique ipsorum voluerit Pontifex providere (1).

Per rescriptum apostolicum quo de praebenda primo vacatura mandabatur alicui provideri, laudabilis illius Ecclesiae consuetudo non tollitur, hinc est quod si ibi est consuetudo, quod antiquiores canonici vacantes praebendas possint optare gradatim, ideo non obstante mandato poterit antiquior vacantem optare praebendam, et expectatis per viginta dies optare volentibus, executor de non optata provideri eidem. Si autem praebendam vacantem in Curia Papa conferret, tunc illam antiquior optare non poterit nec debebit.

522. Quia jure optimo distinctae fuerunt dioeceses, et parochiae, ac unicuique gregi proprii attributi Pastores, et inferiorum Ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo ecclesiasticus non confundatur, aut una et eadem Ecclesia duarum quodammodo dioecesum fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint; beneficia unius dioecesis, etiamsi parochiales ecclesiae, vicariae perpetuae, ac beneficia simplicia, seu praestimonia: aut praestimoniales portiones fuerint etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum, aut alia quaecumque causa, alterius dioecesis beneficio aut monasterio, seu collegio, vel loco etiam pro perpetuo non uniantur (2).

523. Regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias in titulum obtinentis vacare contigerit religiosis tantum illius ordinis vel iis qui habitum suscipere omnino et professionem emittere teneantur, et non aliis, ne vestem lino, lanaque contextam induant conferuntur (3).

CAPUT IV.

REGULAE, ORDINATIONES, ET CONSTITUTIONES CANCELLARIAE APOSTOLICAE.

524. Sanctissimus in Christo Pater, et D. N. D. Urbanus divina Providentia Papa VIII suorum praedecessorum vestigiis inhaerendo, normam, et ordinem gerendis dare volens, in crastinum suae assumptionis ad Summi Apostolatus apicem, videlicet die 7 mensis augusti, anno ab Incarnatione Domini 1623 reservationes, constitutiones, et regulas infrascriptas fecit,

(1) In sexto decr. Lib. 1 de Rescriptis, tit. III, cap. 15.

(2) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 9 de Ref.
(3) Ib. cap. 10.

quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, et suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Ludovicus tit. S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis Ludovisius S. R. E. Vicecancellarius, die 21 mensis octobris dicti anni in Cancellaria Apostolica publicari fecimus.

Reservationes generales, et speciales.

525. In primis fecit easdem reservationes, quae in Constitutione felicis recordationis Benedicti Papae XII quae incipit AD REGIMEN, continentur, et illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamsi officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad beneficia, quae tempore quo officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominus, beneficia quae dictae Sedis officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi, ejusdem Sedis Notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis, et quandocumque assecuti fuerint, sub hujusmodi reservationibus comprehendi. Ac reservavit beneficia, quae per Constitutionem piae memoriae Joannis Papae XXII quae incipit, EXECRABILIS, vacant, vel vacare contigerit, quam Constitutionem, et reservationem Sanctitatis Suae, tam ad Beneficia obtenta quam alia quaecumque, de quibus Ordinarii, et alii collatores, contra Concilii Tridentini decreta disposuerunt (1), et disponent in futurum, extendit, et ampliavit Et ea etiam beneficia omnia dispositioni suae reservavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios collatores contra ejusdem Concilii decretorum formam dispositum fuerit (2).

Reservatio cathedralium Ecclesiarum, et Monasteriorum ac de tempore vacationis Episcopatuum et vacaturorum beneficiorum.

526. Item reservavit generaliter omnes Ecclesias patriarchales, primatiales, archiepiscopales, episcopales, nec non omnia monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi aestimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, et in posterum vacatura, et voluit quod excessus hujusmodi in literis exprimatur. Ac etiam reservavit dignitates, et beneficia omnia ad collationem, praesentationem, et electionem, ac quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, nec non Abbatum, ac aliorum quorumcumque collatorum, et collatricium, saecularium et regularium, quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius praesentationem, vel electionem pertinentia) quae post illorum obitum, aut ecclesiarum, seu monasteriorum vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, vel privationem, seu translationem, vel alias quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem ecclesias, aut monasteria, vel dignitates Apostolica auctoritate faciendam et adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem, quomodocumque vacaverint, et vacabunt in futurum.

(1) De iis passim in hac elucubratione tractamus.

(2) Ea quae sequuntur, in supradictis Constitutionibus inveniuntur. Non oportet igitur singula repetere.

Extensio reservationis Beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum.

527. Item qui de beneficiis Ecclesiasticis, praesertim curam animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, Apostolica auctoritate provisi; seu providendi, ante illorum assecutionem alia cum eisdem incompatibilia beneficia ecclesiastica per eos tunc obtenta, in fraudem reservationis suae resignarent, seu dimitterent: Voluit, decrevit et declaravit, quod si in posterum quibusvis personis de aliquibus beneficiis Ecclesiasticis tunc vacantibus, seu vacaturis, per Sanctitatem Suam, aut ejus auctoritate provideri, ipsosque provisos, seu providendos, intra vacationis, et provisionis; seu assecutionis eorum beneficiorum tempora quaecumque alia cum illis incompatibilia beneficia Ecclesiastica, saecularia, vel quorumvis ordinum, ac etiam hospitalium, regularia, per eos tunc obtenta, nulla speciali, et expressa de eisdem in provisionibus praedictis facta mentione, simpliciter, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in Sanctitatis Suae; vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Legatorum, vel Nuntiorum dictae Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum collatorum quorumcumque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes et singulae concessiones, collationes, provisiones, et quaevis aliae dispositiones de beneficiis, seu juribus sic resignandis, dimittendis, et cedendis, pro tempore faciendae, cum inde secutis quibuscumque, cassae, et irritae, nulliusque roboris, vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed beneficia, et jura, ut praefertur resignata, dimissa, et cessa, eo ipso vacent, et vacare, ac sub reservatione praedicta, quam Sanctitas Suas etiam quoad hoc extendit, et ampliavit, comprehensa censeantur, ita quod de illis per alium, quam eandem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem, nullatenus disponi possit in omnibus, et per omnia, perinde ac si per pacificam assecutionem beneficiorum aliorum hujusmodi vere et realiter vacavissent. Decernens irritum, esse quidquid in contrarium praesumpserit attentari.

Reservatio Dignitatum, necnon suorum, et S. R. E. Cardinalium familiarium beneficiorum.

528. Item reservavit generaliter dispositioni suae omnes dignitates majores post Pontificales in cathedralibus, etiam Metropolitanis, et Patriarchalibus, nec non valorem decem florenorum auri communi aestimatione excedentes, principales in collegiatis Ecclesiis, reservavit etiam Prioratus, Praeposituras, Praepositatus, ac alias dignitates conventuales, et Praeceptorias generales Ordinum quorumcumque (sed non militiarum) ac quaecumque beneficia, quae sui, etiam dum Cardinalatus fungebatur honore, existentes, ac S. R. E. viventium nunc, et qui erunt suo tempore Cardinalium familiares, continui commensales obtinent, et in posterum

obtinebunt, eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quae jus eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem, vel alias recesserint. Declarans, dignitates, quae in cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificales majores existunt, et quae ex Apostolicae Sedis indulgentia, vel Ordinaria auctoritate, aut consuetudine praescripta, vel alias quovis modo in collegiatis Ecclesiis principalem praeeminentiam habere noscuntur, sub reservatione praedicta comprehendi debere.

Reservatio beneficiorum Collectorum, et Subcollectorum.

529. Item reservavit generaliter omnia, et singula beneficia Ecclesiastica quorumcumque Collectorum, et unicorum in quacumque civitate, vel dioecesi, qui suo tempore officia exercuerint, et Subcollectorum fructuum, et proventuum Camerae Apostolicae debitorum, illa videlicet beneficia dumtaxat quae durante eorum officio obtinebant, et quibus, seu ad quae jus eis competebat.

Reservatio beneficiorum Curialium, dum Curia transferatur.

530. Item reservavit omnia, et singula beneficia Ecclesiastica quorumcumque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transferatur, eam sequendo, decedere contigerit in quovis loco quantumcumque etiam a dicta Curia remoto.

Reservatio beneficiorum Cubicularium, et Cursorum.

531. Item reservavit generaliter idem D. N. Papa dispositioni suae omnia beneficia Cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, ac Cursorum suorum. Declarans, in praedecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, et regulis reservatoriis beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios honoris nuncupatos, etiam a die earum editionis, et publicationis intelligi, et comprehendi, et comprehensa fuisse, et esse. Irritumque esse quod contra attentari contigerit decernens.

Reservatio Beneficiorum Ecclesiarum S. Joan. Lateranen. et S. Petri, ac B. Mariae Majoris de Urbe, et beneficiorum titulorum Cardinalium a Curia absentium.

532. Item reservavit dispositioni suae generaliter quoscumque canonicatus, et praebendas, ac dignitates, personatus, et officia in S. Joannis Lateranensis et Principis Apostolorum, ac B. Mariae Majoris de Urbe Ecclesiis, necnon ad collationem, provisionem, et praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium a Romana Curia absentium, ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titulorum, et Diaconiarum spectantia, quamdiu absentia sua duraverit, canonicatus, et praebendas, dignitates, personatus, administrationes, et officia, caeteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, et sine cura, vacantia, et in antea vacatura, tam in eadem Urbe, quam in ecclesiis, civitatibus, et dioecesibus dictorum Episcopatuum consistentia.

Reservatio mensium Apostolicorum, et Alternativa pro Episcopis residentibus.

533. Item cupiens idem D. N. Papa pauperibus clericis, et aliis benemeritis personis providere, omnia be-

neficia Ecclesiastica, cum cura, et sine cura, saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, et ubicumque existentia, in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris et Novembris mensibus, usque ad suae voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam, alias quam per resignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum, et collatricium, saecularium, et quorumvis Ordinum regularium, non tamen Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, aut aliorum, sub Concordatis inter Sedem Apostolicam, et quoscumque alios initis, et per eos, qui illa acceptare, et observare debuerant, acceptatis, et observatis, quae laedere non intendit (comprehensorum) quomodolibet pertinentia, dispositioni suae generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quae de dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam motu proprio fient, de mense in quo vacaverint, dispositive mentionem fieri, alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines, etiam immemorabiles optandi majores, et pinguiores praebendas, necnon privilegia, etiam in limine erectionis concessa, et indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi beneficiis, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, et fortioribus, efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis, quorum personis, et Collegiis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, et conditionis existentibus, quomodolibet concessa, adversus reservationem hujusmodi minime suffragari. Insuper Sanctitas Sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis intenta, ipsis quamdiu apud Ecclesias, aut dioeceses suas vere, ac personaliter resederint dumtaxat, de omnibus, et quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, et sine cura, saecularibus, et regularibus (ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem, seu praesentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus) quae in antea in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris et Decembris, extra Curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni Apostolicae reservata, vel affecta non fuerint) libere disponendi facultatem concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, et Novembris vacaturorum (quae etiam dispositioni suae, ut praefertur, reservavit), seu etiam aliorum dispositioni, suae, et dictae Sedis alias quomodolibet reservatorum, vel affectorum, sese intromiserint, aut quominus provisiones, et gratiae Sanctitatis Suae de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquo modo praestiterint, usu, et beneficio praedictae facultatis eo ipso privat, existant, ac collationes, et aliae dispositiones de beneficiis, il-

lius praetextu deinceps faciendae, nullius sint roboris vel momenti. Illi vero, qui gratiam alternativae praedictae acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes literas manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, et in sua quisque civitate; vel dioecesi datas declarare, et literas ipsas huc ad Datarium Sanctitatis Suae transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, et recognitis, tunc demum, et non antea, uti incipiant gratia supradicta. Decernens sic in praemissis omnibus per quoscumque, judicari debere, ac irritum, esse quidquid in contrarium.

De literis in forma Rationi congruit expediendis.

534. Item voluit idem D. N. Papa, quod concessa per felic. rec. Paulum V et Gregor. XV praedecessores suos, et de eorum mandato, expediantur in forma Rationi congruit, a die Assumptionis suae ad summi Apostolatus apicem. Et idem quoad concessa per piae mem. Leonem XI etiam praedecessorem suum, ad sex menses dumtaxat, ab ipso die Assumptionis incipiendos, observari voluit.

Declaratio reservationis Ecclesiarum, et beneficiorum per Praedecessores reservatorum.

535. Item declaravit, ut omnium, et singularum Ecclesiarum cathedralium, et Monasteriorum provisiones, quas praedictis praedecessores sui ordinationi, et dispositioni eorum, necnon omnia, et singula beneficia Ecclesiastica, quae dicti praedecessores etiam praedictae dispositioni, cum interpositione decreti reservaverant (quae quidem Ecclesiae, Monasteria, necnon sic reservata beneficia tempore obitus eorumdem praedecessorum vacabant, aut Ecclesiae ipsae, vel Monasteria hujusmodi, si commendata, vel ei administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, et remanere per hujusmodi reservationem, et decretum affecta, nullumque de illis, propter Romanum Pontificem, ea vice se intromittere, vel disponere potuisse, sive posse quoquo modo. Decernens irritum, et inane, si secus super illis attentatum forsan erat tunc, vel imposterum contingeret attentari.

Revalidatio literarum Praedecessoris, gratiae, et justitiae infra annum concessarum.

536. Item praedictus D. N. omnes et singulas, ab ipsis Paulo V et Gregorio XV Rom. Pontif. praedecessoribus suis infra annum ante diem obitus eorum concessas gratiae, vel justitiae literas, temporibus debitis eorum executoribus, seu Judicibus non praesentatas, omnino revalidari, et in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel quo quibus erant obtentae, quoad hoc plenarie restituit, ac decrevit, per executores, seu Judices praedictos, vel ab eis subdelegandos, ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse et debere, juxta illarum formam (1).

Revocatio unionis.

537. Item rationabilibus suadentibus causis, ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, et dismem-

(1) Item dicendum de Constitutione citata quod in antecedenti adnotatione animadverti censimus.

brationes, etiam perpetuas, de quibusvis Cathedralibus, necnon aliis Ecclesiis, eorumve domibus, praediis, et locis, per cessum, vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, qualiacumque fuerint invicem, vel alias Ecclesias, Monasteriis, et mensis etiam capitularibus, dignitatibus, personatibus officiis, beneficiis, ac piis, et aliis locis, Universitatibus, etiam studiorum generalium, et Collegiis etiam in favorem S. R. E. Cardinalium, seu Ecclesiis, Monasteriis, et beneficiis per eos obtentis quomodolibet, Apostolica, vel alia quavis (non tamen Concilii Tridentini) auctoritate, nec non pro fundatione, seu donatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, et aliorum piorum, et religiosorum locorum, ad fidei catholicae defensionem, et propagationem, bonarumque artium cultum institutorum factas, quae suum non sint sortitae effectum, ac quaecumque concessiones, et mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus, et aliis praemissis faciendis, revocavit, cassavit, et irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascumque clausulas, vel adjectiones, aut decreta, quae Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, in quibusvis Apostolicis, etiam quae motu proprio, aut ex certa scientia, et consistorialiter processerunt, et emanarunt literis, etiamsi in eis decretum esset, illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quaesitum fore, quomodolibet contenta, adversus revocationem, et irritationem hujusmodi, voluit aliquatenus suffragari.

Revocatio facultatum quibusvis concessarum.

538. Item revocavit quascumque facultates concessas quibusvis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis praelatis, et personis, necnon Apostolicae Sedis Nuntiis, ac fructuum et proventuum Camerae Apostolicae debitorum Collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, et aetatis defectibus, et de incompatibilibus beneficiis Ecclesiasticis in simul retinendis, nec non de Notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, et alias a praemissis officia ipsorum Nuntiorum, et Collectorum directe non concernentes, etiamsi in literis desuper confectis sint clausulae restitutoriae, et derogatoriarum derogatoriae, et aliae efficaciores, quas pro expressis haberi voluit quoad omnia, in quibus facultates ipsae non sunt sortitae effectum, etiamsi Nuntiis eisdem dictae Sedis Legatis de latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum esse contrarium.

Revocatio facultatum conferendi beneficia reservata.

539. Item revocavit quascumque facultates, et literas desuper confectas, per quas quicumque sui praedecessores Romani Pontifices quibusvis personis ordinariam collationem, seu aliam dispositionem beneficiorum Ecclesiasticorum, de jure, vel consuetudine habentibus, quavis etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, vel alio, non tamen Cardinalatus honore fulgentibus, quavis

consideratione, vel intuitu, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, et aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis, concesserant, ut quandiu viverent, vel suis ecclesiis, seu monasteriis praeessent, aut ad aliud tempus de beneficiis Ecclesiasticis generaliter reservatis, seu affectis, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim spectantibus, disponere libere et licite valerent, aut etiam ad id per eosdem praedecessores, Vicarii perpetui, vel ad tempus constituti forent, decernens irritum, et inane, quidquid in oppositum fieri contingerit.

De dictionibus numeralibus.

540. Item ut in Apostolicis literis committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio, voluit, et ordinavit, quod dictiones numerales, quae in dictis literis ante Nonas, Idus, et Kal. immediate poni consueverunt, per literas, et syllabas extensae describantur, et illae ex praedictis literis, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptae fuerint, ad Bullariam nullatenus mittantur.

De concurrentibus in data.

541. Item voluit, quod de concurrentibus in Data ejusdem diei super vacantibus, seu certo modo vacaturiis beneficiis, illi quibus gratiae motu proprio conceduntur, caeteris simili modo gratias non habentibus, alias graduati graduatis, aut inter graduatos prius graduati, ac inter aequaliter graduatos prius graduati, necnon colorato titulo possessores non possessoribus, ac inter personas alias in Curia praesentes absentibus ab ea, ac inter praesentes non beneficiati beneficiatis, et similiter inter absentes, caeteris paribus, oriundus non oriundo, et dioecesanus non dioecesano. In reliquis vero singulis, qui prius Apostolicas desuper literas eorum executoribus praesentaverint, aliis in ipsorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum assecutione praeferantur.

De non tollendo jus quaesitum.

542. Item ne per varias, quae pro commissionibus, seu mandatis, et declarationibus habendis in causis plerumque fiunt suggestiones, justitia postponatur, idem D. N. decrevit, et declaravit suae intentionis fore, quod deinceps per quamcumque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel literas Apostolicas, pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi motu proprio, ex certa scientia, ac etiam ante motam litem a Sanctitate Sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas, nulli jus sibi quaesitum quomodolibet tollatur.

Regula de vigintí.

543. Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendae cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore

supplicationis, dum esset sanus signatae, et postea viginti dies a die per ipsum resignantem praestandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, et ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

De Idiomate.

544. Item voluit, quod si contingat, ipsum alicui personae de parochiali ecclesia, vel quovis alio beneficio exercitium curae animarum parochianorum quomodolibet habente providere, nisi ipsa persona intelligat, et intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi ecclesia, vel beneficium hujusmodi consistat, provisio, seu mandatum, et gratia desuper quoad parochialem ecclesiam, vel beneficium hujusmodi, nullius sint roboris vel momenti.

De non impetrando beneficium per obitum viventium.

545. Item si quis supplicaverit sibi de beneficio quocumque, tanquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, et postea per obitum ejus vacet provisio, et quaevis dispositio, dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendae, nullius sit roboris, vel momenti.

De unionibus, et unionum confirmatione.

546. Item voluit, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum annuum valorem, secundum communem aestimationem, tam beneficii uniendi quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, et semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest, et idem voluit observari in quibusvis supplicationibus, perpetuis concessionibus, dismembrationibus, et applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus, et bonis Ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi.

De Mendicantibus transferendis.

547. Item de Mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines transierint pro tempore, Constitutionem fel. rec. Mart. Papae V praedecessoris sui desuper factam, et in libro Cancellariae Apostolicae descriptam, quae incipit: VIAM AMBITIOSAE CUPIDITATIS, firmiter observari.

De male promotis.

548. Item de Clericis extra tempora a jure statuta, sive ante aetatem legitimam, aut absque dimissoriis literis ad sacros Ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit Constitutionem piae mem. Pii II similiter praedecessoris desuper editam; in dicto Cancellariae Apostolicae libro descriptam, quae incipit: CUM EX SACRORUM ORDINUM, pari modo observari.

De beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias et Monasteria.

549. Item praedictus D. N. Papa voluit, decrevit, et ordinavit, quod quaecumque concessiones, gratiae, et mandata, etiam motu proprio, et cum derogatione hujus constitutionis; quae ab eo pro quibusvis personis emana-

verint, de providendo ei de quibusvis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcumque ad ecclesiarum, et monasteriorum regimina, si hujusmodi concessiones, et mandata diem promotionis promovendorum ipsorum praecesserint, necnon quaecumque collationes, provisiones et dispositiones pro tempore faciendae de praemissis, ac quibusvis aliis beneficiis Ecclesiasticis, saecularibus, et regularibus, quae per promovendos, vel assumendos ad quascumque Praelaturas inter illarum vacationis, et hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempore simpliciter, vel ex causa permutationis ubicumque resignari, vel alias dimitti contigerit, cum inde secutis pro tempore, sint cassae, et irritae, nulliusque roboris, vel momenti.

De non judicando juxta formam supplicationum, sed literarum expeditarum.

550. Item cum ante confectionem literarum gratia Apostolica sit informis, voluit, statuit, et ordinavit idem D. N. quod Judices in Romana Curia, et extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, causarum Palatii Apostolici Auditores, vel quicumque alii, non juxta supplicationum signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta Curia dumtaxat sint commissiones justitiam concernentes, per placet, vel per Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellarium, juxta facultatem super hoc sibi concessam signatae) sed juxta literarum super eisdem impetrationibus, et concessionibus confectarum tenores et formas judicare debeant. Decernens irritum, esse oppositum. Et si literae ipsae per praeoccupationem, vel alias minus bene expeditae reperiantur, ad illorum, quorum interest, instantiam, ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt per ejus officiales, quibus hujusmodi tenores, et formas restringere convenit, ad formas debitas reducendae.

De Regulis Cancellariae producendis.

551. Item attendens D. N. Papa, quod super habendis de Cancellaria Apostolica regulis, et constitutionibus inibi descriptis, faciliter per eos, qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quod super earundem regularum, et constitutionum (quae juxta veritatem occurrentium causarum, et negotiorum aliquoties immutari convenit) probando tenore, vel effectu, testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium depositionibus stari deberet, voluit, statuit, et ordinavit, quod deinceps quilibet ex Auditoribus causarum Palatii Apostolici, et aliis (etiamsi Sanctae Romanae Ecclesiae sint Cardinales) in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate Apostolica judicibus, etiam in causis actu pendentibus, super hujusmodi tenore, vel effectu probando dumtaxat, stet, fidemque adhibeat cedulae, seu scripturae desuper a duobus majoris Praesidentiae, quod danda sit a tergo signatae, et etiam a duobus aliis literarum Apostolicarum Abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatae, et Vicecancellarii, seu dictam Cancellariam Regentis manu subscriptae, ut

moris est. Quicquid autem secus fieri contigerit, nullius sit roboris, vel momenti.

De subrogandis Collitigantibus.

552. Item D. N. cupiens litium succidere anfractus, et ne novi collitigantibus adversarii dentur providere, voluit, statuit, et ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis beneficio Ecclesiastico collitigantem in jure, vel ad jus, si quod forsan ejus adversario in dicto beneficio competierit, subrogari concesserit (dummodo praedictus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum adversarium, postquam illud per triennium pacifice possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de praemisso jure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit, impetrationes, vel concessiones, etiam motu proprio, infra mensem ante concessionem hujusmodi factae, nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia, illorum praesertim, quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem, immineret vitae periculum, impetrant, ut illis decedentibus, tanquam collitigantes in eorum juribus facilius subrogentur, voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus praemissis, vel in similibus impetraverit aliquo modo subrogetur, ac subrogatio, vel gratia, si neutri, si nulli, seu novae provisionis, aut perinde valere, taliter impetrandi nullatenus suffragetur. Quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem, et amotionem ex quibusvis criminibus, et excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad definitivam sententiam, quae tamen in rem non transiverit judicatam, processum foret.

De verisimili notitia.

553. Item voluit, et ordinavit, quod omnes gratiae, quas de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, vel sine cura, saecularibus, vel regularibus, per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris; vel momenti sint, nisi post obitum, et ante datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsae de locis, in quibus personae praedictae decesserint, ad notitiam ejusdem D. N. verisimiliter potuerint pervenisse.

Non valeant Commissiones causarum, nisi in literis expeditis.

554. Item, quod omnes, et singulae commissiones causarum, quas in antea fieri contigerit, obtentae, vel occasione concessionum dumtaxat Apostolicarum de beneficiis Ecclesiasticis gratiarum, super quibus literae Apostolicae confectae non fuerint, ac processus desuper habendi, nullius sint roboris, vel momenti.

De impetrantibus beneficia per obitum familiarum Cardinalium.

555. Item voluit, quod impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicujus Cardinalis, teneatur exprimere nomen, et titulum ipsius Cardinalis, et si ille in Curia fuerit, ejus ad id accedat assensus, alias de-

super gratia sit nulla. Et idem servari voluit, si Cardinales quomodolibet ab ipsa Curia absentes, et ubilibet etiam in locis infra duas dictas vicinis degentes, familiamque, et lares in eadem Curia retinentes, ab ipsa Curia recesserint, ad eandem illico reversuri, et infra decem, vel ad summum quindecim dies vere, et personaliter reversi fuerint, ita quod Cardinalibus alias quam ut praefertur, ex quacumque causa quantumlibet necessaria, ac qualibet alia hic necessario exprimenda absentibus, facultas praestandi consensum hujusmodi non competat, sed beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis Suae, et Sedis Apostolicae praevisionem, et dispositionem pertineant. Declarans Regulas, et Constitutiones suorum praedecessorum, etiam a die earum editionis, et publicationis super assensu hujusmodi praestando, sic intellectas, et intelligendas fuisse, irritum esse quid contra attentari contigerit decernens. Si praedicti familiares, eorundem Cardinalium familiares esse desierint, seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transierint, quoad beneficia, quae familiaritate priori durante obtinuerint, et in quibus, vel ad quae, priori ipsa familiaritate durante jus eis competierit, Cardinales quorum prius familiares fuerint, suum habeant adhibere consensum. Declarans praesentem Constitutionem locum non habere in illis beneficiis, quae familiares ipsi tempore obitus eorum, in dicta Curia, vel extra eam obtinerent, aut antea obtinuissent, et ratione officiorum per eos obtentorum dictae dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuisse apparerent. Necnon illos, quoad effectum dictae Constitutionis familiares eorundem Cardinalium censeri, qui ipsorum Cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses, etiam ante Cardinalatum, fuisse probarentur. Decernentes irritum, esse quidquid in contrarium fiet.

Super eadem familiaritate.

556. Item idem D. N. ad evitandas lites, et contentiones, quae ex praecedenti sua Constitutione exoriri possent, vestigiis praedecessorum suorum inhaerendo, voluit, statuit, et ordinavit, quod si beneficia, quae per obitum familiarium continuorum commensalium eorundem Cardinalium in futurum vacabunt, cessantibus Apostolicis reservationibus, ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dicta praecedenti Constitutione non comprehendatur quoad hoc, ut in provisionibus talium beneficiorum, super expeditione literarum illius Cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat, sed beneficia hujusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem Cardinalis Ordinarii collatoris, ut praefertur, libere spectare censeantur. Et si apud Sedem Apostolicam beneficia hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint, tunc in provisione talium beneficiorum super expeditione literarum, illius Cardinalis exigatur consensus, si in Romana Curia praesens fuerit, ad quem eorundem collatio, et dispositio, ut praefertur, pertinere deberet.

Signatura per fiat, praeferatur alteri per concessum.

557. Item voluit D. N. quod concurrentibus eadem die super quocumque beneficio, per fiat, et concessum signaturis, ex eis per fiat, etiam ut petitur, habens, alteri per concessum, etiam motu proprio habenti praeferatur, etiamsi in illa per concessum praegnantiores, et quantumlibet privilegiativae essent clausulae.

De annali possessore.

558. Item, Sanctissimus Dominus Noster, ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, et ordinavit, quod quicumque beneficium Ecclesiasticum tunc per annum immediate praecedentem pacifice possessum, et quod certo modo vacare praetenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, et nobilitatem possessoris ejusdem, et quotannis ipse illud possederit, ac specificam, et determinatam, ex qua clare poterit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio jus competat, causam in hujusmodi impetratione exprimere et infra sex menses ipsum possessorem ad judicium evocari facere, causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam definitivam inclusive prosequi debeat, et teneatur, alioquin impetratio praedicta, et quaecumque inde secuta nullius existant firmitatis, et idem impetrans de damnis, et interesse possessorem praefatum propterea contingentibus, ei satisfacere, et si possessorem ipsum injuste, frivole, et indebite molestasse repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Camerae Apostolicae sit adstrictus. Nec alius quam praemissae vacationis modus, etiam per literas. Si neutri, aut subrogationis, aut alias sibi quoad hoc, ut beneficium hujusmodi ea vice consequi aut obtinere valeat quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia Ecclesiastica cujuscumque qualitatis, per privationem, et amotionem, vel alias propter commissa, excessus, et crimina, vacantia vel vacatura, et similiter ad impetrantes beneficia tanquam vacantia per devolutionem.

De triennali.

559. Item statuit, et ordinavit idem D. N. quod si quis quaecumque beneficia Ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, Apostolica, vel Ordinaria collatione, aut electione, et electionis hujusmodi confirmatione, seu praesentatione, et institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, et praesentatio, seu quaevis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possederit (dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicae ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserit) super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas et inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.

De non appellando
ante sententiam definitivam.

560. Item idem D. N. ut finis litibus celerius imponatur, et litigantium parcatur sumptibus, et expensis, suorum praedecessorum constitutionibus, et statutis inhaerendo, statuit, et ordinavit, quod in causis pendentibus, et quas imposterum contigerit agitari, nulli ante definitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quae vim habeat definitivae, vel a gravamine minime concernente negotium principale, quod non possit per appellationem a definitiva sententia reparari: Nullaeque causae appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quod interlocutoria vim definitivae habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione a definitiva non valeat reparari. Alioquin appellationes, et commissiones imposterum, et quicquid item secutum fuerit, nullius sint roboris, vel momenti, commissionibus appellationum jam judicibus praesentatis, et exhibitis, in suo robore permansuris, in quibus latis super eisdem sententiis, secundo, vel ulterius ab eis non liceat appellare: Appellantes vero, et appellationes, etiam ab interlocutoriis, et gravaminibus hujusmodi, suo, vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, ultra expensas, et damna, ad quae resarcienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri poena mulctentur.

Non stetur commissioni post conclusionem.

561. Item statuit, et ordinavit, quod in commissionibus de justitia, seu mandatis etiam consistorialibus, per eum, seu de ejus mandato, vel auctoritate in causis, in quibus conclusum existat, imposterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione hujusmodi implicite vel explicite mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem commissionis hujusmodi derogetur expresse.

De literis Religiosorum expediendis.

562. Item voluit, et ordinavit quod si aliqui Religiosi petunt aliquod beneficium ad nutum amovibile, cum clausula quod exinde pro solo nutu Abbatis, vel Superioris amoveri non possint, literae quoad ipsam clausulam nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat in signatura, quod non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

De clausula ponenda in literis
permutationum beneficiorum.

563. Item si committatur alicui beneficio resignationis receptio, ponatur clausula «Attente quoque provideas,» et si ex causa permutationis resignationis fiant, ponatur clausula «Quod neuter permutantium jus acquirat, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.»

De supplendis defectibus.

564. Voluit, quod si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus literae desuper concedantur, nisi in petitione desuper hujusmodi defectus exprimantur, vel per Fiat ut petitur, supplicatio signata fuerit.

De derogatione Jurispatronatus.

565. Item voluit, quod super quovis beneficio Ecclesiastico de jurepatronatus laicorum, non expediantur literae, nisi ponatur expresse, quod tale beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitime est devoluta, vel quia tempus patronis laicis ad praesentandum a jure praefixum, lapsum existat, aut ad id patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum jurispatronatus hujusmodi derogari contigerit, jurispatronatus hujusmodi mentio dispositive, ac specifice, determinate, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat, et de hoc in literis provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio, similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

De Commendis.

566. Item voluit, quod nulli saeculari de regulari, nec religioso de saeculari beneficiis Commenda detur, nisi in signatura per clausulam. Ad partem, super petitione Commendae hujusmodi, de Commenda ipsa mentio fiat.

De reformationibus.

567. Item voluit, statuit, et ordinavit, quod super quibuscumque reformationibus signatis super impetrationibus quorumcumque beneficiorum vacantium vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod literae super prima Data expediri possint, si ex hujusmodi expeditione sub tali Data cuiquam videatur posse fieri praejudicium, literae hujusmodi sub ipsa prima Data nullatenus expediantur, nisi reformationes hujusmodi per fiat, sub prima data signatae fuerint.

De consensu resignationibus, et pensionibus.

568. Item voluit, et ordinavit, quod super resignatione cujuscumque beneficii Ecclesiastici, seu cessione juris in eo, quam in manibus suis, vel in Cancellaria Apostolica fieri contigerit, Apostolicae literae nullatenus expediantur, nisi resignans, vel cedens, si praesens in Romana Curia fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eadem Cancellaria expresse consenserit, et juraverit, ut moris est. Et ipsum resignantem, seu cedentem, pluries super uno, et eodem beneficio, in favorem diversarum personarum successive consentire contigerit, voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus tenere debeat, et alii posteriores consensus, ac literae illorum praetextu, etiam sub priori Data expeditae pro tempore, nullius sint roboris, vel momenti. Nec literae reservationis, vel assignationis, etiam motu proprio, cujusvis pensionis annuae super alicujus beneficii fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc habebit.

De ingressu Religionis.

569. Item non dentur literae super beneficiis vacaturis per ingressum

Religionis, nisi ille praecesserit Datam desuper petitionis.

Non valeat impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

570. Item voluit, quod si petatur aliquod beneficium vacans per modum in Cancellaria Apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat nec literae desuper expediantur.

De executione faciendâ.

571. Item voluit, statuit, et ordinavit, quod quotiescumque per signaturam suam, vel de ejus mandato factam, super exequendis aliquibus cum adjectione proprii nominis, vel dignitatis cujusvis, Judex datur, literae desuper expediantur cum expressione, quod idem Judex executionem faciat per se ipsum.

De dispensationibus in gradibus consanguinitatis.

572. Voluit, quod in literis dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut alias prohibito, ponatur clausula, Si mulier rapta non fuerit. Et si scienter, ponatur clausula, Addita in quaterno.

Super defectu natalium.

573. Voluit, quod in dispensationibus super defectu natalium, ut possint succedere in bonis temporalibus ponatur clausula: «Quod non praejudicetur illis, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat.»

Super dispensationibus.

574. Item quod per quamcumque signaturam in quavis gratia nullatenus dispensatio veniat, nisi dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur.

Nulli suffragetur dispensatio, nisi literis confectis.

575. Item, cum concessiones super gratiis dispensationum quarumcumque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum, per regulas Cancellariae Apostolicae sint provide limitatae, licet aliquando in petitionibus super hujusmodi concessionibus oblatis multa sint petita, ne quis talium concessionum praetextu id dispensative tenere, aut facere praesumat, ad quod concessiones hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N. quod nulla talis dispensatio cuiquam, in judicio, vel extra, suffragetur antequam super ea literae Apostolicae sint confectae.

De clausulis ponendis in literis Indulgentiarum.

576. Item voluit, quod in literis indulgentiarum ponatur, quod si ecclesiae, vel capellae, vel alias aliqua Indulgentia fuerit per ipsum concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, hujusmodi literae sint nullae.

De Indulgentiis concessis Ad instar.

577. Item, voluit idem D. N. quod literae super Indulgentiis non expediantur « Ad instar » nisi specificentur.

De exprimendo valore beneficiorum in impetrationibus.

578. Item voluit, quod in gratiis, quas quibusvis personis de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, et aliorum quorumcumque beneficiorum, quae dictae personae tunc obtinuerint, seu

de quibus eis fuerit provisum, vel concessum, aut mandatum provideri, verus annuus valor per Marcas argenti, aut Sterlingorum, vel libras Turonem, parvorum, seu Florenos auri, aut Ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam secundum communem aestimationem exprimatur, nisi personae praedicatae beneficia, quae obtinuerint, aut in quibus, vel ad quae jus eis competit, juxta ipsarum oblationes, aut alias dimittere teneantur, alioquin gratiae praedictae sint nullae. Et idem servetur in gratiis, quas a Sanctitate Sua motu proprio emanare contigerit, quoad beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut alias disponatur, ad literas, per quas pro tempore ad Ecclesiarum Patriarchalium, et Cathedralium, ac monasteriorum regimina promotis conceditur, ut monasteria, et alia beneficia Ecclesiastica, saecularia, et regularia per eos obtenta, et in quibus et ad quae jus competit, retinere possint.

De clausulis, et beneficiis vacantibus ponendis.

579. Voluit et ordinavit, quod quando providet, seu mandat provideri alicui de beneficio Ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulae, si petantur, etiamsi illud quovis modo seu per Constitutionem, EXECRABILIS, vacet, ac specialiter reservatum, inter aliquos litigiosum sit, et ejus collatio devoluta fuerit, et si pro collitigante, vel subrogationem, aut si neutri, vel si nulli, petente, si tunc lis specifice exprimatur, nec detur aliqua generalis reservatio dispositive nisi desuper in concessione speciali, et expressa, ac pure, et non sub conditione, mentio fiat, et tunc reliquae reservationes ibi contentae veniant. Si vero tempore expeditionis inde literarum generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut in novis provisionibus, seu pro collitigantibus si neutri, vel si nulli, sit expressum, quod ab aliquibus asseritur, illum cujus beneficium conceditur, Collectorem, vel unicum Subcollectorem, Abbreviatorem, vel Familiarem, Notarium, aut dictae Sedis officialem fuisse, clausula ponatur, etiamsi dictum beneficium ex eo quo talis Collector, vel unicus Subcollector, Abbreviator, vel Familiaris, Notarius, aut dictae Sedis officialis fuit, dispositioni Apostolicae generaliter reservatum existat, dummodo non sit in eo alicui specialiter jus quaesitum. In reliquis vero nulla clausula detur unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex Fiat signata sit, aut reservatio vel alias specialiter habeatur.

De expressione qualitatum beneficiorum in impetrationibus.

580. Item voluit, quod super beneficiis ecclesiasticis, de qualitatibus illorum, videlicet an dignitates, personatus, vel officia sint, eisque immineat cura animarum, et ad illa consueverint qui per electionem assumi, mentio fiat, alias gratiae desuper factae sint nullae. Et si qualitates hujusmodi affirmative, vel conditionaliter non exprimantur, negativa expresse desuper fiat, in beneficiis, quae tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere.

De beneficiis vacantibus per contractum matrimonii.

581. Item si reservetur beneficium per contractum matrimonii, non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum, nisi sequatur matrimonium. Sed in beneficiis per promotionem, aut ingressum religionis, vel assecutionem vacaturis, ponatur clausula «etiamsi non petatur, cum beneficia hujusmodi praemissa, vel alias quovis modo, praeterquam per obitum obtinentis, vacare contigerit, etiamsi vacent.»

De clausulis ponendis in literis Religiosorum.

582. Item voluit, quod si petatur, aliquem in Religionem recipi, et sibi de quovis beneficio ecclesiastico provideri, per simplicem signaturam fiat, recepto hujusmodi dumtaxat detur, adjecto, si petens idoneus sit, aut aliud canonicum non obsistat, et exprimatur, si certus numerus regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur, et si numerus iste non existat, ponatur. Dummodo receptionis locus hujusmodi nimium propterea non gravetur. Possintque executores provisionis hujusmodi ad receptione emissionis professionis, non expectato probationis anno, providere.

De translatione Religiosorum.

583. Item si regularis petat sibi de beneficio ab aliquo monasterio, vel regulari loco dependente provideri, et appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius monasterii, vel loci religiosus sit, licet ibi translatio non petatur, nihilominus illa veniat.

De clausula, Si est ita.

584. Item quod in literis super beneficiis, per constitutionem EXECRABILIS, vacantibus, ponatur clausula, Si ita est: similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.

Petenti provideri de vacaturo dentur literae de vacanti.

585. Item petenti sibi provideri de vacaturo, dentur literae de vacanti, prout impetranti.

Revocatio decimarum, et aliarum impositionum.

586. Item revocavit quascumque decimarum (non tamen nuper pro defensione fidei catholicae in Germania contra haereticos, et Imperii rebelles impositarum, sub datum idibus Januarii anno quintodecimo pontificatus ejusdem Pauli praedecessoris) necnon subsidiorum vigesimae, et aliorum operum impositiones, quae a praedicto Paulo Quinto praedecessore suo ex quavis causa, etiam in subsidium expeditionis contra Turcos, et orthodoxae fidei hostes emanarunt, et quascumque facultates super decimarum, vigesimae, et onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum et proventuum Camerae Apostolicae debitorum collectoribus, et Apostolicae Sedis nuntiis ab iisdem praedecessoribus concessas. Suspendit quoque ad Suae Sanctitatis, et Sedis Apostolicae beneplacitum, quascumque plenarias Indulgentias, ab eisdem praedecessoribus ex quavis causa, etiam expeditionis hujusmodi conces-

sas, si quae per Nuntios, vel Quaestores deferebantur, necnon deputandi, et eligendi confessores, qui plenarie absolvant, et alia factas ed earundem Indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates ipsas Indulgentias quomodolibet concernentes, praeterquam, quoad ea in quibus Indulgentiae, et facultates in aliqua sui parte sint sortitae effectum, ita ut illis qui implentes injuncta eis in literis Indulgentiarum hujusmodi, jam consecuti sint facultatem eligendi confessores, qui absolvant eos plenarie in mortis articulo, per hujusmodi suspensionem non praejudicetur, quin facultate ipsa uti possint in futurum. Decrevit quoque irritum, et inane quidquid facultatem revocatarum earundem praetextu in posterum contigerit attentari.

Revocatio facultatum percipiendi pretium officiorum.

587. Item revocavit, cassavit, et annullavit, ac irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium officiorum Romanae Curiae pro tempore vacantium, in toto vel in parte, in quasvis concessiones, et collationes, aliasque dispositiones per fel. record. Gregorium Decimumquartum praedecessorem suum de dictis officiis, etiam ex die collationum, concessionum, et dispositionum earumdem in antea vacaturis, in favorem quarumcumque personarum, ecclesiarum, monasteriorum, piorum locorum, collegiorum, seu eorum mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus, et ex titulo oneroso, et sub alia quavis verborum forma, quam, et praemissorum tenores pro expressis haberi voluit, concessas, et factas, quoad officia, quae post obitum ipsius praedecessoris vacarunt, et imposterum quomodolibet vacabunt.

Item revocavit quoque, cassavit, et annullavit, ac irritas declaravit quascumque infeudationes, investituras, gratias, concessiones quoquo modo, etiam in emphyteusim, ad tempus, seu in perpetuum, etiam motu proprio, et de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis (extra tamen consistorium, et sine sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio et consensu) a die constitutionis fel. record. Pii Papae Quinti praedecessoris sui, super prohibitione alienandi et infeudandi civitatis et loca sanctae Romanae Ecclesiae, sub dat. Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto Kalend. Aprilis Pontificatus sui anno secundo, usque in praesentem diem, per quoscumque Rom. Pont. suos praedecessores, aut mandato, vel auctoritate eorum quomodocumque, ac qualitercumque, et quovis colore factas, et concessas, de civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus, et locis Sanctae Romanae Ecclesiae et Sanctae Sedis Apostolicae, et tam mediate, quam immediate subjectis tunc, videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum, et concessionum nondum devolutis. Necnon quascumque prorogationes, et extensiones quarumcumque infeudationum, investiturarum, gratiarum et concessionum, de dictis civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus et locis, tunc

videlicet de tempore dictarum prorogationum, et extensionum nondum finitarum, quibusvis personis, cujuscumque gradus, status, et conditionis, ac praeeminentiae, etiamsi imperiali, regali, ducali, aut alia quavis praefulgeant dignitate, etiam in vim contractus, ex quocumque titulo, etiam oneroso, et per quascumque, tam sub plumbo, quam in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, aut etiam alias quomodocumque, et qualitercumque expeditas literas, ac sub quavis verborum forma, quam, et praemissorum omnium tenores Sanctitas Sua pro expresso haberi voluit, latissime extendendos.

Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore clausulae.

588. Item cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium, et certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus, certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquam obtineant a Sanctitate Sua, ut hujusmodi valorem annuum augere possint, ut verius possit in confectione literarum super hujusmodi impetrationibus summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis imposterum haesitari continget: Declaravit, praetextu concessionis hujusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, et in prima, quae desuper fiet literarum expeditione dumtaxat augeri posse, et eas quas, literis jam expeditis, cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento praedicto, denuo super expediri contigerit literas, cum aliquo augmento valoris hujusmodi, nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi motu proprio beneficiales gratiae, et dispositiones quaecumque a Sanctitate Sua emanaverint.

De insordescentibus.

589. Item, ne personis, pro quibus literae Suae Sanctitatis emanabunt; ob generalem absolutionem a censuris Ecclesiasticis, quibus ligati forent ad eorum effectum indifferenter concedi, et in literis Apostolicis apponi solitam, praestetur occasio censuras ipsas vilipendendi, et insordescendi in illic, statuit et ordinavit, hujusmodi absolutionem, et clausulam in literis quas in futurum cum illa concedi continget non suffragari non parentibus rei judicatae, incendiariis violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus et falsificari procurantibus literas et supplicationes Apostolicas, et illis utentibus receptatoribus et fautoribus eorum ac res veritas ad infideles deferentibus violatoribus Ecclesiasticae libertatis, via facti ausu temerario, Apostolicis mandatis non obtemperantibus, et Nuntios vel executores Apostolicae Sedis et ejus officialium et ejus commissa exequentes impedientibus qui propter praemissa, vel aliquod eorum excommunicati a jure, vel ab homine, per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint et generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias quam ut praefertur, quomodolibet, ligatis, in illis per annum continuum insorduerint.

Officiales nihil exigant ultra debitum.

590. Item idem D. N. exactionibus quas Sanctitas Sua, non sine displicentia plerumque fieri intellexit per officiales Romanae Curiae, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio officiorum quae obtinent, non contenti, ultra a prosequentibus negotiorum quorumdam expeditionem in eadem exigere non verentur, obviare volens, districte praecipiendo inhibuit omnibus, et singulis quaevis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de caetero quiquam praetextu officiorum, quae obtineant, quovis colore, etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta ejusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quae eis incumbunt, malitiose, differre, sub excommunicationis et praeter illam, suspensionis a perceptione emolumentorum hujusmodi pro prima ad semestre, et pro secunda ad annum et pro tertia vicibus, quibus sic excederent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint, poenis. Ac voluit, quod Sancta Romanae Ecclesiae Vicecancellarius et Camerarius excedentes ipsos respective prout eis subsunt per subtractionem emolumentorum eorumdem, ac alias ut praefertur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere et contra eos per praedictas poenas et alias prout melius expedire viderint, procedant.

Reservatio beneficiorum vacantium Sede Apostolica vacante.

591. Item, S. D. N. provide considerans, consuevisse quandoque Romanos Pontifices praedecessores suos, beneficia, quae vacante Sede Apostolica vacare contigerat dispositioni suae reservare intendens de beneficiis hujusmodi tam Conclavistis, quam pauperibus clericis et aliis benemeritis personis providere, omnia et singula beneficia per regulas Cancellariae Apostolicae; aut quaslibet alias apostolicas Constitutiones temporalis Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, et ex quavis causa reservari solita, quae a die obitus fel. record. Gregorii XV praedecessoris sui usque ad diem supradictam septimam augusti vacaverunt et de quibus per quoscumque ordinarios collatores tunc dispositum non fuerat, suae dispositioni reservavit, decernens irritum, esse contrarium.

Revocatio indultorum superviventiae.

592. Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit, praedecessoris suos Rom. Pontifices tempore existentes, subcontractorum debitorum, vel diversis aliis praetextibus concessisse et indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel erga creditores, aut quascumque alias personas obligare, vel hypotecare, in solutum dare, aut alias quomodolibet de eis disponere liceret ad tempus minime restrictum ad vitam supplicantium cum gravis successorum praejudicio et ecclesiarum detrimento. Ideo indemnitati ecclesiarum, et successorum in beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens revocavit, cassavit et annullavit omnia et singula indulta, et facultates

in ea parte, qua necdum vere et realiter suum sunt sortita effectum per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessa omnibus eis, vel eorum fumulis ullo modo et ex quavis causa, vel praetextu permittitur fructus certos, vel incertos jura obventiones et emolumenta quaecumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus ultra unicum annum elocare, arrendare ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare, vel hypotecare insolutum dare aut de eis quomodolibet, et ex quavis causa disponere pro tempore ad vitam beneficiatorum et tempus, quo beneficia hujusmodi obtinuerint minime restricto et coarctato, illorum tenores decernens irritum, quidquid in contrarium.

Quod Cardinales non comprehendantur sub regulis faciendis.

593. Item, cum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales ipsi S. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus praerogativis et privilegiis gaudere, idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit et declaravit, quod in quibuscumque Constitutionibus et regulis per Sanctitatem Suam imposterum post hanc primam editionem et suarum Constitutionum et regularum publicationem faciendis non includantur ipsi Cardinales, nisi illae eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipsae Constitutiones edendae de eorumdem Cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editae fuerint.

De potestate reverendissimi D. Vicecancellarii et Cancellariae regentis.

594. Primo quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in literis Apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel declarent.

Item, quod possit corrigere nomina et cognomina personarum non tamen eorum, quibus gratias et concessiones fiunt, ac beneficiorum dum tamen de corpore constet.

Item, quod possit omnes causas beneficiales, etiam non devolutas, committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

Item, quod processus Apostolica auctoritate decretos aggravare possit, cum invocatione brachii saecularis et sententias executioni demandari facere contra intrusos et intrudendos per literas apostolicas desuper conficiendas et non alias.

Item, quod possit signare supplicationes, manibus duorum Referendariorum signatas de beneficiis Ecclesiasticis, saecularibus et regularibus dispositioni Apostolicae generaliter non reservatis quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem in alia moneta secundum communem aestimationem valorem annuum non excedet.

Item, quod possit signare supplicationes, etiam duorum Referendariorum manibus signatas de novis provisionibus. Si neutri et subrogationibus pro collitigantibus in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item, quod possit ad ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus, usque ad proxima tunc a jure statuta tempora, in quibus sic arctati successive ad ipsos ordines promoveantur.

CAPUT V.

DE OFFICIO EPISCOPI IN MUNERE PRAEDICATIONIS.

595. Quia Reipublicae christianae non minus necessaria est praedicatio Evangelii quam lectio, et hoc est praecipuum Episcoporum munus, statutum est non solum Episcopos, Archiepiscopos, Primates et omnes alios Ecclesiarum praelatos (uti supra diximus) per se ipsos vel per alios idoneos ad praedicandum sanctum Jesu Christi Evangelium, sed etiam Archipresbyteros, Plebanos et quoscumque qui Parochiales vel alias curam habentes ecclesias obtinent per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascere salutaribus verbis docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quae eos declinare et virtutes, quas sectari oportent; ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum praestare negligat, etiamsi ab Episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse praetenderet etiam si Ecclesiae quovis modo exemptae dicerentur, aut alicui monasterio, etiam extra dioecesim existenti, forsan annexae vel unitae, modo re ipsa in dioecesi sint provida pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur. « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.» Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur; ita ut etiam si ei sic expedire visum fuerit ex beneficiorum fructibus alteri qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat (1).

596. Si qua vero parochiales ecclesiae reperiantur subjectae monasteriis in nulla dioecesi existentibus, si Abbates et regulares Praelati in praedictis negligentes fuerint a Metropolitanis in quorum provinciis dioeceses ipsae sitae sunt, tamquam quoad hoc Sedis Apostolicae delegatis compellantur. Neque hujus decreti executionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, aut recursus impedire valeat, quousque desuper a competenti judice, qui summarie et sola facti veritate inspecta procedat, cognitum et decisum fuerit.

597. Saeculares debent esse approbati ab Episcopo ut possint verbum Dei ministrare. Regulares vero cujuscumque ordinis, nisi a suis superioribus de vita moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in ecclesiis suorum ordinum praedicare non possint cum qua licentia, personaliter se coram Episcopis praesentare et ab eis

(1) Concil. Trident. Sess. V, cap. 2.

benedictionem petere teneantur antequam praedicare incipiant. In ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt ultra licentiam suorum superiorum etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo praedicare possint; ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant (1).

598. Si vero, quod absit, praedicator errores aut scandala disseminaverit in populum etiamsi in monasterio sui Ordinis vel alterius Ordinis praedicet Episcopus ei praedicationem interdicat. Quare si haereses praedicaverit, contra eum secundum juris dispositionem aut loci consuetudinem procedat etiamsi praedicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse praetenderet; quo casu Episcopus auctoritate Apostolica et tamquam Sedis Apostolicae delegatus procedat. Curent autem Episcopi, ne quis praedicator, vel ex falsis informationibus vel alias calumniose vexetur; justamve de eis conquerenti occasione habeat (2).

599. Caveant praeterea Episcopi, ne aliquem vel eorum qui cum sint nomine regulares extra claustra tamen et obedientiam Religionum suarum vivunt, vel Presbyterorum saecularium nisi ipsi noti sint et moribus, atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum praetextu in sua civitate, vel dioecesi praedicare permittant donec ab ipsis Episcopus super ea re Sancta Sedes Apostolica consulatur: a qua privilegia hujusmodi nisi tacita veritate et expresso mendacio ab indignis extorqueri verisimile non est (3).

600. Praedicatores vehementer hortantur ac monentur ut dicturi ad populum prudentes, cautique accedant, ne dicendi impetu rapti verborum erroribus quasi jaculis audientium corda confingant et cum sapientes fortasse videri desiderant decepti speratae virtutis compagem insipienter discindant saepe namque verborum effectus amittitur cum loquacitate importuna, vel incauta audientium corda laevigantur. Et sane in nullo alio rudem ii plebem majori damno, scandaloque afficiunt, quam cum facienda praedicans, vel falsa vel inutilia docendo eam in errorem inducunt. Quae quoniam huic sacrae religioni divinitus institutae ut nova et aliena, contraria esse noscuntur, gravi certe accuratoque sunt examine digna, ne scandalum populo christiano et suorum auctorum, ac aliorum animabus intentum pariant (4).

601. Idcirco statutum est atque ordinatum ut nullus clericus saecularis quam cujuscumque etiam ordinis Mendicantium regularis, aut quivis alius quem facultas praedicandi tam de jure quam de consuetudine vel privilegio aut alias pertinet, ad hujusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per Superiorem suum respective diligenter examinatus (in qua re conscientia ipsius Superioris oneratur) morum honestate doctrina, probitate, prudentia et vitae exemplaritate ad illud aptus et idoneus reperiatur, et

(1) Conc. Trid. Sess. V, cap. 2.
(2) Ibid. (3) Ibid.
(4) Leo X Constit. *Super quae*, sacro approbante Concilio Lateranensi 1516.

hic quaecumque postea praedicaturus accesserit, de ejusmodi examine et idoneitate sua per literas authenticas seu alias sui examinatoris approbatorisque Episcopis et aliis locorum ordinariis fidem legitime faciat (1).

602. Mandatum quoque est omnibus qui hoc onus sustinent, quique in futurum sustinebunt, ut evangelicam veritatem, et Sanctam Scripturam juxta declarationem, interpretationem et ampliationem Doctorum, quos Ecclesia vel usus diuturnus approbavit legendosque hactenus recepit et in posterum recipiet, praedicent et explanent, nec quidquam ejus proprio sensui contrarium aut dissonum adjiciant, sed illis semper insistant quae ab ipsius Sacrae Scripturae verbis et praefatorum Doctorum interpretationibus rite et sane intellectis non discordant. Tempus quoque praefixum futurorum malorum, vel Antichristi adventum, aut certum judicii diem praedicere vel asserere nequaquam praesumant cum veritas dicat: « Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate » ipsosque qui hactenus similia asserere ausi sunt mentitos, ac eorum causa reliquorum etiam rite praedicantium auctoritati non modicum detractum fuisse constet: inhibetur omnibus et singulis clericis sive secularibus vel regularibus praefatis caeterisque cujuscumque, status, gradus et ordinis existant qui hoc munus assument ne de caetero in sermonibus suis publicis alia quaeque futura ex literis sacris constanter praedicere, nec illa a Spiritu Sancto vel divina revelatione se habuisse affirmare et alienas inanes divinationes asseverando, aut alio quocumque modo, sed ex divinae vocis praecepto Evangelium omni creaturae cum vitiorum detestatione et virtutum commendatione et enucleent et declarent, et pacem ac dilectionem mutuam a Redemptore nostro tantopere commendatam ubique foventes, non scindant vestem inconsutilem Christi, sed ab Episcoporum et Praelatorum ac aliorum superiorum eorum status scandalosa detractione, quos coram vulgo et laicis non modo incaute, sed etiam intemperanter reprehendunt et mordent et ab eis male gestorum expressis, quandoque nominibus aperta, et manifesta redarguitione abstineant. Si quis autem contra praemissorum aliquod committere quidquam ausi fuerint ultra poenas a jure statutas excommunicationis etiam sententiam, a qua nonnisi a Romano Pontifice praeterquam in mortis articulo constituti absolvi possunt, eos incurrere censeatur, et ut exemplo alii attentare similia minime audeant eis praedicationis officium interdictum esse perpetuo est decretum (2).

CAPUT VI.

DE OFFICIO EPISCOPI IN ELIGENDIS JUDICIBUS SYNODALIBUS.

603. Episcopi sunt ordinarii et nati judices causarum ecclesiasticarum in primo gradu in suis dioecesibus (3).

(1) Leo X Constit. *Super quae*, sacro approbante Concilio Lateranense, 1516.

(2) Ibid.

(3) Cap. Super. 27 de offic. et pot. Judic. deleg.

Delegant judices qui causas cognoscant. Sed quoniam ob malitiosam petentium suggestionem et quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causae mandantur, usque adeo haberi non potest hincque interdum judicibus non undequaque idoneis causae in partibus delegantur, statutum est in singulis Conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas quae praeditae sint dignitate, aut personatu gaudeant seu ecclesiarum cathedralium canonici sint, vel alioquin ad id aptae sint designari, ut praeter Ordinarios locorum iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur. Et si aliquem ex designatis mori contigerit; substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram provincialem aut dioecesanam Synodum: ita ut habeat quaeque dioecesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas, ac ut supra qualificatas, quibus hujusmodi causae a quolibet Legato vel Nuntio, atque etiam a Sede Apostolica committantur: alioquin post designationem factam quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quaecumque aliorum judicum, aliis quam his factae, subreptitiae censeantur. Monentur quoque tam Ordinarii quam alii quicumque judices ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant: ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte judicii differenda modis omnibus aut termini praefixione aut competenti alia ratione occurrant (1).

604. In causis judicialibus mandatur omnibus judicibus Ecclesiasticis, cujuscumque dignitatis existant, ut quandocumque executio realis, vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo quam in definiendo a censuris Ecclesiasticis, seu interdicto, sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque laicos, per mulctas pecuniarias quae locis piis, ibi existentibus, eo ipso quod exactae fuerint, assignantur, seu per captionem pignorum, personarum districtionem, per suos proprios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, et causas definire. Quod si executio realis, vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga judicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo, praeter alias poenas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel personalis, ut supra, fieri poterit, erit a censuris abstinendum: sed si dictae executioni facile locus esse non possit, licebit judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti: si tamen delicti qualitas, praecedente saltem bina monitione, etiam per edictum, id postulet. Nefas autem sit saeculari cuilibet magistratui prohibere Ecclesiastico judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunica-

(1) Concil. Trid. Sess. XXV. cap. 11 de Ref.: Bonifacius VIII, *Statutum* in 6 de Rescriptis.

tionem revocet, sub praetextu, quod contenta in praesenti Tridentinae Synodi decreto non sint observata, cum non ad saeculares, sed ad Ecclesiasticos haec cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta et communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur; sed si obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de haeresi suspectum, procedi possit (1).

605. Officium delegati judicis est ad formam literis delegationis praescriptam servato juris ordine munus exequi diligenter, mandataeque fines jurisdictionis nullo egredi pacto, cum prorsus irritum habeatur quidquid vel praeter vel contra tenorem accepti mandati, jurisque ordinem agere tentaverit; nec partim etiam consensu ad alias, quam a delegante designatas res, personasque mandata possit jurisdictio prorogari (2).

CAPUT VII.

DE COADJUTORIBUS ET VICARIIS GENERALIBUS.

606. Statutum est coadjutorum Episcoporum et Superiorum dationem intelligendam esse de causis majoribus, et referendam ad Sedem Apostolicam, ac ab ea (consuetudine non obstante contraria) tantummodo postulandam. Verum ne hoc praetextu Ecclesia existentis in remotis partibus dispendia patiantur sancitum est, ut Episcopus senio aut valetudine corporali gravatus, vel etiam adeo impeditus perpetuo ut officium suum nequeat exercere: possit de sui consilio et assensu Capituli vel majoris partis ipsius, unum vel duos auctoritate Apostolica coadjutores assumere ad dictum officium exequendum. Si vero Episcopus demens fuerit, et quid velit aut nolit exprimere nesciat vel non possit; tunc ejus Capitulum vel duae ipsius partes eadem auctoritate unum aut duos coadjutores assumant idoneos, qui ejus officium exequantur. Si autem Episcopus senio aut incurabili modo gravatus vel perpetuo impedimento detentus ad sui executionem officii reddatur inutilis, et coadjutorem assumere vel habere noluerit, licet a Capitulo requisitus proprio se illius non indigere suffragio forsitan asserendo: tunc nil per Capitulum Episcopi in Ecclesiae suae conditionem et statum ac facti circumstantias universas, quam cito poterit, fideliter et expliciter referat ad notitiam dictae Sedis, recepturi humiliter, et efficaciter impleturi, quod super hoc per Sedem ipsam contigerit ordinari. Coadjutores hujusmodi de proventibus praelatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos ab alienatione quolibet de bonis ecclesiasticis praelatorum ipsorum vel ecclesiarum suarum quomodolibet facienda penitus abstinentes rationem non solum in districto examine, sed praelatis eisdem (si sanae

(1) Ibid. cap. 3 de Reform.; Bened. XIV, lib. 4 de Syn. dioeces., cap. 5.

(2) Cap. ex parte tua 13, cap. prudentiam 21 de offic. deleg. et cap. cum dilecta 22 de Rescriptis et cap. 40 de offic. deleg.

mentis extiterint) a Capitulis eorumdem, seu etiam ipsorum praelatorum successoribus si hoc antea non fecerint, plenariam reddituri. Caeterum quod de Episcopis praemittitur ad Superiores et praelatos esse intelligitur referendum (1).

607. Episcopi, si necessariis causis impediantur, quo minus officiis suis possint superesse, viros idoneos quibus vices suas mandant, possunt eligere, assignata iis certa proventuum Ecclesiae, aut beneficii portione (2). Idonei non sunt ordinis mendicantium Religiosi, monachi, Clerici Regulares, nisi cum licentia Praelati, cui sunt subjecti (3). Non debet eligi in Vicarium Generalem ab Episcopo, nisi qui non est nec civis, nec suus dioecesanus, sed qui ad alienam dioecesim pertinet: nec Parochus, aut curam animarum habens, aut Canonicus poenitentiarius, quamvis sit alienae dioeceseos, nec qui in utroque vel saltem canonico jure non sit doctor (4). Absolutè incapax est hujus officii laicus, indecorum enim est, laicum Vicarium esse Episcopi et saeculares in Ecclesia judicare. Ab Episcopo constituti, habent jurisdictionem non delegatam, sed ordinariam, et eamdem, quam habent Episcopi licet amovibiles sint; idcirco accepta generali commissione officii, ipso jure, quae sunt ordinariae jurisdictionis fere cuncta exercere, causasque omnes ad episcopale judicium pertinentes cognoscere (5). Ac proinde non ad Episcopum appellatur a Vicarii sententia, sed ad Archiepiscopum vel ad Romanam Sedem; licet ab Archidiacono et aliis inferioribus praelatis ad Episcopum appelletur (6). Variis nominibus Vicarius fuit appellatus: aliquando Missus (7), modo Suffectus (8), aliquando Substitutus (9), frequenter Ordinarius (10), vel etiam Officialis (11), potissime Vicarius Generalis. Vicarii autem alios Vicarios sibi substituere nequeunt (12).

608. Plures uni Episcopo Vicarios habere fas non modo est, sed quandoque necessitate adigitur, vel ubi duas simul unitas ipse regat dioeceses (13) vel unam longe lateque patentem, vel latinis simul et graecis subditis mistam dioecesim Episcopus habeat. Quod enim ad causas Italo-Graecorum, quibus Episcopus tantum Latinus praesit, Vicarium graecum ipse iisdem graecis gratum, eorum salario sustentandum deputare debet: atque appellationis gradu Metropolita latinus graecum similiter judicem deligere (14).

609. Si cui Episcopo ab Apostolica Sede Vicarius datus sit, ob abusum jurisdictionis exercitum ab Episcopo,

(1) Cap. unic. Pastoralis, lib. 3, Tit. V de cler. aegrotant. in 6.

(2) C. Extirpandae 30, § qui vero, de praeb. C. Beneficium 4. De Regular. in 6. C. pervenit 28 de Appel. C. Cum ex eo 34 in 6.

(3) C. 22. In Nona 16, 9, 7. Clem. Etsi 2.

(4) Ex plurimis decretis S. Congregationis et ex Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 16 ubi decernitur in Vicarium Capitularem eum esse eligendum, qui sit vel laurea vel licentia in jure canonico insignitus; quod etiam dicendum de Vicario Generali.

(5) C. 2 et 3 de officiis Vicarii in 6 et cap. Petitio de Procuratoribus.

(6) C. 3 in princ. et § 1 de appel. in 6.

(7) C. Cum accepisti 1 de frigidis.

(8) Cap. fin. de supplenda neglig. Prael.

(9) Clem. 1 et 2 de haereticis.

(10) Glos. in cap. Romana de appell. in 6.

(11) Bonif. VIII in cap. Licet 2 de officiis vic. in 6 et Clem. 2 de Rescriptis.

(12) Cap. 2 de Appel. in 6.

(13) Cong. Conc. 17 ap. 1705.

(14) Ex Leonis X et Clementis VI litteris, et Benedicti XIV Const. *Etsi Pastoralis* 57 de dogm. et ritib. Italo-graec. 20 maji 1742.

vel ob suspensionem in quam forte incurrerit, vel ob senectutem, adversamque valetudinem ipsius praelati, aliamve urgentem causam, is adhuc mortuo Episcopo munus idem obibit; hoc enim casu ob reverentiam erga supremam Sedem locus non datur electioni Vicarii Capitularis (1). Cum Vicarius Apostolicus datur Ecclesiae vacanti, nullam habeat aliam auctoritatem, praeter eam quam Vicarii Capitulares ea occasione obtinent (2). Singulis per dioecesim oppidis foraneos quoque Vicarios cum solent Episcopi deputare; eis quantam velit Episcopus habeant jurisdictionem. Decet enim ut Praesul vel maximo idoneus sua cum aliis onera partiatur (3). Nulla isti dignitate potiuntur ne a Sede Apostolica, ejusque legatis delegationes ad officialem foraneum Episcopi sed ad principalem tantum seu Generalem dentur Vicarium (4). Quamobrem eis nec praecedentia in choro et processionibus, nec alia id genus praerogativa debetur.

610. Licet in officialem Episcopi per commissionem officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur, potestas tamen inquirendi, corrigendi aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis, seu administrationibus amovendi transfertur in eumdem, nisi sibi specialiter haec committantur (5).

611. Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quae non esset quis verisimiliter concessurus: nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa; officialis, aut Vicarius Generalis Episcopi beneficia conferre non possunt; nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa (6) nec potest permutare nec unire beneficia, vel erigere alia nova (7) sed instituit praesentatos a patronis, causasque beneficiarias de pertinentia et quasi possessione jurispatronatus judicat (8).

612. Prohibetur Archiepiscopis ne in dioecesibus suffraganeorum suorum foraneos officiales constituant: quia cum Metropolitanis ne suorum suffraganeorum ingrediantur dioeceses, ut in eis auctoritate propria judicent, disponant, aliudve aliquid agant canonica prohibeant instituta, nequaquam hoc possunt in illis per alios exercere. Nec, pro eo quod causas per appellationem delatas ad ipsos possunt in suffraganeorum suorum dioecesibus delegare; similiter licet eis tales officiales instituere in eisdem, qui eorum vice (cum appellatur ad ipsos) citationes vel inhibitiones faciant, seu compescant in hac parte rebelles. Quia in causis per appellationem devolutis ad ipsos jam jurisdictionem obtinere noscuntur; propter quod licite possunt super illis committere vices suas. Non sic in aliis in quibus nondum extitit appel-

(1) Sixtus V Const. 117, tom. 4, edit. nov.

(2) Bened. XIV de Synodo dioeces., lib. 2, cap. 20.

(3) Innoc. IV in Conc. Lugd. in cap. Romana 1 de offic. Ordinarii in 6.

(4) Clem. 2 de Rescriptis.

(5) Cap. 2 Licet in officialem, lib. 1, tit. XIV, 6 decr.

(6) Ibid. cap. 3 Cum in genere.

(7) Cap. Cum in generali 3 de offic. Vic. in 6 cap. Quaesitum de rerum permut. Can. Nemo Ecclesiam aedificat 9 de consecr. dist. 1.

(8) Cap. Ex frequentibus 3 de institutionibus.

latum: et idcirco non debent aliquos constituere pro citationibus in futuris causis appellationum et inhibitionibus faciendis: nisi aliud aliqua Ecclesia circa talium officialium institutionem de consuetudine obtineat speciali. A quibus etiamsi consuetudine hujusmodi in provincia constituti, inhibitione tamen ne procedatur in causis priusquam ad Metropolitanam curiam appelletur penitus interdicitur (1).

613. Si Episcopus suam dioecesim ubi ei a jure permittitur faciat per alium visitare, licet ipse illi in aliis necessariis provideat, hi tamen, qui visitantur, ministrare tenentur expensas victualium visitanti, cum secundum Apostolum, non sit magnum si ab eo metantur temporalia per quem spiritualia seminentur. Verum tamen Episcopus cum personaliter non visitat, nihil prorsus ab his, qui per illum quem deputat, fuerint visitati, exigere poterit, ac debebit (2).

614. Cum Episcopus in tota sua dioecesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere, dubium non existit quin in quolibet loco ipsius dioecesis non exempto per se vel per alium possit pro tribunali sedere: causas ad ecclesiasticum forum spectantes audire, personas ecclesiasticas (cum earum excessus exegerint, punire et alia, quae ad ipsius spectant officium libere exercere) (3).

615. Vicarius Episcopi vi suae jurisdictionis non potest ex se se dioecesim visitare, nec dioecesanum Synodum ullo modo congregare, excepto tantum Vicario Summi Pontificis cui facultas data est dioecesanam Romanam Synodum cum clero romano congregandi et in eadem Synodo praesidentiam; et omnes synodales actus exercere (4). Vicarius Episcopi potestatem non habet Capitulum canonicorum convocare, nec in eo interesse, nec ferre suffragium (5) dimissoriales literas ad ordines recipiendos concedere nequit, nisi Episcopus in longinquis regionibus moram fecerit diuturnam (6). Et quemquam alium Provicarium generalem eligere non possit (7) causas tamen nonnullas illi aliis delegare non prohibetur.

616. Capitulum Sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum, vel plures, fideles, ac diligentes decernat qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant, quorum rationes ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et, si ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut praefertur, negligens fuerit tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana et propinquior Episcopus in exem-

(1) Innoc. IV in Concil. Lugdun., cap. 1 Romana Ecclesia, tit. 16 in 6.
(2) Cap. Si Episcopus 6, tit. 16 in 6.
(3) Ibid. cap. 7.
(4) Bened. XIV lib. 2 de Synod. dioeces., cap. 3.
(5) Conc. Trid. Sess. XXV de Ref. cap. 6.
(6) Cap. Cum nullus 3 de temp. ordinat.
(7) Cap. Clericus de off. Vicarii.

pta Oeconomum et Vicarium idoneos possit constituere. Episcopus vero ad eamdem Ecclesiam vacantem promotus ex eis, quae ad eum spectant, ab eisdem Oeconomo, Vicario et aliis quibuscumque officialibus et administratoribus, qui, Sede vacante, fuerunt a Capitulo vel ab aliis in ejus locum constituti, etiam si fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, jurisdictionis administrationis, aut cujuscumque muneris, possitque eos punire qui in eorum officio, seu administratione deliquerint: etiamsi praedicti officiales redditis rationibus a Capitulo vel a deputatis ab eodem absolutionem, aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque Episcopo teneatur Capitulum de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus si quae ad Capitulum pervenerunt rationem reddere (1).

617. Capitulum Sede vacante unum tantum Vicarium eligat nisi aliter immemorabilis adsit consuetudo (2). Existentibus autem doctoribus in Capitulo, necessario unus ex illis in Vicarium est eligendus, alioquin deputatio ad Metropolitanum devolvitur (3). Negligente Metropolita Romanus Pontifex vel Congregatio Episcoporum Vicarium deputabit eique modo limitatas mandat facultates pro libito.

618. Non est de necessitate ut Vicarius eligatur de gremio Capituli, caeteris tamen paribus praeferendus est capitularis et existentibus doctoribus, vel licentiatis in jure canonico eligendus in Vicarium doctorem sive licentiatum in ipso jure canonico, alias sufficere ut eligatur, qui quantum fieri possit, idoneus sit (4).

619. Si plures ad officium Vicarii a Capitulo assumerentur, is qui in controversia repertus fuerit magis idoneus et habuerit qualitates requisitas remanere debet et caeteri removendi sunt. Id non extenditur etiam ad Ecclesiam collegiatam defuncto ejus Praelato, qui ordinariam jurisdictionem et omnia jura Episcopalia habebat; quia si non est necesse ut hic Praelatus mortuus sit doctor, neque etiam Vicarius ejus (5). Semel vero electus a Capitulo Vicarius removeri non potest, nisi causa agnita a Sacra Concilii Congregatione (6).

620. Emolumenta tempore vacationis Sedis Episcopalis obvenientia ex jurisdictione et sigillo, aut alias undecumque, quae ad Episcopum Ecclesia non vacante pertinuissent, ad Capitulum minime spectant nisi ex Apostolico privilegio illi concessa fuissent, sed debent futuro Episcopo reservari, ex his tamen emolumentis deducendum est rationabile salarium Vicario constituendum et persolvendum; quod si ex privilegio Apostolico Capitulo competerent nisi canonici regulares sint et tria vota emiserint, inter se illa dividantur.

621. Si Episcopus a paganis aut schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed Capitulum ac si Sedis per mortem vacaret illius. in spiritualibus et temporalibus ministrare debebit

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 16.
(2) Cong. Conc. in Panorm. 2 apr. 1591.
(3) Ibid. 14 febr. 1594.
(4) Ibid. 9 sept. 1594.
(5) Congr. Conc. 22 sept. 1585. Congr. Conc. 14 nov. 1594.
(6) Bened. XIV de Synodo dioeces., lib. 2, cap. 9.

donec ipse libertati restituatur, vel per Sedem Apostolicam (cujus interest Ecclesiarum providere necessitatibus) super hoc per ipsum Capitulum quam cito commode poterit consulendam, aliud contigerit ordinari (1).

622. Ecclesiae cathedrali vacanti, visitatur ab alio, quam a Romano Pontifice deputari non potest. Nisi forte Capitulum in spiritualibus et temporalibus negligenter, aut perperam administret. Tunc enim Archiepiscopus ob negligentiam vel malitiam Capituli (eo vocato, causaeque super hoc cognitione praemissa visitatorem seu administratorem) eidem Ecclesiae licite poterit deputare. Hujusmodi tamen visitator, quamquam spiritualium et temporalium administrationem legitimam censeatur habere: beneficia tamen, quae ad collationem Episcopi pertinent, conferre non potest, si ab alio quam a Romano Pontifice fuerit deputatus (2).

623. Quamquam alteri vices suas aliquis in commissa sibi a Sede Apostolica delegata, in totum commisisse noscatur, si tamen antequam ille jurisdictione usus fuerit commissio hujusmodi per ipsum revocetur ab illo vel eum rebus eximi contingant humanis: causam ipsam resumere poterit; cum jurisdictio (ex quo ipsa usus non extitit) non censeatur in eum efficaciter transivisse (3).

624. Si delegatus, quoties eum abesse contigerit, alteri commiserit vices suas hic poterit eo rebus humanis exempto (cum et tunc censeatur abesse) commissum sibi negotium, dum tamen illo vivente jurisdictione uti coeperit, libere definire. Idem poterit quando sibi vices etiam sub ea forma commisit, donec eas duceret revocanda. Nam talis commissio per quam censetur etiam sententiae prolatio (nisi antea fuerit revocata) committi nequaquam morte committentis expirat: ex quo res integra non existit. Ad eum quoque qui vices suas committit, donec revocet, vel qui executionem sententiae tantum aut quidquid aliud de jurisdictione sibi reservat: non ad delegantem primum appellari debebit: etiam si post sententiam fuerit appellandum (4).

625. Cum plures sibi illa forma, ut omnes aut duo, vel unus eorum mandatum Apostolicum exequantur, aut alia consimili judices vel executores a Sede Apostolica deputari contingerit: ipsorum quilibet injunctum potest libere adimplere mandatum. Porro uno eorum negotium inchoante commissum alii nequibunt se ulterius intromittere de eodem, nisi vel infirmitate, vel alia justa causa illum contigeret impediri: aut si nollet vel malitiose in eo procedere recusaret. Jurisdictione vero perpetuata, mandatore vivente per unum (eo casu quo potest) ex judicibus delegatis perpetuata intelligitur quoad omnes (5).

626. Si is cui causa (licet proprio nomine non expresso) a Sede fuerit Apostolica delegata, subdelegaverit non in totum vices suas alicui; a subde-

(1) Cap. Si Episcopus 3. Tit. VIII, in 6.
(2) Ibid. cap. Ecclesiae Cathedrali 4 in 6.
(3) Ibid. tit. XIV, cap. 6 quamvis, in 6.
(4) Cap. Si delegatus 7, tit. 14 in 6.
(5) Ibid. cap. Cum plures 8.

legato hujusmodi, si delegatum ipsum excommunicari, vel de medio tolli contingat, impedimento tali durante ad Sedem ipsam (ne absolutionem vel successorem expectando illius, praejudicari litigantibus, vel causa plus debito prorogari valeat) statutum est appellari (1).

627. Is cui ab Apostolica Sede committitur certae personae provisio de beneficio in certa Ecclesia, dioecesi, vel provincia facienda, potest alii committere vices suas. Sed si non expressa certa persona committatur eidem, ut alicui personae idoneae de certa Ecclesia, vel beneficio debeat providere (quia circa eligendam personam ejus industria tunc videtur electa): provisionem sibi commissam alteri demandare non potest: nisi forma commissionis habeat ut per se vel per alium id valeat expedire (2).

628. Si forte Praelati non sine multa temeritatis audacia suis subditis aliquando interdicant ne ipsorum superioribus, aut Apostolicae Sedis Legatis vel Inquisitoribus ad inquirendum, corrigendum et reformandum in eorum ecclesiis, monasteriis sive locis, a Sede deputatis eadem, vel aliis quibuscumque personis, per quas ad notitiam praedictorum valeat pervenire, statum ecclesiarum monasteriorum seu locorum suorum personarum et rerum ipsorum insinuent vel exponant: in ipsos si secus egerint, excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias proferentes, eosque ad hoc celandum juramentis, promissionibus et obligationibus, aliisque poenis nihilominus astringentes, statutum est (ne tali praetextu in ecclesiis monasteriis et litis eisdem inquisitio, correctio, seu reformatio cum faciendae fuerit valeant impediri) praedicta et eorum quodlibet attentari distinctius inhiberi. Quidquid igitur contra praesentem inhibitionem attentatum extiterit nullius penitus existere firmitatis: nec quemquam sententiis juramentis promissionibus obligationibus, vel poenis hujusmodi obligare quomodolibet vel adstringi. Praesumptores autem eosdem (ne ipsorum temeritas quoquo modo transeat impunita) a Superioribus vel Legatis seu Inquisitoribus memoratis, animadversione condigna praecipitur castigari (3).

CAPUT VIII.

DE CAPITULO CATHEDRALI.

629. Senatus cujuscumque dioeceseos est collegium canonicorum, qui servitio cathedralis Ecclesiae sunt adscripti. Unum corpus sunt, cujus caput est Episcopus. Idcirco et Episcopus caput et ipsi membra esse illius reapse actionibus probentur (4). Res Ecclesiae consilio et aliquando consensu Capituli, nisi aliud consuetudo in aliis dioecesibus introduxerit Episcopus administrat (5) ipsumque Capitulum episcopali Sede vacante in omnibus ad potestatem jurisdictionis attinentibus vices gerit Episcopi. Canonicis

(1) Ut supra cap. Si is cui causa 10 in 6

(2) Is cui ab Apostolica 12 in 6.

(3) Cap. Quia plerique 4, tit. 16 in 6.

(4) Alexander III Epist. ad Jerosolymitanum Patriarcham.

(5) Coelestinus III in cap. Ea noscitur 6 de his quae fiunt a Prael. sine Cons. capit.

et dignitatibus Capitulum constat. Cum dignitates in Ecclesiis praesertim cathedralibus, ad conservandam augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutae, ut qui eas obtinerent, pietate procellerent, aliisque exemplo essent; atque Episcopos opere et officio juvarent: merito qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo munneri possint respondere. Nemo igitur ad dignitates quascumque, praesertim quibus animarum cura subest promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum aetatis suae annum attigerit, et in clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur. Archidiaconi etiam qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in Theologia seu doctores, aut licentiati in jure canonico. Ad caeteras autem dignitates vel personatus quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei et viginta duobus annis (ut alias dictum est) non minores adsciscantur. Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus censeantur a die adeptae possessionis, ad minus intra duos menses in manibus ejusdem Episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus Vicario, seu officiali, orthodoxae suae fidei publicam facere professionem, et in Romanae Ecclesiae obedientia se permansuros spondeant, ac jurent (1).

630. Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus non solum coram Episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur; alioquin praedicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos nec illis possessio suffragetur. Neminem etiam ad dignitatem canonicatum, portionem recipiant, nisi qui Ordine sacro, aut sit initiatus, quem illa dignitas, praebenda, aut portio requirit; aut in tali aetate, ut infra tempus a jure et a Synodo Tridentina statutum initiari valeat. In omnibus vero Ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum ordinem Presbyterii diaconatus vel subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio Capituli designet, ac distribuat prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus esse debeat: ita tamen, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint, caeteri vero Diaconi aut Subdiaconi: ubi vero laudabilior consuetudo habet, ut plures vel omnes sint Presbyteri omnino observetur. In provinciis vero, ubi commode fieri potest dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum, in cathedralibus Ecclesiis, et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris, vel doctoribus, aut licentiatis in Theologia vel jure canonico (2).

631. Praeterea obtinentibus in iisdem cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas, aut portiones non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse; salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum,

(1) Conc Trid. Sess. XXIV, cap. 12.

(2) Ibid.

quos ratione etiam praebendae, ac residentiae fecit suos; quod si iterum eadem fuerit usus negligentia privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia contra eos procedatur, distributiones vero qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus (1).

632. Omnes vero divina per se et non per substitutos compellantur obire officia, et Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire atque in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter distincte devoteque laudare. Vestitu insuper decenti tam in ecclesiâ, quam extra assidue utantur, ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant, atque ea morum integritate polleant, ut merito Ecclesiae senatus dici possit. Caetera quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi, seu modulandi ratione de certa lege in choro conveniendi et permanendi, simulque de omnibus ecclesiae ministris quae necessaria erunt, et si quae hujusmodi, Synodus provincialis, pro cujusque provinciae utilitate et moribus, certam cuique formulam praescribet. Interea vero Episcopus non minus quam duobus canonicis, quorum unus ab Episcopo alter a Capitulo eligatur, in iis quae expedire videbuntur, poterit providere (2).

633. Inimica Ecclesiae canonibus de ambitionis radice processit consuetudo videlicet quod ipsius Ecclesiae canonici duos personatus, aut duos praeposituras, seu administrationes, aut duo officia, vel eorum alterum cum reliquo insimul et praebendam possint in ea licite absque Sedis Apostolicae dispensatione obtinere. Ea ut corruptela, et abusus reprobatur etiamsi juramento firmata extiterit (cum juramentum iniquitatis vinculum non existat), cui nemo teneatur; atque statutum est ut nulli liceat nisi unicum personatum, vel dignitatem, aut praeposituram, sive administrationem, vel officium perpetuum, quocumque nomine censeantur; cum praebenda insimul absque dispensatione Sanctae Sedis in eadem Ecclesia obtinere, vel jam obtenta tenere. Quod si a quocumque secus praesumptum fuerit, irritum sit omnino (3).

634. Ut ii, qui divinis in cathedralibus, vel collegiatis saecularibus, vel regularibus Ecclesiis sunt mancipati officiis, vel mancipabuntur in posterum ad suscipiendos sacros ordines propensius inducantur, statutum est ut nullus in hujusmodi Ecclesiis vocem in capitulo habeat (etiamsi hoc sibi libere concedatur) nisi saltem in subdiaconatus ordine fuerit constitutus. Illi vero qui dignitates, personatus, officia, vel praebendas, quibus certi ordines sunt adnexi, pacifice obtinuerint in futurum, nisi, justo impedimento cessante, ad hujusmodi ordines se promoveri fecerint intra annum, et tunc, donec ad eos pro-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 12.
(2) Ibid.
(3) Bonifacius VIII Const. *Consuetudinem*, an. 1296, de consuetudine in 6.

moti fuerint, nullo modo vocem in capitulo habeant earumdem; ipsisque distributionum, quae dantur his qui certis horis intersunt, pars dimidia subtrahatur, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus vel statutis, poenis aliis, quae contra tales promoveri ad ordines recusantes statuuntur in jure, nihilominus in suo robore permansuris (1).

635. Consuetudinem improbatam caveant canonici renovare, qua canonici sive clerici cathedralium distributiones quotidianas (quae alias manualia beneficia seu victualia nuncupantur, et tantum residentibus tribuuntur) qualitercumque in civitatibus seu aliis locis sint praesentes, licet divinis officiis non deservirent. Hinc statutum est ut distributiones ipsae quotidianae in quibuscumque rebus consistant, canonicis Ecclesiarum ipsarum qui eisdem officiis in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis quos infirmitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas excusarent) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, imo ad omnium restitutionem; quae contra hujusmodi constitutionem receperit, teneatur (2).

636. Absque rationabili causa non potest major pars Capituli tollere consuetudinem, utilitatem privatam nutriendo. Cum igitur quod quisque juris in alterum statuit ipse debeat uti eo, quod sapientis dicat auctoritas. Mandatur quatenus antiquos canonicos junioribus et juniores in perceptione fructuum tam praebendarum quam vinearum coaequatis antiquis secundum priorem consuetudinem servatam vel secundum rationabilem institutionem in posterum observandum (3).

637. Excepto Poenitentiario canonici divinorum officiorum tempore audientes confessiones non debent censeri praesentes in choro ad effectum lucrandi quotidianas distributiones. Nec celebrantes Missam tempore officiorum tamquam praesentes haberi debent nisi de Praefecti licentia, et in populi commodum. Quando Episcopus Missam privatam celebrat absentes a choro ut illi inserviant non gaudent manualibus distributionibus inter praesentes, tunc enim tales reputantur quando Episcopus in suis civitatis Ecclesiis pontificali ritu celebrat, vel paratus pluviali et mitra divinis officiis, vel cum cappa assistit, si numerus tamen canonicorum et ministrantium in Ecclesia cathedrali remaneat. Neque praesentes censendi sunt canonici assistentes Episcopo in pertractandis negotiis vel ipsum comitantes in dioecesi vel extra residentiam, nec canonici absentes a choro pro ministerio praedicationis, pro examine ordinandorum et confessariorum, neque Rectores, Administratores, Professores et Examinatores Seminarii, neque Canonici qui generales Provicarii sint vel Cancellarii, vel Actuarii, aut alia

(1) Clemens II, cap. 2 de aetate, qualit. et ordine praeficiendorum.

(2) Bonifacius VIII cap. unic. de cler. non resid. in 6.

(3) Decret. tit. 2 de Constit., cap. 6.

munia in Episcopali vel Archiepiscopali curia exerceant (1); itemque Vicarius capitularis habitu vicariali processionibus interveniens non gaudet distributionibus quotidianis (2). Si vero canonici, qui ad exponendas rationes massae capitularis absunt a choro per tempus ab Ordinario praefiniendum reputentur praesentes. Canonicus administrator rerum capitularium pro diebus et horis, in quibus reapse incumbit in administrationem, uti praesens censeatur, et in casibus vere urgentibus canonicus etiam cancellarius Capituli pro negotiis capitularibus in archivio occupatus existit (3), similiter Poenitentiarius ut supra dictum est, quoadusque audiendis confessionibus revera vacet (4), Theologus in eo die et illis horis, quibus Sacrae Scripturae habet lectionem (5), Vicarius capitularis in actuali exercitio sui officii (6) et canonicus, qui per decem dies exercitiis spiritualibus vacat ad ordines sacros recipiendos (7).

638. Licet evidens Ecclesiae utilitas inter causas numeretur abessendi a choro et interim distributionis percipiendi, nomine tamen ecclesiae intelligitur illa ecclesia, cui chorale servitium debetur. Si vero utilitate Ecclesiae universalis vel dioeceseos canonicus abesset a choro tunc ad recipiendas distributiones quotidianas oportet ut Apostolico indulto muniatur, ut easdem distributiones, quasi praesens sit percipiat (8). Canonicum absentem etiam dici debet, qui chori servitio non intervenit sive resideat in eadem choralis ecclesiae urbe, sive longe absit. Quare si ultra tres menses sive continuos sive intra annum interruptos, debito chori non satisfaciat nisi legitima absentiae causa aperte non demonstretur, amissionem pro rata absentiae privari successive potest per judicis sententiam fructibus beneficii. Capitulares, qui timore carceris aliarumque poenarum (quae a civili magistratu violenter injusteque comminentur) a residentia abscedant, vel injuste carceribus detinentur vel injuste in exilium pulsi sunt, tamquam choro praesentes censentur quousque absentiae violenta causa perdurat (9). Ejusmodi ficta praesentia non semper eosdem parit effectus; sed eos dumtaxat, quas major vel minor causae validitas suadent et locorum consuetudo facile ferat (10).

639. Non amittunt distributiones quotidianas jubilati, qui postquam quadraginta annos assidue ac laudabiliter famulatum ecclesiae praestiterint, privilegium exinde ab Apostolica Sede obtinere solent exemptionis a choro et residentia (11) et qui animarum curae Capitulo adnexae, vel dignitati suae, aut canonicatui perpetuo unitae actu incumbunt dum officia in choro ab aliis persolvuntur (12). Alios contra nil pro distributionibus,

(1) Cap. Cum non deceat de elect. in 6 et ex decretis Congr. Conc. 20 dec. 1862.

(2) Ex Decr. Congr. Rituum 16 sept. 1865.

(3) Ex cit. decr. Congreg. Conc.

(4) S. Congr. Conc. in Romana 13 julii 1711.

(5) Ex declaratione Greg. XIII apud Fagnan. in cap. licet n. 170.

(6) Honorius III in cap. Ex parte tua de cleric. non resid.

(7) Ex Constit. Alexandr. VII et Clementis XI an. 1710.

(8) Ex decr. Congr. Concil. 4 sept. 1869.

(9) Ex decr. ejusd. Congr. 9 aug. 1862.

(10) Ead. Congr. 12 sept. 1868.

(11) Cap. Licet vobis 32 de praebendis.

(12) In citat. decr. Congr. Concil., 13 julii 1711.

qua ordinariis, qua extraordinariis juvat residentia ficta, sed pro fructibus tantum participandis; scilicet qui non ultra tres menses quotannis absunt, cum cito reversuri, abesse non videantur (1).

Quemadmodum et absentes causa studii ad quinquennium et non ultra suffragatur. Haec absentia causa studii (2) non debet respicere ultra quam duos de Capitulo qui licentiam habeant Episcopi; dummodo ne fraus inde fiat, secus residentiae debent legem observare et alias redire subtractione quoque fructuum cogantur (3). Omnibus tandem quavis causa privilegiatis, paulo ante recensitis negare quaslibet certas, incertasve distributiones potest ac solet voluntas benefactorum expressa locique statutum auctoritate legitima comprobatum in odium fictae residentiae praesentiaeve (4).

640. Sunt etiam ex canonicis, qui praesentes in choro et functionibus non lucrantur dispositiones: scilicet Protonotarii, quoties cum solemni Praelatorum veste intersint in sella mobili, separataque a stallis canonicorum, inter quos nonnisi cum aequalibus Capituli insigniis licet adesse. Qui praeterea sacrum ordinem suo adnexum canonicatui non susceperit intra annum exinde medietate distributionum privatur. At vero eas non amittit, qui suos non facit fructus ob neglectam fidei professionem (5).

641. Praecipua canonicorum obligatio est in choro ad psallendum adesse vel quotidie vel alterius fere hebdomadis, ibique divina per se et non per substitutos distinctis horarum intervallis rite officia persolvere hymnisque et canticis Dei nomen reverenter et distincte devoteque laudare. Qui enim fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute et communis reipublicae, reliquerunt illis substantias ut per eas debeant sacrae liturgiae fieri, et ut illis a ministrantibus piis clericis Deus colatur. In cathedralibus ideo et Regularibus atque collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur et districte praecipitur in virtute obedientiae ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent et devote (6).

642. Debent sane voces et mentes in unum idemque simul conspirare (7). Qui vero praesentes in choro negligant psalmos et hymnos concinere suo eos muneri non satisfacere suadeantur (8). Recitatio officii publica et alta voce facienda et psallentes uti debent officio a Romana Ecclesia approbato et praecepto. Si consuetudo adsit recitandi in choro officium parvum B. V. Mariae vel psalmos graduales vel poenitentiales vel officium defunctorum haec recitatio praescriptis (9) diebus non omittatur. Capitula

(1) Can. praesentium 7, 9.

(2) Cap. fin. de magistris et cap. Licet de praeb.

(3) Bald. et Bonfac. VIII in cap. Cum ex eo de elect. in 6. Alexand. III in cap. Relatam 4 et Innoc. III in cap. Tuae 12, et cap. Cum ad hoc 16 de Clericis non resid.

(4) Cap. de caetero et cap. ad audientiam 15 de Clericis non resid. et Congr. Concil. die 16 decembris 1627.

(5) Sacra Congr. Concil. 9 febr. 1726.

(6) Clem. I de celebr. Miss. et cap. Dolentes ejusdem tit.

(7) Conc. Later. sub Innoc. III in cit. cap. Dolentes.

(8) In Ep. Encycl. Bened. XIV, die 14 aug. 1744.

(9) Congr. Sacr. Rituum in Alexandrina 22 sept. 1827) et ita servari mandavit 29 dec. 1864.

cathedralia, quae fuerint erecta in cumulatione beneficiorum simplicium imposita canonicis obligatione implendi officia cum iisdem beneficiis connexa, tenentur etiam generatim ad persolvenda caetera choralia munera, quae juxta communem Ecclesiae disciplinam persolvi debent. In immutatione enim status beneficiorum simplicium in praebendas seu mensam capitularem, quamvis officia illis ex fundatione adnexa impleantur, succedunt tamen alia officia, quae sunt propria novi status ad quem constituendum beneficia illa disponuntur (1).

643. Officium divinum in choro associari debet cum cantu nulla ob stante consuetudine. Idcirco addicti choro cantum Gregorianum addiscere tenentur. Qui horis canonicis recitandis admiscent jocos, risus, cachinnos et confabulationes rei sunt gravis culpae et ad restitutionem tenentur; et in poenam incidunt suspensionis ferendae sententiae, non latae. Mos non mulctandi canonicos nisi cum supervenerint in choro post absolutum primum Nocturnum cum lectionibus, vel post sex priores psalmos in Matutinis de feria, etiamsi consuetudo adsit reprobatur. Quamquam in choro teneantur recitare semel in hebdomada officium defunctorum, extra chorum tamen canonici non tenentur, quod etiam de officio B. M. Virginis et Psalmis gradualibus ac poenitentialibus dicendum, uti Pius V declaravit (2).

644. Missa conventualis quamquam non veniat nomine Horarum canonicarum, venit tamen nomine divini officii; quare si cathedralis et collegiatarum canonici tenentur ad quotidianum officium divinum, tenentur etiam ad quotidianam celebrationem ejusdem Missae. Eo tempore, quo officia persolvuntur in choro, Capitulum congregari nequit, nisi urgens causa id exegerit. Canonici non possunt deserere chorum ut Missas celebrent vel confessiones audiant, nisi superior id jusserit. Monetur tamen superior, ut ab his jussionibus abstineat.

645. Vacationum indulto non possunt canonici uti solemnioribus anni temporibus, ne populus in ecclesia praesentia cleri privetur, quo tempore aut laetatur ecclesia aut poenitentiae preces effundat. Capitulares omnes in duobus festis solemnioribus praesertim Nativitatis et Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, Pentecostes, Ss. Corporis Christi et per totam Octavam ejusdem, ac aliis temporibus ab Ordinario bene visis interesse et jugiter servire teneatur (3).

646. Episcopus cum consensu Capituli et Capitula cum consensu Episcopi ad augendum cultum et ecclesiarum decorem instituere possunt canonicos honorarios, qui hoc solo titulo non possunt ea jura sibi vindicare, quae ex aliquo facto in praejudicium alterius, canonicis titularibus certo constet pertinere (4). Canonici aliqui Capitulo superadditi, quamvis praebendas possideant, esse possunt simpliciter honorarii et honorarii habentur, qui praecipuis canoniae juri-

(1) Ex decretis Congreg. Concil. 24 aug. 1867.
(2) Ibid.
(3) Ead. Congreg. 18 febr. 1764.
(4) Ead. 16 febr. 1867.

bus non fruuntur (1). Canonici honorarii praeter jus interveniendi choro caeterisque sacris functionibus et praeter honoris insignia, quae canonicis titularibus sine alicujus juris lesione, sint communia, non possunt sibi tribuere alia canoniae jura quae in receptione non fuerint eisdem a Capitulo concessa quamquam ab Episcopo concedi velint et obsistente Capitulo concedantur (2).

647. In ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum, separari debere et in distributiones quotidianas converti, quae inter dignitates obtinendas et caeteros divinis interessentes proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo etiam tamquam Apostolicae Sedis delegato in ipsa prima fructuum deductione facienda, dividatur: salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum, in quibus non residentes, seu non servientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt, crescenteque non servientium contumacia liceat contra eos procedere.

648. Quod si alicui ea praedictis dignitatibus in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis de jure seu consuetudine jurisdictio, administratio, vel officium non competat, sed extra civitatem in dioecesi cura animarum immineat, cui is qui dignitatem obtinet incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo in curata ecclesia resederit ac ministraverit tamquam praesens sit, ac divinis intersit, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis habeatur. Haec in iis tantum ecclesiis constituta intelligantur, in quibus nulla est consuetudo vel statutum, ut dictae dignitates non servientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem ditorum fructuum et proventuum ascendat. Lectori Scripturarum tribuendae sunt distributiones quotidianae non modo illis horis, quibus legit, sed etiam pro tota die.

649. Capitula sive cathedralium sive collegiatarum ecclesiarum (si forte de novo erigenda erunt) intra sex menses, suas constitutiones (si eas non habeant) conficiant, et Ordinario approbandas exhibeant (3). In efformandis iis capitulariter congregentur pro modo et circumstantiis magis accommodato earumdem Archiepiscopalium et Episcopalium ecclesiarum, earumque chori quotidiano servitio, nec non rerum ac jurium tam spiritualium, quam temporalium prospero, felicique regimine, gubernio ac directione, onerumque iis respective incumbentium supportatione, distributionum quotidianarum et aliorum quorumcumque emolumentorum exactione ac divisione, et poenarum incurrendarum a non interessentibus divinis officiis praescriptione, singulorum praesentiis et absentiis notandi, caeremoniis ac ritibus servandis, et quibusvis aliis rebus

(1) Ead. Congreg. 27 aug. 1868.
(2) Ibid.
(3) Pius VII Constit. *De salute animarum*, 16 junii 1821.

circa praemissa necessariis et opportunis quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen atque honesta et sacris canonibus, constitutionibus Apostolicis, decretisque (1) Concilii Tridentini, minime adversantia, sub praesidentia inspectione et approbatione respectivorum Archiepiscoporum et Episcoporum edere atque edita declarare et interpretari, ac in meliorem formam redigere ac reformare seu alia de novo ab illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observanda sub poenis contra facientes statuendis.

650. Officia choralia sive ex praescripta lege, sive ex consuetudine praeter legem obeunda, intuitu praebendarum, quos beneficiarii possideant, sub generalibus legibus pro sua ratione comprehendi debent, quibus canonicorum officia comprehenduntur. In officiis enim obeundis, in quibus eadem viget ratio legis, in illis eamdem vigere debet legis dispositio (2). Illi qui in choro sunt addicti cum fallentiis tempore absentiae subjiciantur, eligere tenentur punctatores, sive eos qui in apposito libro singulas absentias notant; punctatores omnino clerici esse debent (3).

651. Archidiaconus, ubi haec dignitas adest, oculus Episcopi est, omnem solicitudinem et curam tam in clericis, quam in ecclesiis eorum (prout melius secundum Deum poterit) impendere debet sub auctoritate et dependentia Episcopi, dummodo facultatem habeant ab eo ad hoc sui muneris exercitium. Institutio tunc super beneficiis, et etiam dignitatibus ad ipsum pertinet, et promovendos ad sacros ordines Episcopo praesentare et Abbates et Abbatissas ponere in Sede possessionis (4). Eas ecclesias ubi visitationem exercere legitime consueverunt Archidiaconi debent quidem, assumpto notario, de consensu Episcopi per semetipsos tantum visitare (5). Non possunt eorum examini et jurisdictioni causae matrimoniales et criminales praesentari (6).

652. Ministerium Archipresbyteri in eo constituitur, ut diligenti cura provideat ut ministerium sacerdotum canonicorum, qui solemne debent agere officium in communicatione Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi a sacrosancto die dominico incipiendo per omnes horas canonicas indeclinabiliter perseveret; ut opus Dei digne et sancte perficiatur ab eo cui committitur. Invigilet Archipresbyter super vitam canonicorum, praeceptis sui obtemperando Episcopi, ne aliquando cedant aut scurrilitate torpeant. In praecipuis festivitatibus aut ipse celebrationem Missae solemniter impleat, aut ad sui jussionem cui committitur, peragat veneranter (7).

Officium Archipresbyteri de urbe olim erat quando praesul defuisset, vice ejus, officium inchoare, presbyterales benedictiones in ecclesia dare: Missam, quando voluerit, cantare,

(1) A nobis passim relatis.
(2) Ex decr. Congreg. Concil. 16 sept. 1850.
(3) Ex decr. ejusdem Congreg. 1 feb. 1868.
(4) Decretal. Lib. 1 de offic. Archid. Tit. 23, cap. Ad haec nos 7 et cap. Ut nostrum 9.
(5) Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 3.
(6) Ibid. cap. 20.
(7) Decret. cap. Ministerium 2 et cap. Officium 3. Tit. 23 de offic. Archipresb. lib. 1.

vel cui de sacerdotibus jusserit. Quando vero Episcopus Missam canebat, praecipere sacerdotibus debebat ut induerent se vestibus sacris, et qualiter ad Missam procederent.

653. Ut singulae plebes Archipresbyterum habeant, propter assiduam qua Episcopi tenentur erga populum Dei curam, qui non solum imperiti vulgi solicitudinem gerunt, sed etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant, et eos qui vitam jugi circumspectione custodiant: et qua unusquisque industria divinum opus exerceat Episcopo suo renunciet. Nec contendat Episcopus non egere plebem Archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat; quia etsi valde idoneus sit, decet tamen ut sua onera partiatur; et sicut ipse matrici ecclesiae praeest: ita Archipresbyteri praesint plebibus, ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo; cuncta tamen Archipresbyteri referant ad Episcopum, nec aliquid contra ejus decretum ordinare praesumant (1).

654. Ad Primicerii curam specialiter pertinet ut praesit in docendo Diaconis vel reliquis gradibus ecclesiasticis in ordine positis, ut ipse disciplinae et custodiae insistat, sicut pro animabus eorum coram Deo rationem est redditurus, ut et ipse Diaconis det lectiones, quae ad nocturna officia clericorum pertinent, et de singulis studium habeat, ut in quacumque re capacem sensum habuerit, absque ulla vacet negligentia, aut a quo ipse jusserit instruantur (2). Ad Sacristam custodia sacrorum vasorum pertinet, nec non vestimentorum ecclesiasticorum seu totius thesauri ecclesiastici, nec non quae ad luminaria pertinent sive in cera sive in oleo (3).

655. Custos solicitus debet esse de omni ornamento ecclesiae, ut luminariis sive incenso: nec non panem et vinum omni tempore praeparatum ad Missam habere debet, et per singulas horas canonicas signum ex consensu Archidiaconi sonare, et omnes oblationes seu eleemosynas seu decimas (cum ejusdem tamen consensu absente Episcopo) inter fratres dividat. In his tribus ecclesiae capitularis columnis (ut sanxit sacrosancta Toledana Synodus) consistere debet canonicorum ecclesia: ut ad hoc opus tales ordinentur, quales meliores et sanctiores esse viderint, ut nulla negligentia in Dei Ecclesia videatur. Hi tres Archidiaconus, Archipresbyter, Custos simul juncti uno animo provide peragant et perfecte, et non sit invidia neque zelus inter illos (4).

656. Quando clericus saecularis idoneus pro theologali praebenda non reperitur, statutum est collationem illius suspendendam esse donec inveniatur idoneus theologus saecularis, cui fieri possit, et interim nullum esse deputandum custodem aut curatorem fructuum ipsius canonicatus, sed eos omnes tradendos superiori alicujus ordinis, qui curet ut aliquis theologus ex suis regularibus publice in cathedrali ecclesia doceat Sacram Scripturam, eique in primis

(1) Decret. cap. ut singulae 4.

(2) Cap. Ut primicerius, Decretal. 1, Tit. 25 de offic. primic., lib. 1.

(3) Ibid. cap. Ut sciat 1.

(4) Ibid. cap. Cuncta 2, Tit. 27 de Offic. Custodis.

necessaria subministret ex dictis fructibus: et quod reliquum fuerit in usum monasterii convertat (1).

657. Ordinarii locorum quoscumque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhibere districte compellant; et alias procedant, tempus assignando primum in quo possint documenta dispensationis habere pro manibus et praesentare. Quo expleto et nullam dispensationem contigerit exhiberi, ecclesia beneficia, personatus, seu dignitates, quae sine dispensatione aliqua eo ipso illicite detineri constabit, per eos, ad quos eorum collatio pertinet idoneis conferantur. Caeterum si dispensatio exhibita sufficiens evidenter appareat, exhibens nequaquam in beneficiis hujusmodi, quae canonice obtinet, molestetur. Provideat tamen Ordinarius qualiter nec animarum cura in eis dem ecclesiis, personatibus seu dignitatibus negligatur per idoneorum Vicariorum deputationem et congruae portionis fructuum assignationem, et beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur. Si vero de dispensationis exhibitae sufficientia dubitetur, super hoc erit ad Sedem Apostolicam recurrendum, cujus est aestimare valorem et modum sui beneficii et quod esse velit. Appellationibus, privilegiis, exemptionibus quibuscumque, etiam cum judicum specialium deputatione et illorum inhibitionibus in praemissis nemini suffragantibus (2).

(1) Pius V et Gregor. III et Congreg. Conc. (Rhemensi) 24 maji 1595.

(2) Gregorius X in Generali Lugd. Concilio const. ordinarii, Conc. Trid. Sess. VII, cap. 5 de Ref.

658. Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, Vicariis perpetuis in assignatione portionis arbitrio ipsorum praelatorum facienda ita se contineant et arbitrari debeant, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis iis omnino assignetur, nisi Vicariis solitum esset plus assignari sive in quantitate, aut quota fructuum pecuniaque numerata, fundo seu alia re stabili portio hujusmodi constituatur, cujuscumque valoris, parochialis ecclesiae unita fuerit, et habita etiam ratione redditiuum, et onerum loci, cui parochialis ipsa unita fuerit, ita quod portiones ultra vel infra dictas summas scutorum centum et scutorum quinquaginta hactenus assignatae, vel in posterum forsan assignandae, quoad excessum et defectum hujusmodi nullius roboris et momenti existant, et ad summas praedictas reductae et auctae respective censeantur, nisi tamen valor annuus ipsius parochialis unitae habita ratione, ut praefertur, minor sit quinquaginta scutis: quo casu portio assignata vel assignanda Vicario perpetuo non debeat excedere summam annuatim valoris dictae parochialis, sed sufficiat, quod omnes fructus ejus dumtaxat attribuantur ipsi Vicario perpetuo (3).

659. Ecclesiae, monasteria, collegia, beneficia et loca hujusmodi, in quorum parochialibus ecclesiis unitis contingat Vicarias praedictas erigi pro

(3) Pius V Const. *Ad exequendum Pastoralis officium*, 1567.

quantitatibus fructuum ipsis Vicariis perpetuis assignatorum, ad solutionem quindennilorum quam nobis et Camerae Apostolicae solvent, multo abhinc tempore amplius non tenentur, ejus detractio fiat ad rectam certorum, quae de fructibus dictarum parochialium percipiuntur; ita tamen quod Vicarii perpetui, qui pro tempore deputabuntur teneantur accipere a Sede Apostolica novam provisionem suae deputationis, et solvere annatam pro portione fructuum et redditnum et proventuum certorum sibi assignata, et expedire literas Apostolicas; nec alias ad possessionem dictarum Vicariarum perpetuarum et servitium earumdem parochialium admitti possint; nisi soluta annata, et expeditis literis Apostolicis novae provisionis, ut praefertur, alioquin integrum quindennium solvere debent, nec Vicarii praedicti antea tuta conscientia fructus percipere possint (1).

660. Dicti Vicarii perpetui non ad liberam Ordinarii electionem, sed nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum seu eorum Vicariorum praevio examine approbatione deputentur. Si dictae parochiales unitae erunt monasteriis regularium mendicantium, possunt a superioribus dictorum monasteriorum nominari ex his mendicantibus, quos, si Ordinarii praevio examine per se, aut eorum Vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, et ita pro idoneis approbaverint, teneantur in Vicarios, ad nutum tamen superiorum suorum amovibiles, deputare. Itemque observetur in regularibus monachis tantum, dummodo in domo parochiali, in qua unus ex monachis fuerit, servata forma praedicta Vicarius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis monachis (2).

661. Et quia jure optimo distinctae fuerunt dioeceses et parochiae, et unicuique gregi proprii attributi Pastores et inferiorum ecclesiarum Rectores, qui suorum et quisque ovium curam habeant, ut ordo Ecclesiasticus non confundatur, aut una et eadem ecclesia duarum quodammodo dioecesum fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint; beneficia unius dioecesis etiam parochiales ecclesiae, Vicariae perpetuae aut simplicia beneficia, seu praestimonia, aut praestimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum, aut numerum beneficiatorum aut alia quacumque de causa, alterius dioecesis beneficio aut monasterio, seu collegio, vel loco etiam pio perpetuo non uniantur: decrevit Sancta Tridentina Synodus super hujusmodi unionibus et sic declaravit scilicet. Quoniam pleraeque cathedrales ecclesiae tam tenues redditus habent et angustos, ut Episcopali dignitati nullo modo respondeant neque ecclesiarum necessitati sufficiant, examinet Concilium provinciale, vocatis iis, quorum interest et diligenter expendat, quas propter angustias tenuitatemque invicem unire vel novis proventibus augere expediat: confectaque de praemissis instrumenta ad Summum Romanum

(1) Pius V Const. *Ad expendum Pastoralis officium*, 1567. (2) Ibid.

Pontificem mittat; quibus instructus Romanus Pontifex ex prudentia sua, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua accessione ex fructibus augeat (1). Interim vero donec praedicta effectum sortiantur, hujusmodi Episcopis, qui fructuum subventione pro dioecesis suae tenuitate indigent, poterit de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint nec dignitates seu canonicatus et praebendae, nec monasteria, in quibus viget Regularis observantia, vel quae Capitulis Generalibus, et certis visitatoribus subduntur a Summo Romano Pontifice provideri. In parochialibus etiam ecclesiis quorum fructus aeque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere; curabit Episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen regularium, id fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatione aut per parochianorum symbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, aut Parochiae necessitate decenter sufficiat. In unionibus vero, quibuslibet seu ex supradictis, seu aliis causis, faciendis, ecclesiae parochiales, monasteriis quibuscumque aut Abbatiis seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur: et quae unitae sunt revideantur ab Ordinariis. Omnes vero cathedrales ecclesiae, quarum redditus summam ducatorum mille, et parochiales quae summam ducatorum centum, secundum verum annum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur. Id iis quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiae certas non habent fines, nec earum Rectores proprium, quem rogant, populum, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute distincto populo in certas propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus, ac locis, ubi nullae sunt parochiales, quam primum fieri curent; non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus (2). Parochiales ecclesiae non debent uniri cathedrali. Sed potest Episcopus curam animarum toti Capitulo cathedrali incumbentem, per vim unionis perpetuae transferre in dignitatem ejusdem ecclesiae (3). Nec possunt ab Ordinariis fieri uniones parochialium ecclesiarum obstantibus juribus saecularium seu Regularium personarum (4). Plebania non potest uniri Praepositurae.

662. In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episco-

(1) Conc Trid. Sess. XIV, cap. 9.
(2) Ibid. Sess. XXIV, cap. 13.
(3) Congr. Concil. 19 aprilis 1593.
(4) Eadem Congr. 1586 et 13 mart. 1598.

pis cum consensu Capituli vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis unire; vel si hac ratione providere non possit aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu si de jure patronatus laicorum sint, quorum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur eas ad pauciorem numerum reducere: ita tamen ut tot supersint quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere: non obstantibus quibuscumque constitutionibus, privilegiis aut quacumque reservatione generali, vel speciali aut affectione; neque praedictae uniones aut suppressiones tolli, seu impediri possint ex quibuscumque provisionibus etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus (1).

663. Caeterum ut etiam ecclesiarum status ubi sacra Deo officia ministrantur ex dignitate conservetur possint Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, juxta formam juris, sine tamen praejudicio obtinentium, facere uniones perpetuas, quarumcumque ecclesiarum parochialium et baptismalium et aliorum beneficiorum curatorum vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem et in caeteris casibus a jure permissis etiamsi dictae ecclesiae vel beneficia esset generaliter vel specialiter reservata aut qualitercumque affecta. Quae uniones non possunt etiam revocari, nec quoquomodo infringi vigore cujuscumque provisionis etiam ex causa resignationis aut derogationis aut suspensionis (2).

664. Interdicitur ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis a parochialibus quamvis ex eorum constitutionibus vel ex prava consuetudine procedat ne in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis ecclesiae vel beneficii canonicatum, aut praebendarum vel partem proventuum seu ad distributiones quotidianas certae conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationes illicitae, aut etiam quae dicuntur turnorum lucra interponantur. Haec sunt detestanda et execranda. Mandatur ideo Episcopis ut quaecumque hujusmodi in pios usus non convertantur, atque ingressus eos qui simoniacae labe, aut sordidae avaritiae suspicionem habent fieri non permittant, ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super praedictis cognoscant et illis tantum quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas, rejiciant et aboleant. Eos vero qui adversus haec in praesenti decreto comprehensa quavis ratione commiserint poenis contra simoniacos editis, sacris canonibus et variis Summorum Pontificum constitutionibus, teneri decernitur: non obstantibus quibuscumque statutis, constitutionibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus etiam auctoritate Apostolica confirmatis de quarum subreptione, obreptione et in-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 15.

(2) Ibid. Sess. XXI, cap. 5.

tentionis defectu, Episcopus tamquam Apostolicae Sedis delegatus cognoscere possit (1).

665. Poenitentiarii officium nonnisi praevio concursu providendum est alioquin irrita collatio haberetur (2). Ubi fore ab Episcopo est hoc officium instituendum, hoc fiet cum unione praebendae proxime vacaturae in omnibus enim cathedralibus officium poenitentiarii sit omnino oportet. Concurrere debet qui magister vel doctor sit aut licentiatus in Theologia vel Jure canonico, cujus aetas quadraginta annorum numerum explevit, seu alius, qui aptior pro loci qualitate reperiatur: qui dum confessiones in ecclesia audiet interim praesens in choro censeatur (3).

Si officii Poenitentiarii et unitae praebendae vacatio contingat in mense ab Apostolica Sede sibi reservato, vel alias praebenda esset reservata vel affecta, electio hujusmodi Poenitentiarii pertinet ad Summum Pontificem. Institutio officii Poenitentiarii ad solum Episcopum absque consensu Capituli pertinet, collatio autem praebendae poenitentiariae unitae ab illo fieri debet (4). Si vero collatio sit communis inter Episcopum et Capitulum et vacatio praebendae Poenitentiarii contingat in quatuor mensibus inferiorum collatorum, electio personae Poenitentiarii ad Capitulum et Episcopum simul pertinet (5). Poenitentiarius ab Episcopo institutus tenetur exercere officium etiam ante vacationem praebendae ipso officio unitae (6).

666. Canonici cathedralis non emittentes professionem fidei intra duos menses a possessionis die decurrentes non faciunt suos fructus praebendae non vere distributionum. Nec ad hanc poenam incurrendam requiritur sententia declaratoria. Haec vero fidei professio a canonicis emittenda non obligat canonicos aliarum collegiatarum sed tantummodo cathedralium. Praestanda est personaliter non vero per procuratorem; ita ut, si quis Romae existens obtinuerit facultatem professionem hanc emittendi coram Cardinali Vicario, teneatur illam repetere coram Ordinario simul ac in locum residentiae pervenerit (7).

667. Immemorabilis consuetudo non excusat canonicos cathedralium et collegiatarum insignium a residentia; bene tamen in collegiatis non insignibus et ruralibus, in quibus adeo tenues sunt redditus, ut canonici aliunde non habentes unde vivant abeant. Absentia a choro per tres menses non intelligitur permissa si Ecclesiae constitutiones servitium totius anni absque ulla intermissione requirant. Qua in re nulla contraria consuetudo etiam immemorabilis admittitur. Ad vacationem trium mensium vero non requiritur licentia Episcopi, si tamen intra dioecesim consistant, requiritur autem vicissim, si se ab illa absentent: petita tamen non debet ab Episcopo negari. Canonici vigore trimestris, a Concilio Tridentino sibi concessi, non possunt

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 14 de Reform.
(2) Bened. XIII Const. *Pastoralis*, 1725.
(3) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 8 de Reform.
(4) Congr. Conc. 23 junii 1594.
(5) Ead. Cong. 31 maji 1596.
(6) Ead. Cong. 1 mart. 1598.
(7) Bened. XIV Inst. Eccl.

simul abesse a choro ultra tertiam partem eorum, uno et eodem tempore, nec vacationem hanc obtinere possunt tempore Quadragesimae et Adventus et in festis solemnioribus. Pro absentibus autem habeatur, qui absunt ab ecclesiae servitio tot vicibus ut praescripta quantitas trium mensium annuo spatio superetur. Hinc in pluribus decretis sacra Congregatio Concilii declaravit plusquam trimestrem valere ut censeantur absentes. Nec calculum conficiendum esse decrevit ab hora in horam, sed a die in diem. Canonici, qui abfuerint ultra trimestre non sunt citandi ut veniant ad servitium ecclesiae, qua in re differunt a Curatis non residentibus, qui citandi vel admonendi sunt ut contra illos procedatur. Vocandi sunt igitur canonici, ut deducant causam, cur non debeant privari medietate, sive omnibus fructibus.

Porro ut tunc procedatur ad privationem canonicatus praecedere debet trium annorum absentia, tum expediendae sunt tres citationes contra absentem, qui dein expectandus est per sex menses, iisque elapsis, si non compareat, ad sententiam privationis procedatur. Attamen intra hoc triennium expectationis procedi potest ad suspensionem delinquentis et tunc pergendum non est ad sententiam privationis. Vetitum est ne chorales invicem paciscantur, ne mulctentur absentes; et insuper vetitum est ne gratis condonentur distributiones iis, qui non interfuerint; alioquin hae condonationes irritae sunt ac nullae (1).

668. Canonicus habens curam animarum adnexam canonicatui suo, sed extra civitatem, tenetur in Paroecia residere eo tempore, quo in parochiali ecclesia residet, et sacramenta administrat (2), lucratur ipse fructus praebendae non vero distributionum. Fas est Episcopis servitiis adjungere saltem geminos Canonicos cathedralis seu collegiatarum: attamen non potest seligere Curatum, seu dignitatem, neque etiam coadjutorem. Hos vero lucrari fructus praebendae non vero distributiones constat, canonici quos Episcopus Romam mittit invisuros suo nomine limina sacra, vel illum ea occasione comitantes, distributiones quotidianas non amittunt. At si illum comitentur in visitatione dioecesis, si omnes fructus sui beneficii in distributionibus quotidianis consistant, tunc lucrantur duas tertias partes earum, tertia amissa, quae inservientibus accrescit. Canonici tamen, qui etiamsi absentes sint reputantur uti praesentes, pro distributionibus suscipiendis quotidianis, non participant de emolumentis anniversariorum, quae ex voluntate fundatorum distribui consueverunt solum inter praesentes. Absentes vero causa studii ex decreto Innocentii XII, si indultum sibi concessum non exhibuerint Ordinario loci, et in actis Cancellariae non registretur intra tempus in indulto praefixum, perinde est ac si non adfuissent. Studium vero praestari debet in publica Uni-

(1) Ex variis Decretis Cong. cit.

(2) Concil. Trid. Sess. XXII, cap. 3 de Reform. Pius V, Bulla 65.

versitate, ac prodest pro eo pariter tempore, quo Lector privatam lectionem habet et non in Aula publicae Universitatis (1). Demum distributiones quotidianas obtinent canonici et beneficiati, qui interdum intra annum in domo religiosa clausi exercitia spiritualia praestant cum licentia Episcopi, non tamen si in Adventu, Quadragesima et festis solemnibus id agant. In aliis temporibus id ita agant ut servitio chori nullum detrimentum inferatur (2). Capitulum sede vacante non potest in usus proprios convertere mulctas et compositiones delinquentium (3).

669. Capitulum ecclesiae cathedralis praecedere debet Capitulo collegiatae, adeo ut nec sustineantur constitutiones ecclesiarum privatarum aliter decernentes. Capitulum ecclesiae cathedralis ad Synodum ab Episcopo indictam invitandum est, teneturque Episcopus de Constitutionibus in eadem Synodo condendis, ejusdem Capituli consilium exquirere, non tamen sequi illud adstringitur. Si id negligat, et constitutiones suas inconsulto Capitulo promulgaverit, illae profecto, eo quod ad normam juris non sint exactae, firmitate carent Capitulum cathedralis quamvis exemptionem obtineat, adhuc tamen subditur legibus synodalibus in iis, quae versantur circa morum et disciplinae reformationem (4). Exemptio Capituli cathedralis in eo praecipue sita est, ut Episcopus extra visitationem procedere nequeat contra aliquem canonicorum sine duobus de Capitulo adjunctis, quamvis sine iis adjunctis possit illud visitare (5).

670. Theologus tam in cathedralibus quam in collegiatis nonnisi praevio concursu et examine competitorum provideatur (6). Methodus concursus sit super textu sacro. Tertia praebendae pars in quotidianas distributiones converti debet hoc pacto, ut eos in singulis amissarum lectionum punctis vel sacristia lucretur, vel accipiat substitutus aut regularis aut saecularis per Episcopum deputandus, qui contumacioris vices canonici theologi suppleat. Theologus non inter dignitates sed inter canonicos servato collationis possessionisque antiquioris ordine sedet (7). Ejus collatio pertinet ad Summum Pontificem (8). Concursus indicendus est ab Episcopo, a quo examinatores destinandi sunt, quatuor in Theologia licentiati sive saeculares, sive regulares, nec requiritur ut sint synodales. Concurrentes esse debent doctores in sacra Theologia, vel saltem intra annum tenentur doctoralem lauream in aliqua Universitate approbata studii generalis assequi (9). Acta vero concursus transmittenda sunt ad Romanum Pontificem a quo dignior eligetur, nec sufficit laurea canonica, nec etiamsi haec laurea sit recepta ab aliquo privile-

(1) Bened. XIV Instit. Eccl. 107.
(2) Clem. XI Encycl.
(3) Bened. XIV de Syn. dioeces. Lib. 10, § 4.
(4) Idem Lib. 7 et 8.
(5) Concil. Trid. Sess. XXV, cap. de Ref. et sess. 6, cap. 4 de Ref.
(6) Post Sixtum IV, Leonem X et Gregorium XV, Benedictus XIII in citata Bulla *Pastoralis*.
(7) Congr. Concil. in Murana 12 aprilis 1699.
(8) Ex cap. Ad regimen de praeb.
(9) Bened. XIII in citata constitut.

gium obtinente, sed omnino requiritur obtinuisse in Universitate approbata; quod commune est omnibus beneficiis lauream doctoralem exigentibus (1). Satisfacit suo muneri sive legat Sacram Scripturam, sive theologiam non vero moralem theologiam (2). Si clericus saecularis idoneus pro theologali praebenda non reperitur collatio ipsius suspendenda donec inveniatur idoneus et interim omnes fructus canonicatus traduntur superiori alicujus ordinis, qui curet ut theologus regularis publice in cathedrali Sacram Scripturam doceat (3).

De multa providentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum, ut nullus diversas dignitates Ecclesiasticas, vel plures ecclesias parochiales reciperet, contra sacrorum canonum instituta: alioquin recipiens sic acceptum amitteret et largiendi potestate conferens privaretur. Iterum per multa Summorum Pontificum decreta statutum est ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium habebat eo sit ipso jure privatus; et si forte illud retinere contenderit etiam alio spolietur. Is quoque ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat, illi merito conferat, cui merito viderit conferendum: et si ultra sex menses conferre distulerit, non solum ad alios ejus collatio devolvetur, verum etiam tantum de suis cogatur proventibus in utilitatem ecclesiae, cujus est illud beneficium, assignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. Hoc idem in personatibus esse decernitur observandum: addentes, ut in eadem ecclesia nullus plures dignitates ac personatus habere praesumat, etiamsi curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen, et literatas personas, quae majoribus beneficiis sint honorandae, cum ratio postulaverit per Sedem Apostolicam poterit dispensari (4).

671. Ordinarii locorum igitur subditos suos plures dignitates, quibus animarum cura imminet, obtinentes, seu personatum, aut dignitatem cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, districte compellant, dispensationes auctoritate quorum hujusmodi ecclesias, personatus, seu dignitates canonice tenere se asserunt, intra tempus pro facti qualitate ipsorum Ordinariorum moderandum arbitrio exhibere. Quod si forte, justo impedimento cessante nullam dispensationem intra idem tempus contigerit exhiberi, ecclesiae beneficia, personatus, seu dignitates, quae sine dispensatione aliqua eo ipso illicite detineri constabit per eos ad quos eorum collatio pertinet, libere personis idoneis conferantur.

Ceterum si dispensatio exhibita sufficiens evidenter apponat, exhibens nequaquam in beneficiis hujusmodi, quae canonice obtinet, molestetur. Provideat tamen Ordinarius, qualiter sit, nec laboret animarum cura in eisdem ecclesiis, personatibus seu dignitatibus, et aliis beneficiis curam habentibus animarum adne-

(1) Ex const. Pii V.
(2) Bened. XIV Instit. Eccl.,
(3) Pius V et Greg. III Cong. Conc. 1595.
(4) Lib. 3 decretalium de Praebend. et dignitat.

xam; quin imo idem Ordinarii diligentiam illam observent ut personatum dignitatem vel aliud beneficium similem curam habens animarum alicui plura similia obtinenti non ante conferre praesumant, quam eis super obtentis dispensatio evidenter sufficiens ostendatur, qua etiam ostensa, ita demum ad collationem procedatur, si appareat per eandem, quod is cui est collatio facienda, hujusmodi personatum, dignitatem, vel beneficium retinere libere valeat cum obtentis, vel si ea, quae sic obtinet, libere ac sponte resignet. Aliter autem de personatibus, dignitatibus et beneficiis talibus facta collatio nullius penitus sit momenti (1).

672. Indultum jubilationis est privilegium ab Apostolica Sede largitum exemptionis a choro et residentia iis qui laudabile quadraginta annorum servitium in choro exhibuerunt (2). Est praemium instar militum emeritorum. Hinc non conceditur nisi constet servitium fuisse assidue diligenterque praestitum. Quin imo causae absentiae undequaque legitimae ex se se non suffragantur hujus gratiae impetrationi, cum tempus in chorali servitium insumptum non fuerit. Quare elapso quadragenario tempore a die captae possessionis locum datur compensationi fallentiarum, quae antea commissae sint ut capitularis jubilari possit (3). Imo etsi abessendi indulto fuerint donati sive studiorum causa, sive ratione munerum, hoc tempus non computatur in quadragenario servitii spatio, excepta absentia indulta ratione munerum pro diebus et horis (4). Neque interest an hoc tempus expletum sit duobus inserviendo successive ecclesiis.

673. Episcopis inferiores, quaevis beneficia Ecclesiastica personalem residentiam de jure sive de consuetudine exigentia, in titulum sive commendam obtinentes ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono ecclesiarum regimine et divini cultus augmento locorum et personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis juris remediis residere cogantur, nullique privilegia seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur. Indulgentiis vero et dispensationibus temporalibus ex veris et rationabilibus causis tantum concessis, et coram Ordinario legitime probandis in suo robore permansuris, quibus causis nihilominus officium sit Episcoporum, tamquam in hac parte a Sede Apostolica delegatorum providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, et congruae portionis fructuum assignationem cura animarum nullatenus negligatur; nemini quoad hoc privilegio seu exemptione quacumque suffragante (5).

674. Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium occupat officia clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi; decretum est, ut quibuscumque per-

(1) In sexto decretal. tit. 16 de Offic. Ordin. c. 3.
(2) Bened. XIV, lib. 3 de Synod. dioeces., cap. 4. Greg. IX in cap. Cum ad hoc 16, de cler. non resid.
(3) Ex decr. Congr. Conc., die 1 feb. 1868.
(4) Ead. Congr. 26 maji 1867. Ex decr. ejusd. Congr. 21 martii 1868.
(5) Conc. Trid. Sess. VI, cap. 1 de Reform.

sonis, quocumque titulo etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; quoad quidem, si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandum non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Haecque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam saecularia, quam regularia, quaecumque etiam commendata pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant (1).

CAPUT IX.

DE PAROCHIS.

675. Parochi, qui et Plebani (2), et Curati et oppidani Archipresbyteri (3) et olim Personae (4) nuncupati sunt, assiduam erga populum Dei curam habent et non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerunt, verum etiam clericorum vitam jugi circumspectione custodiunt et qua unusquisque eorum industria divinum opus exerceat Episcopo suo referre tenentur. Ipsi in disciplina custodienda et in ipsa animarum cura Episcopis omnimode subjecti sint; et eorum ordinationibus obsequentes sint forma facta gregis ex animo sibi commissae. Ad ipsos pertinet sacrificii oblatio pro populo, praedicatio verbi Dei, et sacramentorum administratio (5). Nemo sine eorum licentia potest nec baptismum, nec eucharistiam Paschali tempore, nec infirmis viaticum, et extremam unctionem administrare, nec matrimonia benedicere, et testem auctorizabilem esse, pro matrimonii validitate ejusque celebrationis esse ministrum.

676. Expedit maxime animarum saluti a dignis, atque idoneis Parochis gubernari. Id ut diligentius, ac rectius perficiatur, a Sancta Synodo Tridentina decernitur ut cum parochialis ecclesiae vacatio etiam cura ecclesiae, vel Episcopo incumbere dicatur et per unum, vel plures administretur, etiam in ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandatum est, per obitum, vel resignationem, etiam in Curia, seu aliter quomodocumque contigerit, etiamsi ipsa parochialis ecclesia reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem Romanae Ecclesiae Cardinalium seu Abbatum, vel Capitulorum; debeat Episcopus statim habita notitia vacationis ecclesiae si opus fuerit idoneum in ea Vicarium cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de Rectore provideatur (6).

(1) Conc. Trid. Sess. VI, cap. 1 de Reform.

(2) Cap. cum olim 18 de praescript.

(3) Can. in capite Quadragesimae 64 dist. 50 can. si in plebibus 20 dist. 63. Cap. Ut singulae 4 de offic. Archipresb. et cap. Inter 13 de sent. et re judic.

(4) Alex. III in cap. Ad haec 3 de offic. Vic. cap. Conquerente Clem. III in cap. Ex parte de Rescriptis Bonif. VIII in cap. Super 106. de Presb. in 6.

(5) Decr. lib. cap. Ut singulae 4.

(6) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 18 de Reform.

677. Porro Episcopus et qui jus patronatus habet intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo praescribendum, idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujuslibet aetate, moribus et sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si Episcopo, aut Synodo provinciali pro regionis more videbitur magis expedire per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes qui descripti fuerint examinentur ab Episcopo, sive, eo impedito, ab ejus Vicario generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus, quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur (1).

678. Examinatores autem singulis annis in dioecesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, et ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet ecclesiae, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente alia vacatione, aut eosdem aut alios tres, quos maluerit, ex praedictis sex eligat. Sint vero hi examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut jure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine mendicantium, aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurenteque omnes ad sancta Dei Evangelia, se quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caveantque ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante, nec post accipiant, alioquin simoniae vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant; a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant; et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, a qua si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit graviter ejus arbitrio puniri possint (2).

679. Statutum est collationes de parochialibus ecclesiis iis, qui non attigerint xxv annum aetatis de caetero faciendas viribus omnibus carere. Is etiam qui ad hujusmodi regimen assumetur, ut gregis sibi crediti diligentius curam gerere possit, in parochiali ecclesia, cujus Rector extiterit, residere personaliter teneatur. Et intra annum a sibi commissi regiminis tempore numerandum se faciat ad sacerdotium promoveri. Quod si intra idem tempus promotus non fuerit, ecclesia sibi commissa, nulla etiam praemissa monitione, sit ipso jure privatus (3).

680. Nemo tamen parochialem ecclesiam alicui non constituto in aetate legitima, et sacerdotio commendare praesumat, nec tali etiam nisi unum et evidenti necessitate vel utilitate

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 18 de Reform.
(2) Ibid.
(3) Greg. X Constit. *Licet* in Concilio Lugd. edita. Lib. 1 de elect. in 6, cap. 14, lib. 3 de praebend. et dignit. cap. 29.

ipsius ecclesiae suadente hujusmodi autem commendam, ut praemittitur, rite factam, declaratum est ultra semestris temporis spatium non durare, et quiquid secus de commendis ecclesiarum parochialium actum fuerit irritum erit ipso jure (1).

681. Illiterati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti officiis, vel propter turpitudinem vitae scandalo fidelibus cum sint, Episcopus curet etiam tamquam delegatus Apostolicus ut habeant coadjutorem seu Vicarium pro tempore deputatum. Eos vero qui turpiter et scandalose vivunt monitos coërceat ac puniat, si vero incorrigibiles perseverant eos beneficiis privandi habeat facultatem juxta canonum sanctiones et constitutiones (2).

682. Factus ergo certior Episcopus vacare per mortem Pastoris aliquam ecclesiam etiamsi sit affecta, seu reservata Apostolicae Sedi, curet idoneum Vicarium seu Oeconomum ponere in illa, qui redditus beneficii custodiat dandos successori, et curam animarum gerat, donec fiat electio novi pastoris. Episcopus, seu qui habet jus patronatus notitiam vacationis in charta exponat, ut qui volunt concurrere sua nomina profiteantur. Quisque concurrens afferat cancellario Episcopali, vel alii ad hoc deputato ab Episcopo, omnia documenta suorum munerum obitorum, et qualitatem meritorum. Cancellarius epitomem harum attestationum faciat, detque copiam Episcopo vel ejus Vicario et examinatoribus. Tempore praefinito transacto professi omnes examinentur coram Episcopo, vel Vicario. Examinatores in dioecesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario et Capitulo majoris ecclesiae sex ad minus proponantur. Ex his tres sint examinatores licentiati in Theologia, aut Jure canonico, clerici saeculares et etiam regulares possunt eligi; jurent se examinaturos quolibet humano respectu posthabito. Omnes concurrentes examinentur eodem modo (3). Eaedem scilicet quaestiones, iidem casus, idem Evangelii textus proponantur omnibus concurrentibus. Eodem tempore dicantur omnibus iidem casus eaedem quaestiones. Certum tempus idem omnibus detur ad solvendos propositos casus. Claudantur concurrentes in conclavi, unde exire non possint, deturque illis scribendi copia. Omnes sua manu scribant, et se subscribant. Responsa scribantur latine, conciuncula patrio sermone. Responsa et conciuncula subscribantur a Cancellario, et examinatoribus. Tum Episcopus omnibus mature perpensis, eligat digniorem (4). Si ecclesia sit de jure patronatus, et institutio sit Episcopi instituatur is, quem Patronus inter examinatos judicavit digniorem. Cum institutio non erit facienda ab alio, quam ab Episcopo, tunc Episcopus ex dignis digniorem praesentet ad institutionem. Neque ad executionem horum ulla appellatio, ne ad S. Sedem quidem impediat. Si redditus parochiae sint exigui ut nullus concurrat, si rixae

(1) Conc. Lugd. II. an. 1274. can. 14.
(2) Conc. Trid. Sess. XXI. cap. 6 de Reform.
(3) Pius V. *In conferendis et Apostolatus officium*, 1567.
(4) Clemens XI. *Quo Ecclesiae*, 1721.

subsecuturae sint, Episcopus privatim examen habeat, vel Synodus provideat. Intra sex menses a die vacationis ecclesiarum fiat provisio, et decem tantum dies dentur ad examen. Si aliquis dignior ab examinatoribus judicatus fuerit praetermissus potest appellare ad Metropolitanum, et coram judice appellato fiat novum examen. Haec appellatio, uti dictum est, non impediat primam electionem ab Episcopo factam, quae demandetur executioni. A judice appellationis dabitur appellatio ad Primatem, vel ad S. Sedem; aliter acta sint irrita ac nulla (1). Si quis interea appellare voluerit, ejus scripta mittantur clausa cum subscriptione Notarii et Cancellarii, et examinatorum Synodalium ad judicem appellationis, qui procedat ad sententiam, ut aequum illi videbitur (2). Concursu absoluto examinatores notulam compendiariam Cancellario restituent, et Cancellarius eam comburet.

683. Episcopi tamen in conferendis beneficiis rationem habeant non solum scientiae sed morum etiam, et honestatis et prudentiae. Examinatores autem tantum debent Episcopo suggerere quos in doctrina receperint idoneos, quae doctrina sola cum non sufficiat animarum bonae curae, ex his Episcopus eligat quem caeteris magis idoneum judicaverit. Tunc autem rejectus appellare non poterit, nisi a mala examinatorum relatione. Admonentur autem judices appellati ut reputent secum non solum doctrinam satis esse regendae Ecclesiae Dei, interdum qui doctior est habere aliquam maculam ignotam examinatoribus judicantibus eum dignissimum, notam soli Episcopo, ob eamque illam tulisse repulsam. Clericus appellare volens acta omnia concursus producat, nec Judex sententiam pronunciet nisi illis visis et gravamine audito, nec recipiantur in judicium aliae attestationes, quam illae quae fuerunt praesentatae ante concursum. Judex autem commoneat Episcopum collatorem de appellatione; et Episcopus literis familiaribus admoneat judicem, quibus fuerit impulsus causis ad eum, quem elegit praeferendum. Caeterum si Episcopo sit suspecta judicis appellati fides, tunc causas electionis a se factae mittat ad Congregationem Concilii. Duae autem sententiae conformes finem judicio huic imponant. Vacantibus autem in mensibus reservatis S. Sedi ecclesiis parochialibus Episcopus indicat concursum modo supradicto, et nominet et scribat curiae collatum fuisse beneficium vacans in mense reservato. Beneficia reservata non conferat, sed actus concursus Romam mittat. Poterit tamen Ordinarius literis familiaribus admonere Datarium de praestantia unius prae aliis concurrentibus (3).

684. Episcopus potest, occurrente vacatione beneficii curati vocare et admittere ad concursum possidentem aliud beneficium curatum; sed non potest sine concursu, si beneficium, quod possidet, obtinuerit ille per concursum, et postquam vacaverit pri-

(1) Pius V in citat. const.
(2) Clem. XI in cit. const.
(3) Bened. XIV *Cum illud*, ann. 1745. Bullar. Mag. tom. 16.

mum beneficium per adeptam possessionem pacificam alterius curati, poterit Episcopus iterum ponere edicta pro concursu (1). Si unus tantum ad concursum comparuerit potest ipse solus examinari et approbari. Item unico comparente non debet prorogari terminus et proponi aliud edictum, sed illi qui approbatus fuerit, beneficium est conferendum. Doctor, sive licentiatus in Theologia, sive in Jure canonico et in publica Universitate graduatus non excusatur ab examine et a concursu, quando petit provideri de aliqua ecclesia parochiali (2). Decreta pro concursu non habent locum in beneficiis et parochiis, quae Regularibus conferuntur; nec in beneficiis curam animarum habentibus quae vere sunt dignitates (3) et quae parochialem perpetuo sed accessorie unitam habent. In parochialibus vacantibus per resignationem, quam vocant in favorem, concursus fieri non debet cum proprie non dicantur vacare; provisiones tamen istarum Ordinariis committantur, qui examinatis non autem per concursum provisis, et idoneis repertis parochiales hujusmodi conferant. In provisionibus a Sede Apostolica specialiter factis in FORMA DIGNUM non est necessaria, nec de jure debet fieri examinatio, quae fit per concursum. Adeo ut familiaris Summi Pontificis, qui de ejusdem commissione examinatus et approbatus fuit Romae, ab Ordinario debeat haberi tamquam si fuisset approbatus et examinatus ab ipsomet Ordinario.

685. In collatione canonicatus, quamvis ei unita sit parochialis ecclesia non oportet observari formam examinis per concursum (4).

Episcopus non potest admittere in suis manibus resignantis consaguineos, familiares tam suos quam resignantium (5). Si ex duobus concurrentibus ad parochialem ecclesiam vacantem et a tribus examinatoribus Synodalibus examinatis, alter eorum ab omnibus tribus fuerit approbatus, alter vero ab uno approbatus et a duobus reprobatus, debet utique Episcopus tamquam magis idoneum eligere illum qui omnia suffragia pro se tulisse proponitur (6). Ad examinatores minime pertinet judicare quis sit magis idoneus, sed ad Episcopum ex concurrentibus ad ecclesiam parochialem obtinendam (7).

686. Beneficia curata juris patronatus Ecclesiastici sunt conferenda etiam praevio concursu, ad eumque omnes qui concurrunt sunt admittendi, tametsi a Patronis non fuerint nominati, ideoque appellationem praesentatorum ab ipsis Patronis ecclesiasticis praetendentium alios ad concursum admitti non debent, nec possunt impedire concursum dummodo legitime constitutus et habitus fuerit (8).

687. Eadem residendi obligatio (quoad culpam amissionem fructuum et poenas) quae Episcopos urget, in-

(1) Cong. Conc. 14 julii 1594.
(2) Pius V in cit. const. *In conferendis*.
(3) Ead. Congr. 20 januarii 1601.
(4) Ead. Congr. 30 januarii 1598.
(5) Pius V in tertio anno suae assumptionis III Kal. Apr.
(6) Congr. Conc. 18 apr. 1595.
(7) Ead. Congr. 5 apr. 1598.
(8) Ead. Congr. 22 apr. 1599.

telligenda est de curatis et omnibus Episcopo inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, ita tamen, ut quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita, et probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. Quod si per edictum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum est Ordinariis per censuras ecclesiasticas et sequestrationem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere; nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione etiam ratione cujuscumque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quae potius corruptela censenda est, sive appellatione, aut inhibitione etiam in Romana Curia (1).

688. Si ecclesia parochialis Rectoris habitatione caret, debet utique et potest Rector compelli ad habitandum intra limites Parochiae in loco propinquiori (2). Capellani, Coadjutores Rectorum parochialium cum capellaniis perpetuis institutis auctoritate Apostolica, tenentur ad personalem residentiam, sicuti tenentur Rectores ipsi, unde et Ordinarius tenetur eos cogere, sicut ipsos Rectores, nec cum aliquo hujusmodi dispensare quoad residentiam, nisi ut cum Rectoribus Episcopus potest, eodemque jure examinandi tenentur, quo Rectores parochiales, iis dumtaxat exceptis, qui ex institutione possunt per alium servire, vel quibus nulla expressa residentiae personalis obligatio injuncta est (3).

Etiamsi essent in Parochia tres tantum incolae, et ibi fuerint duae ecclesiae unitae, residendum est in digniori; quod si non constet quae sit dignior, residendum erit in frequentiori. Nec propter intemperiem aëris potest Parochus alibi habitare non inde oriundus, quamvis ibi Vicarium approbatum ex Ordinarii consensu voluerit relinquere. Si vero Rector infirmus esset, et in loco parochialis curae curari non potest, defectu medicorum vel medicinarum, tunc potest ab Ordinario loci dare ei dilationem trium vel quatuor mensium, ut in locis vicinioribus maneat recuperandae sanitatis causa, posito interea ab ipso Ordinario in Parochiali Vicario cum congrua portione ex redditibus parochialibus. Itaque Rector qui habet Vicarium perpetuum in sua Parochia seu Rectoria, potest et debet compelli ad personaliter residendum, nisi tota cura animarum translata fuisset legitime in solum Vicarium perpetuum. Parochialem Ecclesiam habens cum canonicatu in Parochiali residere tenetur (4). Si autem canonicatus est in eodem loco ubi ecclesia parochialis; potest utri-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 1.
(2) Conc. Trid. 13 sept. 1596.
(3) Congregatio Conc. 13 sept. 1596, et in aliis decretis.
(4) Pius V Const. *Cupientes pro vostris*, 8 julii 1658.

que inservire et percipere quotidianas distributiones et commoda quae sunt illi muneri attributa; si vero inservire nequeat, distributiones tantum eorum dierum, quibus non inest amittat, neque ab alio damno affici potest. Quod procedit non obstante quacumque nobilitate canonicorum aut ecclesiae cathedralis, etiam metropolitanae. Nec licet Parochis causa studiorum a suis parochialibus ecclesiis abesse et Episcoporum licentiae ad id concedere non possunt et si illae concessae fuerint, non suffragentur (1). Licet Episcopus pro visitatione suae dioecesis uti opera Parochi possit, ille tamen ob eam causam ultra quadrimestre singulis annis abesse non potest a sua Parochia et interea poni debet in ea idoneus Vicarius, cum congrua portione fructuum dictae Parochiae arbitrio ipsius Episcopi assignanda. Odium a residentia non excusat, inimicitiae tamen excusant ad tempus, si non fuerint contractae culpa Rectoris parochialis et Episcopus cum istis ad annum dispensare conceditur, dummodo tamen in parochiali idoneus remaneat Vicarius (2).

689. Parochus ad residentiam materialem et formalem obstringitur tempore pestis, etiam cum periculo mortis contrahendae. Idque verum est, licet sacerdotem idoneum provideat, ut se absente, ejus vicibus fungatur. Item tempore etiam pestis et eo morbo infectis tenetur ministrare sacramenta Baptismi et Poenitentiae et Viaticum, ne tanto bono in illa necessitate Parochiani priventur; nisi in eo rarissimo casu, in quo rarus esset Sacerdos vel Parochus, ex quo fieret, ut post administratum sacramentum Poenitentiae uni non superesset spatium, ut aliis morituris Poenitentiae sacramentum administraretur: vel si eo sacramento administrando mortem vitare non posset, et sic populus destitueretur sacerdotibus (3).

Tolerari potest, ut Parochus habeat in domo mulieres sibi conjunctas in primo et secundo gradu consanguinitatis et etiam affines in primo gradu cum ancillis eorum. Attamen minores non sint annis quadraginta (4) quae inserviunt Parocho; quae vero munus suum praestant propinquis ejusdem Parochi, minoris etiam aetatis permittuntur, dummodo tamen testimonium habeant bonae suae famae.

690. Parochus actualis etiam regularis, quocumque appelletur nomine, nempe Vicarii perpetui, seu ad tempus constituti tenetur Missam applicare pro populo singulis diebus festis de praecepto. Si habeat diebus illis alias obligationes applicandi Missam, curare debet ut illis per alios satisfaciat. Parochis tamen pauperibus potest Episcopus indulgere, ut ipse Parochus satisfaciat aliis obligationibus, quae forte occurrunt, applicandi Missam diebus festis, dummodo tamen eidem Missae pro populo infra hebdomadam satisfaciat. Parochus et-

(1) Conc. Trid. [illegible] 1595.

(2) Ex [illegible] Et ex eq. Ad [illegible]

(3) Benedict. XIV de synod. dioec. lib. 13. cap. 1[illegible]

(4) Benedict. XIV in Encyclica [illegible] Bull. Tom. I. n. 1[illegible] vide quae dicta sunt in anteced. L. [illegible] Tit. I. sect. Eucharistiae ubi alia adhuc data invenientur.

iam pinguioribus redditibus praeditus non tenetur applicare Missam singulis diebus pro populo; dummodo non aliter in fundatione beneficii cautum sit. Illi, qui Parochi non sunt, quamvis ex munere suscepto, Parochos coadjuvare teneantur, ad excipiendas tamen sacramentales confessiones approbatione Ordinarii indigent. Item ad praedicandum verbum Dei venia Ordinarii indigent. Parocho seu ecclesiae Rectori ostendenda (1). Ex communi jure, illi qui ad coadjuvandos Parochos nominantur sive ex pio legato, sive ex paroeciae stipendio, amoveri ab Episcopo possunt, cum veram canonicam institutionem non habeant et ex demandata Episcopi facultate curam animarum adjuvent (2). Parochus ratione parochialis officii jurisdictionem non habet super publicis Oratoriis, quae forte reperiantur intra fines suae paroeciae. Quare ad Rectorem Oratorii spectat, aliosve quorum interest, celebrare independenter a Parocho et ecclesiasticas functiones, servatis servandis dummodo eae functiones parochiales non sint. Confraternitates vero laicorum legitime erectae in ecclesiis parochialibus habent dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus. Non vero quae extra ecclesias parochiales sitae sunt, quamvis intra fines paroeciae (3). Parochus extrema sacramenta administrare debet regulari extra claustrum decedenti, quin tamen jus habeat ad funera huic peragenda (4).

(1) Cong. Conc. 16 feb. 1867.
(2) Ead. Cong. die 11 januarii 1868.

691. Paroeciae privatio, si Parochus sit perpetuus, fieri non potest, nisi constet de culpis gravibus, quibus ex jure gravissima haec privationis poena infligitur, judiciali ordine servato, qui in his causis praescribitur. Canonica vero remotio ex duplici causa sit, ex imperitia nempe et idoneitate. Parochi ad paroeciam, uti par est regendam, vel ex gravi odio et aversione plebis, quibus extantibus Parochi paroeciae consulere amplius non possint (5) arceri possunt ex judicis sententia.

692. Ad privandum vero Parochum canonice institutum e sua paroecia necessaria est canonica procedendi forma. Graves accusationes et quaerimoniae, quae contra Parochum curiae deferantur considerandae sunt simpliciter tamquam dicta accusatoris, quae movere debent judicem non quidem ad judicandum sed inquirendum de earum veritate. Inquisitionem autem fieri debet per canonicum processum super accusationibus, ut de earum veritate constare possit admissis defensionibus accusati. Non omnia delicta, etsi probata, causam canonicam constituunt ad privandum e Paroecia Parochum. Quaedam praeterea dantur delicta, quae etsi ad privandum Parochum tandem sint idonea, tamen nisi praemissae fuerint repetitae admonitiones, quibus Parochus corrigi possit, non constituunt sufficientem causam privationis. Quare frustra de his delictis institueretur canonicus processus ad privandum Pa-

(3) Ex decreto Urbis et Orbis SS. Rituum Cong. 1703.
(4) Ead. Cong. 26 feb. 1864.
(5) Ead. Cong. 22 dec. 1860.

rochum, si ea praeterita jamdiu fuissent. Neque causam privandi esse debet detectam inhabilitatem Parochi cum privatio habeat gravis poenae rationem. Potest tamen Parochus inhabilis aliquo modo removeri per coadjutorem seu Vicarium eidem constituendum, qui congruam portionem habeat ex redditibus paroeciae vel aliunde profectis (1).

693. Episcopus si velit iterum examinare quos ipse approbavit, requiritur saltem extrajudicialis infamatio de inscitia. Quamvis hoc non requiratur ab iis, quos laicus Patronus nominavit ad beneficium curatum, cum probati non fuerint in concursu (2). Imo potest Episcopus aliquando hoc praestare pro libito et sola quiete animae suae, quamvis nihil habeat suspicionis (3).

Saepe contingit, ut quidam Parochi temporis decursu, indocti et inhabiles comperiantur, propterea quod post adeptam animarum curam necessarium studii exercitium omnino relinquant. Porro, si de eorum imperitia et ignorantia probabiles notitiae et gravia argumenta suppetant, tunc in potestate Episcopi erit etiam extra visitationem, omni forma judicii seclusa, hujusmodi Parochos ad examen revocare, quamvis alias ab eodem Episcopo in praecedenti examine fuerint approbati (4). Verum argumenta indebitae imperitiae debent esse vera atque solido fundamento firmata. Neque omnis imperitia potest esse causa ad exigendum novum examen, sed ea, quae nullatenus possit convenire cum populo, quem Parochus coeteroquin probus regat. Nec eadem peritia requiritur in Parocho, qui simplices oppidanos regit ac in eo qui culto callidoque populo praesit (5). Parochum regularem suo muneri deficientem potest punire Episcopus una cum superiore Regulari: ita tamen ut si aliter statuat superior Regularis aliter Episcopus standum est Episcopi mandato (6). Si removeri debeat, potest tam Episcopus sine superiore Regulari quam hic sine illo id praestare (7).

Parochi ecclesiarum filiarum interesse debent benedictioni tantum diei sabbati sancti (8). Habent jurisdictionem ordinariam in foro interno non vero externo, ut proinde nullam excommunicationis sententiam ferre possint. Parochi alienae dioecesis non possunt in altera confessiones audire sine approbatione illius Ordinarii, nisi tantum suorum subditorum. Parochi provisi censentur idonei ad audiendas confessiones in tota civitate vel oppido ubi Parochi constituuntur, non vero in tota dioecesi Episcopi approbantis. Ubi adest consuetudo, Parochi civitatis confessiones audiunt in dioecesi et viceversa (9). Si vero beneficium renunciet, indiget nova facultate audiendi confessio-

(1) Ex generali constit. Innoc. III cap. 23 de Accusationibus, et ex decr. Alexand. III juxta cap 7 de Restitutione spoliatorum, et ex pluribus decretis Cong. Conc. praesertim 27 julii 1867.

(2) Benedict. XIV Instit. Eccl. 1, § 2.

(3) Idem.

(4) Idem de Synod. L. 13, c. 9 et Cong. Conc. 22 sept. 1868.

(5) Ead. Cong. 6 junii 1863.

(6) Bened. XIV in const. *Firmandis*, Bull. tit. n. 109.

(7) Ibid.

(8) Bened. XIV in const. *Firmandis*, Bull. tit. n. 109.

(9) Idem Instit. Eccl.

nes. Parochus habens redditus tenues et populum frequentem, ut per se sufficere nequeat audiendis confessionibus, tenetur sibi adjungere alium sacerdotem adjutorem, cui, si ipse nequeat, populus necessaria ad sustentationem subministrare tenetur (1). Parochus ex privata scientia noscens alterum ex sponsis matrimonium celebraturis haereticae sectae occulte adhaerere, assistere matrimonio non potest, quemadmodum nequit si sciret impedimentum etiam impediens (2).

694. Verbum Dei ministretur assidue per Parochos, sive iis impeditis, per alios ab Episcopo eorum impensis, qui eas praestare vel tenentur vel solent, deputandos in civitate, aut in quacumque parte dioecesis censebunt expedire, saltem omnibus dominicis et solemnibus diebus festis; tempore autem jejunorum Quadragesimae et Adventus Domini quotidie vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint Sacras Scripturas, divinam legem annuntient, et alias quotiescumque id opportune fieri posse judicaverint. Moneatque Episcopus populum diligenter teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest ad audiendum verbum Dei. Iidem Episcopi saltem dominicis, et aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit doceri curabunt; et si opus sit etiam per censuras ecclesiasticas; compellent non obstantibus privilegiis et consuetudinibus (3).

(1) Bened. XIV Instit. Eccl.

CAPUT X.

DE INFERIORIBUS BENEFICIIS.

695. Quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si intra sex ab obtento beneficio menses, divinum officium cessante omni legitimo impedimento non recitaverit, beneficii fructus non faciat suos pro rata omissionis et temporis, sed illos tamquam injuste acceptos vel in fabricas beneficii, vel in pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero in ea officii omissione post legitimam admonitionem perseveraverit, ipso privetur beneficio, cum detur beneficium propter officium (4). Qui tempore vero priorum sex mensium officium non recitaverit ab incoepta beneficii possessione, tametsi oneri restituendi non sit obnoxius, lethalis tamen culpae reum factum quoties officium praetermisit. Qui vero deinceps aliquo die unam aliquam, aut omnes officii Horas recitare neglexerit, si omnes quidem Horas, tenetur omnes beneficii fructus huic diei respondentes restituere, partitis videlicet omnibus anni fructibus in totidem aequales partes, quot sunt in anno dies; qui vero Matutinum solum omiserit tenetur ad dimidium fructuum ejus diei restituendum, qui reliquas omnes partes alterum dimidium. Qui harum Horarum unam tenetur sextam fructuum partem restituere. Additur quod si beneficiarius choro addictus

(2) Ibid.
(3) Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 4 de Reform.
(4) Conc. Later. V, Sess. IX.

interfuerit choro, nec tamen recitaverit, quamvis statuta loci vel fundatio, vel consuetudo id indulgeret, solamque requireret corporis praesentiam, nihilominus eum qui praesens in choro non recitaverit et mortalis delicti reum et obligationi adstrictum fructus atque distributiones restituendi esse censeatur. Denique quicumque pensiones aut alia ecclesiastica emolumenta titulo clerici percipit obligatur similiter ad recitandum B. Mariae officium, quod si non recitet obnoxius sit pensionis et restituere hujusmodi fructus teneatur (1).

Bona ex beneficio acquisita non possunt a clericis in alios quam in ecclesiam transferre (2). Si propter debita persolvenda Episcopi fructus beneficiorum primi anni in sua dioecesi vacabunt, ei (non obstantibus quibusdam consuetudinibus privilegiis vel statutis, per quae Pontificis impediri posset concessio) usque ad quinquennium de speciali gratia conceditur. Intentione Pontificis nequaquam existit, si fructus hujusmodi ecclesiae Episcopi fabricae vel alteri usui, seu cuicumque singulari personae de speciali consuetudine privilegio vel statuto forsitan debeantur, quod eis per concessionem ipsam (nisi hoc expresse caveatur in ea) praejudicium aliquod generetur (3).

696. Beneficium si quis fundaverit de suis bonis cum pacto, ut ipse tamquam beneficiatus illis fruatur, post obitum suum jus patronatus transeat ad haeredes. A simoniae labe immune censeri potest; neque enim satis esse discriminis apparet inter eum qui fundat beneficium cum pacto, ut conferatur filio suo et illum qui vult sibi conferri: utrinque enim pactum adest (4) verum haec animadvertenda sunt. Si quis offerat bona in augmentum beneficii jam erecti, nec tamen patronatus ejus acquirat, tunc pacisci non potest, ut sibi beneficium illud conferatur (5). Patronus non potest se praesentare ad beneficium (6), sed potest rogare Episcopum, ut si inveniatur dignus sibi illud conferat; sive debet jus patronatus suum alteri donare donatione sincera, ex qua ipse perpetuo expolietur jure patroni, quando donationem approbaverit Episcopus, vel saltem Episcopus conferat eidem absque praevia praesentatione beneficium et beneficatus illud acceptet, tum post collationem ipse praestet consensum suum (7).

697. Beneficia resignantes sub pensione, si clam pactum iniverint cum resignatio de cedenda illi pensione, seu de commodo exigendi fructus ejusdem pensionis, soluta anticipata pecunia, pactum illud irritum et inane declaratur. Item resignatarii et resignantes decidunt ab omni jure beneficii ipso facto, absque ulla Judicis declaratione, et pecunia soluta restitui debet sub peccato gravi, quae ab Ordinario applicanda est locis piis. Eisdem poenis subjacent haec eadem

(1) Pius V.
(2) Conc. Later. III sub Alexandro III can. 45.
(3) In sexto decret. lib. 1. tit. 3 de Rescriptis, cap. 8.
(4) Bened. XIV Inst. Eccl. 95, § 7.
(5) Ut ex cap. Tua nos. de Simonia, ib. § 12.
(6) Ut ex cap. Per vestras, de jure Patronatus.
(7) Bened. XIV Inst. Eccl. 95, § 5.

pacta inita intra sex menses a die receptae per resignatarium beneficii possessionis (1). In resignationibus beneficiorum, ut resignatis in manu Pontificis beneficiis (2), et ab illo admissis, atque vicissim admissis super eo provisionibus, dispositionibus et aliis, literae gratia signatae intra sex menses ita perficiatur, ut intra eosdem menses a novo proviso possessio beneficii capiatur, si vero beneficia illa sunt ultra montes, prorogatur terminus iste usque ad novem menses a data concessionis gratiae numerandos. Ubi vero justis de causis prorogatio aliqua postuletur, permittitur ut docto officio Subdatarii de Apostolicis literis expeditis, fiat prorogatio prima et secunda vice, ulteriores omnes tolluntur. Et si legitimum impedimentum perseverare concludentes apud Datarium probatum sit, facultas sit Datario tot ulteriores prorogationes concedere ad exequendas literas Apostolicas, quot necessariae sunt ad impedimenti remotionem. Sublato vero sic impedimento, si nihilominus perseveretur in differenda executione literarum, Apostolica tunc gratia nulla et irrita censetur.

698. Si beneficium obtinens Religionem ingrediatur, beneficium tamen non vacat, nisi per professionem, tempore vero illo intermedio inter ingressum et professionem, quoad beneficia curata debet Episcopus idipsum agere, quod praestaret, cum Parochus impedimento aliquo detineretur. Quoad beneficia vero choralia relictis tyroni religioso ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuetur, ut jura praescribunt. Si forte beneficiatus Religionem ingressurus, beneficium suum dimitteret, quae renunciatio admitti ab Episcopo posset, sive eam renunciationem faceret ad tramites capitis, nihilominus in suspendo remanere debent ea beneficia, nec posset illa alteri conferre Episcopus, nisi post factam a renunciante solemnem possessionem (3).

699. Vetitum est etiam beneficiariis sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae et nullitatis actus, vendere, ac distrahere redditus suorum beneficiorum ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel per plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per spatium ejusdem temporis, vel totius vitae probabiliter consequi potuissent. Titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate vel alio occulto vitio, vel etiam in concursu male obtentorum convalidare fas est majori Poenitentiario (4); sed in convalidatione titulorum, et condonatione fructuum abstinendum est illi cum Episcopis, qui de ecclesiis cathedralibus provisi, munus consecrationis intra praefinitum tempus non susceperint. Neque etiam condonantur fructus beneficialium et Episcopalium ecclesiarum quovis modo male perceptis in casibus non occul-

(1) Idem Bull. tom. 1, *In sublimi.*

(2) Idem in Bull. *Ecclesiastica ministeria,* Bullar. tom. 2, num. 10.

(3) Bened. XIV, Bulla *Universalis Ecclesiae,* Bullar. tom. 1, n. 29.

(4) Idem Pont. Bulla *Pastor bonus,* Bullar. tom 1, num. 95, § 20.

tis. In occultis vero cum Italis, Hispanis, Lusitanis et Insulis adjacentibus compositio fieri potest; cum aliis reliquis non potest. Haec tamen omnia debent esse sine praejudicio illorum, quibus distributiones accrescere debent (1). Si quis jam obtineat beneficium, et injuste vexetur ab alio, potest pecunia injustam vexationem redimere, ut ex canonistis, omnibus firmatur (2). Si vero quis habeat jus ad beneficium et ab alio illi lis moveatur, non potest dare litiganti pecuniam, ut acquiescat, neque etiam titulo solvendi expensas in lite huc usque factas, nam tunc pararet sibi viam ad beneficium per pecuniam (3). Beneficium obtinens jure certo et manifesto, ut nullus sit quaestioni locus permittitur redimere injustam vexationem (4), idque fieri potest nulla interposita Episcopi auctoritate; fas est tamen Episcopo praecipere in Synodo, ne id fiat absque suo assensu ob periculum simoniae.

700. Si patronorum beneficii scissa suffragia fuerint in partes, ille praeficiendus, qui a pluribus eligitur (5). Si tamen ille, quem praesentat pars major, non reperiatur idoneus, poterit alter praesentari a paucioribus. Beneficium simplex si quis obtineat, nec sufficiat ad honestam sui substentationem, potest ab Episcopo habilitari ad suscipiendum aliud. Si vero nec istud secundum sufficiat, ut tertium obtineat, debet a Sede Apostolica dispensationem obtinere, sive hoc tertium sit liberae collationis, sive de jure Patronatus etiam laici; ut habens beneficium insufficiens possit unum aliud simplex obtinere, et nihil dicit de tertio (6).

Haec tamen non valent in Capellaniis de jure patronatus laicorum, neque in legatis piis. Ex alio Decretô Sacrae Congregationis, de quo ibidem, eruitur, non esse inquietandos illos, qui bona fide tria, vel quatuor beneficia insufficientia ex Episcopi auctoritate obtinuissent. Cum beneficium resignatum fuerit in manus Episcopi, vel Collatoris, non possunt isti providere de eisdem beneficiis consanguineos, affines, vel familiares suos (7).

Beneficiorum Parochialium, et Vicariorum tam saecularium, quam regularium capaces sunt Canonici regulares etiam Praemonstratenses, etiam non intercedente Apostolica dispensatione (8).

701. De filiis illegitimis clericorum circa beneficia parentum in eadem ecclesia, attendenda sunt quae sequuntur: Filius legitimus consequi prohibetur beneficium a patre praehabitum, alioquin esset hoc species haereditariae successionis. Nihil tamen vetat quominus pater possit obtinere beneficium a filio praehabitum. Quod verum est etiam de patre respectu beneficii a filio illegitimo obtenti (9). Illegitimi autem filii quoad

(1) Bened. XIV, loc. cit., § 24.
(2) Idem Inst. Eccl. 93, § 4.
(3) Ibid. § 7.
(4) Ut ex cap. Dilectus 27 de Simonia.
(5) In cap. Quoniam, de jure Patronatus.
(6) Atque ita in praxi tenere Sacr. Congregationem constat. Bened. XIV, Instit. Eccles. 91, § 7.
(7) Ut ex Bulla 68, S. Pii V ibid. § 9.
(8) Definit Pontifex in Bulla *Oneroso*, Bullar. tom. 3, n. 33.
(9) Ut ex responsione Sacr. Congr. Bened. XIV De Syn. Dioec. lib. 13, cap. 24, § 15, nov. edit.

hoc illi etiam censentur, qui postmodum legitimati sunt, non vero illi, qui post subsequens Matrimonium legitimati habentur (1). Num vero filio obtinere beneficium fas sit, quod pater quidem habuit, sed ab eo transivit in tertium, et ab isto in eumdem filium; respondetur, filio legitimo id quidem non prohiberi (2), illegitimis vero non licet (3). Nepos vero legitimus ex patre illegitimo natus obtineri avi beneficium non vetatur, ipso licet avo vivente. Si patronus beneficii rectorem interficiat, ipse, et omnes haeredes patronatus jus illud amittunt (4). Beneficii permutatio, quae fit coram Ordinariis, interdum potest esse prohibita. Admittuntur enim quaedam permutationes, sed quae sint canonicis sanctionibus consonae; ex quo fit, ut cum vetitae sint provisiones beneficii resignati factae in favorem affinium, et familiarium Episcopi, sicut etiam resignantis, ita etiam censentur vetitae permutationes beneficiorum, cum aliquis permutet beneficium suum pingue, et est jam effoetae aetatis cum altero, quod est tenue, et obtinetur sive a suis, sive ab Episcopi consanguineis; vix enim credi potest ab ista permutatione fraudem abesse, adeoque id certe non est juxta canonicas sanctiones (5).

702. Beneficia obtinentes a S. R. E. Cardinalibus ordinariis collatoribus in mensibus S. Sedi reservatis valorem 24 Ducatorum Camerae excedentia tenentur intra praefixum in Regulis Cancellariae tempus novam eorumdem provisionem a Sede Apostolica obtinere, ordinariis taxis solutis, non obstante in contrarium quocumque exemptionis privilegio (6).

Generali constitutione sancitum est: Universos et singulos qui regalia, custodiam sive guardiam advocationis, seu defensionis titulum in ecclesiis, monasteriis, seu quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare conantes bona ecclesiastica monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare praesumant, quantaecumque dignitatis honore praefulgeant: clericos etiam ecclesiarum, monachos monasteriorum et personas ceteras locorum eorumdem, qui hoc fieri procurant: eo ipso excommunicationis sententiae subjacere decretum est. Illos vero clericos qui se (ut deberent) talia facientibus non opponunt de proventibus ecclesiarum, seu locorum ipsorum, pro tempore, quo praemissa, sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtus inhibetur. Qui autem ab ipsarum ecclesiarum, caeterorumque locorum fundatione vel ex antiqua consuetudine jura sibi hujusmodi vindicant; ab illorum abusu sic prudenter abstineant et suos ministros in eis sollicite faciant abstinere, quod ea, quae non pertinent ad fructus, sive redditus provenientes vacationis tempore non usurpent. Nec bona caetera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi

(1) Ut passim ex Decretis Sac. Congregationis, Bened. XIV. Ibid.

(2) Ex cap. ad extirpandas de fil. Presb.

(3) Ut ex Bulla Clementis VII et responsis S. Congr. ibid. § 18.

(4) Ex cap. In quibusdam, de poenis, ib. § 21.

(5) Bened. XIV, De Syn. Dioeces., lib. 13, cap. 24, § 10, nov. edit.

(6) Motus prop. Benedicti XIV, Bullar. tom. 1, n. 12.

permittendam sed in bono statu conservent (1).

703. Si quis infirmitate constitutus resignaverit aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius Commendae cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis dum esset sanus, signatae, et postea infra decem dies, a die per ipsum resignantem praestanti consensus computandos de ipsa infirmitate decesserit, ac ipsum beneficium, quavis auctoritate conferatur, per resignationem sic factam, collatio hujusmodi nulla sit, ipsumque beneficium per obitum vacare censeatur (2). Intrusi et alii similes, non habentes canonicum titulum non possunt resignare beneficia, quae detinent, cum nullum jus ad illa habeant, etiamsi diu pacifice illa possederint, longa enim detentio beneficii non justificat titulum alias invalidum (3). Neque ii, qui ad secundum beneficium cum priore incompatibile promoti fuerint, prius resignare possunt; quia per adeptionem secundi beneficii, ipso jure vacat primum (4). Hinc quicumque plura beneficia curata obtinuerat et possidebat, ipso jure vacant, nec indigent, ut vacent, resignatione. Possunt vero Ordinarii admittere resignationes beneficiorum, duabus tamen conditiones observatis (5). Prima est, ut si clericus resignans in sacris ordinibus sit constitutus, aliunde habeat, unde vitam commode sustentare possit, alioquin non potest resignare beneficium, nisi Religionem sit ingressurus, ne clerici in opprobrium clericalis ordinis mendicent, aut sordidum aliquem quaestum exerceant, quare in renunciationibus apponi solet clausula « si habeat aliunde, unde vivere queat. » Quod si clericus saecularis sacris ordinibus initiatus ordinatus sit ad titulum alicujus beneficii, non potest illud resignare, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus ad ordines, alioquin resignatio est nulla. Clerici vero, qui in minoribus ordinibus sunt constituti, possunt resignare beneficium, quod obtinent, etiamsi non habeant, unde commode vivere valeant, sive resignatio fiat coram Ordinario, sive coram Papa, cum hi possint etiam tacite renunciare, contrahendo matrimonium. Altera conditio est ne Episcopi, aut alii collatores admittentes ex praedictis causis resignationes beneficiorum, ea beneficia resignata conferant suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum: et contravenientes, sive conferentes beneficia resignata suis, vel resignantium consanguineis, aut familiaribus, sunt suspensi a collatione, electione, confirmatione, et institutione beneficiorum, ut in eo puniantur, in quo deliquerunt, donec a Romano Ponti-

(1) In sexto decret. lib. 1, tit. 6 de elect., cap. 13.
(2) Cap. Plerique, 5 caus., 8 quaest. 1.
(3) Cap. dilecto 25 de praebend. et Reg. Jur. 3 in 6.
(4) Cap. de Multa 28 de praebend. et ex Conc. Trid., Sess. VII, cap. 4.
(5) Pius V in Constit. *Quanta Ecclesiae*, ad an. 1568.

fice absolutionem obtinuerint, uti et recipientes talia beneficia (1).

704. Resignationes vel privationes beneficiorum extra curiam Romanam causae principales sunt si beneficiarius senio sit confectus, si sit infirmus seu valetudinarius, si sit corpore impeditus, ita ut non possit praestare id ad quod tenetur; si sit corpore vitiatus, scilicet sit caecus, claudus, mutus, vel surdus, vel habeat aliquod aliud corporis membrum abscissum, contractum vel deformatum; si beneficiatus sit alicui crimini obnoxius, ob quod privandus esset, videlicet homicidii, simoniae, adulterii, concubinatus, sodomiae, perjurii, blasphemiae et aliis criminibus; si censuris ecclesiasticis sit irretitus; si nequeat vel non debeat ecclesiae, aut beneficio inservire, ut si sit publice relegatus, vel orreptitius, seu daemoniacus vel alias irregularis, vel turpiter, aut cum aliorum scandalo seu offensione vivat, si clericus duo vel plura beneficia simplicia, quorum unum ad substentationem est sufficiens, obtineat, cum regulariter uno debeat esse contentus beneficio (2).

705. Cuique Episcopo mandatum est prohibere omnibus clericis ne ecclesias ad suam ordinationem, seu provisionem pertinentes absque Episcopi assensu non solum recipere vel detinere audeant, sed etiam dimittere ipso inconsulto. Quod si quis contra hanc prohibitionem facere praesumpserit, in eum canonica exerceatur ultio (3). Excipi autem debet quod electi, postulati vel praesentati ad beneficium, vel qui impetrarunt literas papales de promovendo, propria auctoritate ei renunciare possunt ante confirmationem, collationem, vel institutionem factam a superiore (4). Non solum clerici, sed etiam laici, qui hospitalium administrationem habent, si illa sint sub cura et dispositione Episcopi etiamsi per laicos administrentur non possunt eam administrationem suscipere, nec eam deserere sine consensu Episcopi (5). Hi qui beneficium Ecclesiasticum sibi collatum sponte in manum laicam resignantes, illud denuo a laico receperunt, eodem beneficio sunt spoliandi licet resignatio facta nullam obtineat firmitatem (6). Si quis vero vel vi, vel metu gravissimo in manus laici resignaverit beneficium, cum irrita sit hujusmodi resignatio, poena spoliationis beneficii liber est; ac proinde illud poterit retinere (7). Si resignatio cujuscumque beneficii fiat absque legitimi superioris auctoritate in manibus non laici, sed clerici, cui tamen admittendi resignationem potestas non competit, ea quidem aliquo modo valida est, scilicet in praejudicium seu detrimentum renunciantis, quia ipse non potest beneficium resignatum repetere, sed eo privari potest; invalida tamen et nulla est, quoad ecclesiam seu superiorem, coram quo resignari de-

(1) Pius V in citata constit. (2) Ibid.
(3) C. Non oportet 1, 9 et c. Si quis vero 23 et cap. Si quis 24 caus. 7, quaest. 1.
(4) Ex cap. Ad audientiam 31 de rescript., et cap. Si electio 26 de elect. in 6.
(5) C. de Xenodochiis 3 de Religios. dom. Clem. II, cap. Admonet.
(6) Innocent. III in cap. Quod in dubiis 8 de Renunc.
(7) Cap. Ad audientiam 4 de his quae vi metuve.

buisset, quia in arbitrio ecclesiae seu superioris est, utrum renunciantem cogere velit ad retinendum beneficium resignatum, non obstante ejus renunciatione, an vero illam admittere et ratam habere velit et renunciantem compellere ut beneficium dimittat (1). Capitulum sede vacante potestatem habet admittendi renunciationes beneficiorum, et invitum destituere privando aliquo beneficio propter crimen, cum in jurisdictione succedat (2).

706. Renunciatio beneficii in favorem alicujus, sive sub ea conditione facta, ut personae a resignante nominatae conferatur non potest fieri, nec admitti, propter periculum ne resignationes et collationes beneficiorum acquirant speciem successionis haereditariae, quod ecclesiae canones prohibent (3). Insuper, ut alias dictum est, nemini in posterum accessus aut regressus etiam de consensu, ad beneficium ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur; hoc decretum in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis et etiam in cathedralibus ecclesiis, ac in quibuscumque personis etiam Cardinalatus honore fulgentibus locum habeat (4). Si quis beneficium suum resignet sive dimittat pro pecunia vel alia re temporali simoniae crimine reus erit, jus naturale et divinum offendens (5). Reservatio autem beneficii cum reservatione pensionis sibi, a Pontifice Romano approbata, non est simoniaca, sed licita est. Si autem resignaverit aliquis beneficium cum reservatione in favorem tertii, dummodo non paciscatur cum illo, et sit cum consensu Summi Pontificis ejusque auctoritate, quia pensionis non ab alia sed a Papae voluntate dependet assignatio (6).

CAPUT XI.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

707. Nihil est quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt; cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter decernitur omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur quo majore in Ecclesia Dei et utilitate et ornamento haec sunt ita etiam diligentius sint observanda statutum est, a Summis Pontificibus et sacris Conciliis ut vita clericorum honestate praefulgeat cultu et doctrina. Abstineant a luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus: nec non a saecularibus negotiis sub poenis

(1) Ex eod. cap. Quod in dubiis cit.
(2) Cap. Cum olim 14 de majorit. et obedient.
(3) Ex cap. 1 de praebend.
(4) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 8.
(5) Ex cap. Cum pridem 4 de pactis.
(6) Ex cap. Nisi essent 21 de praebend.

majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, nec appellatio executionem hanc quae ad morum correptionem pertinet suspendat, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas Deo vindice, poenas persolvant (1).

708. Nemo militans Deo implicet se negotiis saecularibus (ait divus Paulus ad Timotheum); idcirco prohibetur ne procuratores tutores, negotiorum gestores in clerum ordinentur, nisi postquam redditis rationibus liberati fuerint (2). Interdicitur quoque alienas possessiones lucri causa conducere, negotia genere, aut saecularibus negotiis immisceri, excepta pia causa viduarum atque pupillarum (3); saecularibus clericis etiam beneficiatis tum et sacris ordinibus initiatis conceditur ut advocaturam exerceant in tribunalibus ecclesiasticis; in laicalibus vero et coram judice saeculari, cum agitur causa propria ipsorum, vel Ecclesiae suae vel miserabilium personarum. Potest concedi Breve sacerdoti saeculari pauperi ut libere causas civiles et criminales agat, dummodo in criminalibus tantummodo reis patrocinetur; sed et tamdiu munus illud exercere permittitur, donec certos ecclesiasticos redditus ad congruam sustentiationem sufficientes, vel beneficium residentiale obtineat (4). Ad sacros ordines vel etiam minores cum ecclesiastico beneficio promoti nequeunt exercere artem medicam et petere debent a Sancta Romana Sede licentiam si velint medicam artem exercere. Hoc vero indultum obtineri nequit, nisi exposita causa, nempe quod locus, in quo orator degit et profiteri cupit hujusmodi artem, vel sit pene destitutus vel non satis illi provisum sit medico laico, vel denique ejus familia tantae sit egestatis ut providendum illi sit ex honesto lucro ab arte medica percipiendo (5). In omnibus indultis ad artem medicam exercendam apponitur conditio *absque incisione et adustione* (6).

Chirurgiam exercere ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus vetitum est et si omnino chirurgus laicus deest, tunc si concedatur per hujusmodi necessitatem semper apponitur conditio ut exerceatur gratis sine adustione et sectione et quamdiu absoluta necessitas durabit (7).

709. Clerico insuper nequaquam licet subintroductam habere mulierem nisi matrem, sororem, amitam, vel eas solas, quae omnem removent suspicionem (8). Clerici abstineant a spectaculis scenicis (9), nec comam nutriant (10). Clericum scurrilem et turpibus verbis jocularem ab officio decernitur removendum (11). Sacrilegi sunt qui postquam ordinem sacrum receperint, matrimonium attentent; quod si fecerint, omnino clericatus honore exterminentur (12),

(1) Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 1 de Reform.
(2) Conc. Carthag. I, can. 8.
(3) Conc. Calced., can. 3.
(4) Bened. XIV, de Synodo dioeces.
(5) Ibid.
(6) Ibid. lib. 13, cap. 19.
(7) Ibid.
(8) Conc. Nic. I, can. 3.
(9) Conc. Laod., can. 54.
(10) Conc. Carthag. IV, can. 44.
(11) Ibid. can 60.
(12) Conc. Eliber. an. 309, can. 33, Conc. Trid., Sess. XXIV.

atque officio atque Ecclesiastico beneficio careant, et similiter si concubinas habuerint (1). Quisque clericus professionem suam in habitu et incessu probet, nec vestibus nec calceamentis, decorem quaerat (2) superfluum. Quia vero etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruenter ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Tanta autem aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvipendentes, vestes deferant publicae laicales, pedes in diversis ponentes unum in divinis, alterum in carnalibus; propterea omnes ecclesiasticae personae quantumcumque exemptae, quae aut in sacris fuerint, aut dignitates personatus, officia, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint per suspensionem ab ordinibus, ac officio, et beneficio, ac fructibus, redditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum; nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum hujusmodi coërceri possint et debeant (3). Si vero beneficiatus non fuerit in sacris ordinibus circa sacerdotium constitutus, per idem tempus reddatur eo ipso inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum. Idem quoque censeatur de clericis aliis, vestem laicalem simul et tonsuram publice deferentibus clericalem (4).

710. Monasteria sanctimonialium si quisquam clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare praesumpserit per Episcopum arceatur, et si non destiterit ab officio ecclesiastico reddatur immunis. Si laici, subdantur excommunicationi (5). Ut clericorum mores et actus in melius reformentur, continenter, et caste vivere student universi, praesertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio praecaventes maxime illo, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiae, quatenus in conspectu omnipotentis Dei, puro corde, ac mundo corpore valeant ministrare. Ne vero facilitas veniae incentivum tribuat delinquendi, statutum est, ut qui comprehensi fuerint incontinentiae vitio laborare prout magis aut minus peccaverint puniantur. Si quis autem hac de causa suspensus praesumpserit celebrare divina non solum ecclesiasticis beneficiis spolietur, verum etiam de duplici culpa perpetuo deponatur. Praelati vero qui tales praesumpserint in suis iniquitatibus sustinere, maxime obtentae pecuniae vel alterius commodi temporalis pari subjaceant ultioni (6); et nullus missas

(1) Concil. Later. sub Innocentio II.
(2) Conc. Carthag. IV, can. 60.
(3) Conc. Trid., Sess. XIV, cap. 6.
(4) L. 3, Decret. de vita et honestate clericorum. Conc. Later. IV, can. 17.
(5) Decret. lib. 3, cap. Monasteria, tit. 1 de vita et honest. cleric.
(6) Ibid. cap. 13.

eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit ut Gregorii VII, Urbani et Paschalis Romanorum Pontificum constitutiones decreverunt, fuitque in Lateranensi concilio confirmatum (1).

711. Si quis clericorum inventus fuerit usuras accipere, vel ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, vel etiam species frumentorum ad sescuplum dare; omnis qui tale aliquid conatus fuerit ad quaestum dejiciatur ex clero, et alienus ab Ecclesiastico gradu habeatur (2). A crapula et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant unde vinum sibi temperent et se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur: cum ebrietas et mentis inducat exitium et libidinis provocet incentivum. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit, ab officio, vel beneficio suspendatur (3). Clerici officia vel commercia saecularia non exerceant, maxime inhonesta. Mimis, joculatoribus, et histrionibus non intendant. Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam et tonsuram habeant congruentem clausa deferant desuper indumenta nimia brevitate vel longitudine non notanda. Annulos non ferant nisi ii quibus compedit ex officio dignitatis. Qui saecularibus negotiationibus intendunt si tertio ab Episcopo commoniti non resipuerint ipso facto privilegium clericale amittunt.

712. Cum proprie Episcoporum munus sit subditorum omnium vitia redarguere, hoc illis praecipue cavendum erit ne clerici, praesertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam ipsis conniventibus ducant; nam si eos pravis et corruptis moribus esse permittant quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent, qui uno ab eis sermone convinci possent, quod clericos ipsis patiantur esse deteriores? qua etiam libertate laicos corripere poterunt sacerdotes, cum tacite sibi ipsi respondeant eadem se admisisse, quae corripiunt? Monebunt propterea Episcopi suos clericos, in quocumque ordine fuerint, ut conversatione sermone et scientia commisso sibi Dei populo praeeant; memores ejus, quod scriptum est « sancti estote, quia et ego sanctus sum, » et juxta Apostoli vocem nemini dent ullam offensionem ut non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se sicut ministros Dei, ne illud prophetae dictum impleatur in eis « Sacerdotes Dei contaminant sancta et reprobant legem (4). » Accipiant diaconi secundum ordinem post presbyteros ab Episcopo vel presbytero sacram communionem. Quod si non fuerit in praesenti vel Episcopus vel presbyter, tunc ipsi proferant et edant. Sed nec sedere quidem licet in medio presbyterorum diaconus extra regulam enim est ut hoc fiat (5).

(1) Conc. Later. sub Innoc. II, can. 7.
(2) Conc. Nicaen. I (apud Isidor. Mercator.), can. 18.
(3) Decret. lib. 3, cap. Monasteria, tit. 1 de vita et honest. cleric.
(4) Conc. Trid., Sess. XIV prooem.
(5) Conc. Nicaen., can. 14.

CAPUT XII.

DE REGULARIBUS.

713. Quoniam non ignoratur quantum ex monasteriis pie institutis, et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur, necessarium esse censetur, quo facilius ac maturius, ubi collapsa est vetus et Regularis disciplina, instauretur, et constantius, ubi conservata est perseveret, praecipitur, ut omnes Regulares, tam viri, quam mulieres ad Regulae, quam professi sunt, praescriptum, vitam instituant et componant; atque in primis, quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis, et castitatis, ac si quae alia sunt alicujus Regulae et Ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum, et vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent, omnisque cura, et diligentia a superioribus adhibeatur tam in Capitulis Generalibus et Provincialibus, quam in eorum visitationibus, quae suis temporibus facere non praetermittant, ut ab illis non recedatur cum compertum sit, ab eis non posse ea, quae ad substantiam Regularis vitae pertinent, relaxari. Si enim illa quae bases sunt, et fundamenta totius Regularis disciplinae, exacte non fuerint conservata, totum corruat aedificium necesse est (1).

714. Nemini igitur Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usufructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu conventuum ad solos officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit; nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suae regulae et ordinis constitutiones, puniatur (2).

715. Conceditur omnibus monasteriis, et domibus tam virorum, quam mulierum, et mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Francisci, capuccinorum, et eorum qui Minorum de observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia ejus possidere liceat. Quod si aliqua loca ex praedictis quibus auctoritate Apostolica similia bona possidere permissum erat eis spoliata sint, eadem omnia illis restituenda esse decernitur. In praedictis autem monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possi-

(1) Concil. Trid., Sess. XXV, cap. 1.

(2) Ibid. cap. 2.

dentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari; nec de caetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta (1).

716. Prohibetur ne quis Regularis sine sui Superioris licentia praedicationis, vel lectionis, aut cujusvis pii operis praetextu, subjiciat se obsequio alicujus praelati, principis, vel Universitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuscumque personae, seu loci, neque ei aliquod privilegium, aut facultas, ab aliis super iis obtenta, suffragetur. Quod si contrafecerit, tamquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi; nisi ab eis missi aut vocati, fuerint. Qui vero sine praedicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti, puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent; alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur (2).

717. Universis Episcopis sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis aeternae praecipitur ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est conservari maxime procurent; inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii saecularis, quod auxilium, ut praebeatur, omnes Christianos principes hortatur Sancta Tridentina Synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, omnibus Magistratibus saecularibus injungit. Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus. Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena, ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis; neque alius ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus concessi vel in posterum concedendi. Et quia monasteria sanctimonialium extra moenia urbis, vel oppidi constituta, malorum hominum praedae, et aliis facinoribus sine ulla saepe custodia sunt exposita: curent Episcopi et alii Superiores, si ista videbitur expedire, ut sanctimoniales ex iis ad nova vel antiqua monasteria intra urbes vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii saecularis. Impedientes vel non obedientes per censuras ecclesiasticas parere compellant (3).

(1) Concil. Trid., Sess. XXV, cap. 4.

(2) Ibid.

(3) Ibid. cap. 5.

718. In electione Superiorum quorumcumque Abbatum temporalium et aliorum officiorum, ac Generalium ac Abbatissarum, atque aliarum praepositarum, quo omnia recte et sine ulle fraude fiant, in primis districte praecipitur, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur. Nec in posterum liceat, Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendae constituere, aut voces et suffragia absentium supplere. Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, et is, qui ad hunc effectum se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis existat, facultatesque super his concessae eo ipso abrogatae censeantur, et si in posterum aliae concedantur, tamquam subreptitiae habeantur (1).

719. Abbatissa et Priorissa, et quocumque alio nomine Praefecta, vel Praeposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, et quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio ejusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni praeest, videatur, ex iis, quae in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, et quinque saltem annis post professionem recte vixerint, Episcopo vel alio Superiore consentiente, eligatur. Duobus vero monasteriis nulla praeficiatur, et si qua duo vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, uno excepto, intra sex menses omnia resignare, post id vero tempus, nisi resignaverit, omnia ipso jure vacent. Is vero qui electioni praeest, Episcopus, sive alius Superior, claustra monasterii non ingrediatur sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis serventur singulorum ordinum vel monasteriorum constitutiones (2).

720. Monasteria omnia quae generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt, nec suos habent Ordinarios regulares visitatores, sed sub immediata protectione, ac directione Sanctae Sedis regi consueverunt, tenentur quolibet triennio se se in congregationes redigere juxta formam constitutionis Innocentii III quae in sequenti articulo refertur, ibique certas regulares personas deputare, quae de modo et ordine, de praedictis congregationibus erigendis, ac statutis in eis exequendis deliberent ac statuant. Quod si in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano in cujus provincia praedicta monasteria sunt, tamquam Sedis Apostolicae delegato eos pro praedictis causis convocare. Quod si intra limites unius provinciae non sit sufficiens talium monasteriorum numerus ad erigendam congregationem possint duarum vel trium provinciarum monasteria unam facere congregationem. Ipsis autem congregationibus constitutis illorum generalia Capitula et ab illis electi praesides vel visitatores eamdem habeant auctoritatem in suae congregationis monasteria, ac Regu-

(1) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 6.

(2) Ibid. cap. 7.

lares in eis commorantes, quam alii Praesides et Visitatores in caeteris habent Ordinibus: et teneatur suae Congregationis monasteria frequenter visitare et illorum reformationi incumbere, et ea observare, quae in sacris canonibus sunt decreta. Quod si etiam, Metropolitano instante praedicta exequi non curaverint, Episcopis in quorum dioecesibus loca praedicta sita sunt tamquam Sedis Apostolicae delegatis subdantur (1).

721. In singulis regnis sive provinciis fiat de triennio in triennium, salvo jure dioecesanorum Pontificum, commune Capitulum Abbatum atque Priorum, Abbates proprios non habentium, qui non consueverunt tale Capitulum celebrare: ad quod universi conveniant praepeditionem canonicam non habentes, apud unum de monasteriis ad hoc aptum, hoc adhibito moderamine ut nullus eorum plusquam sex evictiones et octo personas adducat. Advocent autem charitative in hujus novitatis primordiis duos ordinis Abbates vicinos ad praestandum sibi consilium et auxilium opportunum, cum sint in hujusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati. Qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire. Ac ipsi quatuor praesint Capitulo universo, ita quod ex hoc nullus eorum auctoritatem praelationis assumat; unde cum expedierit provida possint deliberatione mutari. Hujusmodi vero Capitulum aliquod certis diebus continue celebretur in quo diligens habeatur tractatus de reformatione ordinis et observantia regulari (2).

722. Monasteria sanctimonialium, Sanctae Sedi immediate subjecta, etiam sub nomine Capitulorum S. Petri vel S. Joannis, vel alias quomodocumque nuncupentur, ab Episcopis, tanquam dictae Sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscumque, quae vero a deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur sub eorum cura et custodia relinquantur (3).

723. Attendant diligenter Episcopi, et caeteri superiores monasteriorum sanctimonialium ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, et Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant ut eo se salutari praesidio muniant ad omnes oppugnationes daemonis fortiter superandas. Praeter ordinarium autem confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, et aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Sacrosanctum Christi Corpus prohibetur intra chorum, vel septa monasterii: sed in publica ecclesia conservetur, non obstante quocumque indulto atque privilegio (4).

724. Confessariis extraordinariis bis vel ter dandis in anno monialibus, quamvis ipsae sua peccata confiteri nolint tamen jubentur se se praesentare, ut monita salutaria recipiant et actum exerceant subjectionis. Dum adest confessarius extraordinarius, confessarii ordinarii ne-

(1) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 8.
(2) Innoc. III in Conc. Later., cap. 12.
(3) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 9.
(4) Ibid. cap. 10.

queunt ejusdem monasterii ullius monialis confessionem excipere. Quod si monialis aliqua nolit se praesentare extraordinario confessario a Superiorissa puniatur; educandae vero nolentes subjici extraordinario ejiciantur. Neque ordinarii, neque extraordinarii confessarii, expleto sui tempore officii, accedant ad ea monasteria, neque a monialibus accipiant aut mittant epistolas sine licentia speciali (1). Quoad vero electionem extraordinariorum confessariorum, si moniales subdunt Ordinario ad hunc pertinet; si Ordinarius nolit, ad Cardinalem poenitentiarium, si vero subsunt superioribus Ordinum, his non procedentibus ad Ordinarios spectat. Concedendum insuper ab Ordinario vel a Superioribus aliquis sacerdos peculiaris moniali si graviter aegrotet et si sit sana, etiam ad consolationem. Regularis quoque potest concedi si monasterium Ordinario subsit; et praelati Regulares debent dare presbyterum saecularem, si aliqua monialis ita precetur. Confessarii sint maturae aetatis et ecclesiastica scientia probisque moribus ornati (2).

725. In monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia personae tam regulares quam saeculares hujusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus dioecesi sunt sita; nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, nisi de ejusdem consensu, ac praevio examine, per eum, aut ejus Vicarium faciendo, excepto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, et exceptis etiam iis monasteriis, seu locis, in quibus Abbates Generales, aut capita Ordinum sedem ordinariam principalem habeant, atque aliis monasteriis, seu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium superiores jurisdictionem Episcopalem et temporalem in Parochos et parochianos exercent; salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in praedicta loca, vel personas jurisdictionem exercent (3).

726. Hae vero exceptiones, respiciunt eas ecclesias, in quibus regentes habent spiritualem ac temporalem jurisdictionem. Attamen in omnibus ecclesiis parochialibus in quibus cura animarum etiam laicorum exercetur, habeant Ordinarii facultatem eas ecclesias et personas in iisdem curam exercentes visitandi et corrigendi, in his dumtaxat quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem spectant. Eadem jurisdictio Episcopo tributa competit etiam Praepositis jurisdictionem quasi episcopalem habentibus. Item jurisdictionem eam cumulativam esse censeatur cum ea quae competit superioribus Regularibus, caeterum si Praepositi decreta hac in re a superioribus Regularium decretis discrepent praevalere utique et observanda esse decreta Praepositi (4). Episcopus potest visitare ec-

(1) Clemens XI const. an. 1708, tom. 8, Bull. Mag.
(2) Bened. XIV Const. *Pastoralis curae*, 1748.
(3) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 2.
(4) Bis, Pius V et Congreg. Conc. 1592.

clesias parochiales unitas monasterio canonicorum Regularium, tametsi Generalis in eo sedem ordinariam principalem habeat (1).

Vicariorum saecularium amovibilium in beneficiis curatis unitis electio spectat ad Episcopos Vicariorum, vero Regularium electio spectat ad eos, in quorum ecclesiis unitis ipsi Vicarii ponentur, illi vero non sunt praevio concursu, sed tantum examine et approbatione Episcoporum deputandi: et quando dicti Regulares in Vicarios deputantur tenentur cohabitare cum alio Regulari (2).

727. Censurae et interdicta, nedum a S. Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo a Regularibus in eorum ecclesiis publicentur atque serventur. Dies etiam festi, quos in dioecesi sua servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus etiam observentur (3). Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe maximo cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam saeculares, quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis, quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus et in deferenda umbella, et aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque, componat. Exempti autem omnes, tam clerici saeculares, quam regulares quicumque, etiam monachi ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivant (4). Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante a suo superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus suo superiore officio privetur (5).

728. In quacumque Religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur votum simplicium, quae solemnem professionem triennio antecedat (6). Professio autem ante aetatem facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem, ad alicujus Regulae vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad aliquos quoscumque effectus (7).

729. Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento vel in favorem cujuscumque causae piae, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem: ac non alius intelligatur effectum suum sortiri nisi secuta professione aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione etiam jurata sit irrita et nullius effectus. Finito tempore novitiatus, Superiores novitios, quos habiles invenerint ad profitendum admittant ut in articulo antecedenti aut e monasterio eos ejiciant. Per haec tamen

(1) Congr. Conc. 1595 et 1598.
(2) Ead. Congr. 5 feb. 1595.
(3) Ibid. cap. 12.
(4) Ibid. cap. 13.
(5) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 14.
(6) Pius IX, 1855.
(7) Conc. Trid.. Sess. XXV, cap. 15.

non intenditur aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum institutum a S. Sede Apostolica approbatum, Domino, et ejus Ecclesiae inservire possit; sed neque ante professionem, excepto victu et vestitu, novitii vel novitiae illius temporis, quo in probatione est, quocumque praetextu a parentibus vel propinquis, aut curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totum vel majorem partem substantiae suae monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit, quin potius praecipit Sancta Synodus Tridentina sub anathematis poena dantibus et recipientibus ne hoc ullo modo fiat, et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quae sua erant, quod ut recte fiat, Episcopus etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit compellat.

730. Libertati professionis virginum Deo dicandarum Tridentina Synodus prospiciens statuit, ac decrevit ut si puella, quae habitum regulas suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel aliam professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat: et si voluntas ejus pia, ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta monasterii illius et Ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat; cujus professionis tempus, ne Episcopus ignoret, teneatur Praefecta monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si Praefecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

Anathemate ipso facto subjiciuntur omnes et singulae personae; cujuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clerici quam laici saeculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes si quomodocumque coëgerint aliquam virginem, vel viduam aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint: quique scientes, eam non sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjiciuntur ii, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem vel accipiendi vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint; eaque omnia, et singula, quae ante professionem vel in ipsa professione fieri oportet serventur non solum in monasteriis subjectis Episcopo, sed et in aliis quibuscumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quae poenitentes, aut convertitae appellantur, in quibus constitutiones earum serventur.

731. Quicumque Regularis prae-

tendat se per vim et metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacumque de causa aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas quas praetenderit deduxerit coram Superiore suo et Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tamquam apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suae Religionis juvetur. Nemo etiam Regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem; nec detur licentia cuiquam Regulari occulte habitum ferendi suae Religionis (1). Abbates qui sunt Ordinum capita, ac caeteri praedictorum Ordinum superiores, Episcopis non subjecti, quibus est in alia inferiora monasteria, prioratusve legitima jurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria et Prioratus, suo quisque loco, atque Ordine ex officio visitent, etiamsi commendata existant. Quae cum Ordinum suorum capitibus subsint declaratum est in iis, quae de visitatione monasteriorum commendatorum definita sunt non esse comprehensa; teneanturque quicumque praedictorum Ordinum monasteriis praesunt, praedictos Visitatores recipere et illorum ordinationes exequi. Ipsa quoque monasteria, quae sunt Ordinum capita, juxta Sanctae Sedis Apostolicae et cujusque Ordinis constitutiones visitentur. Et quamdiu durabunt hujusmodi commendae, priores claustrales aut in prioratibus conventum habentibus, Superiores, qui correctiones, et spirituale regimen exercent a Capitulis Generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatoribus instituantur. In caeteris omnibus praefatorum Ordinum privilegia et facultates, quae ipsorum personas loca et jura concernunt, firma sint et illaesa (2).

732. Cum hominum fragilitas tanta sit ut ab iis, quae constituta sunt, sensim recedat, haec in praxi exequenda regularibus mandantur ut fervor in regulari disciplina conservetur. Nullus frater praetextu cujusvis privilegii eximatur a choro, nec nisi actu legat, aut praedicet utatur privilegiis sui gradus. Lectio Sacrae Scripturae, vel casuum bis per hebdomadam habeatur. Nemo quidquam proprii habeat; cibus aeque omnibus; omnia percepta, et expensa pro monasterio scribantur, sed nullus Superior conventus administret bona monasterii, verum alius frater eligatur in administratorem. Nullus Superior audeat declarare quae decretis Conciliorum circa Regulares sunt ordinata. Numerus fratrum sit talis in quolibet conventu, qui possit ali ex redditibus aut eleemosynis; socius non detur alicui, qui non habeat annos viginti quinque; clausura servetur, cui janitor praesit, Superior habeat claves omnium cellularum, et lampas in medio dormitorii tota nocte ardeat; omnes habeant cellas in communi dormitorio; fenestrae respicientes in viam ita obstruantur ut

(1) Conc. Trid., Sess. XXV, c. 19. (2) Ib. c. 20.

prospectus impediatur; in quolibet conventu sit infirmaria, et nullus exeat e conventu nisi gravi de causa, et de licentia Superiorum, et nullus ad urbem accedat nisi habita licentia a Generali vel a Cardinali protectore; degentes extra claustra quamprimum ad illa revocentur. Nullus admittatur ad habitum, nisi in conventibus a Pontifice statutis. Nullus munera accipiat, sive largiatur: ambitus honorum tollatur. Nemo admittatur ad lecturas, ad praedicationem, ad confessiones audiendas, et ad ordines nisi prius examinetur a Superioribus. Inobedientes pro gravitate inobedientiae a Generali et a Superioribus puniantur (1).

733. Summi Pontifices libertatem, quam nonnullis Apostolica Sedes privilegio exemptionis indulsit, voluerunt sic integram observari, ut et illam alii non infringant, et ipsi ejus limites non excedant. Hinc declaratione irrefragabili definitum est quod quantumcumque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti sive contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possunt coram locorum Ordinariis conveniri, et illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem prout jus exigit exercere. Numquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non utique; quia nec coram Ordinariis ipsis, dummodo sit in loco exempto commissum delictum, vel contractus initus, aut res litigiosa, nec ubi domicilium habent, si alibi delinquant, vel contrahant, aut res ipsa consistat, conveniri possunt aliquatenus super istis: nec domiciliorum praetextu, locorum dioecesani (si ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipsa consistit, illi conveniantur) remittendi eos illuc, vel ipsis, ut illic respondeant, injungendi habeant aliquam potestatem; solvis nihilominus casibus aliis, in quibus eos Episcoporum jurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta, et id ipsum decretum est circa illos, quibus, ut nonnisi sub uno judice teneantur de se conquerentibus respondere, Apostolico privilegio est concessum. In eos autem quibus, ne interdici, suspendi, vel excommunicari a quoquam valeant, a Sede Apostolica est indultum, sicut sunt Religiosi quamplures in quorum privilegiis continetur, ne quisquam Episcopus vel Archiepiscopus monasteriorum suorum monachos pro ulla causa, ullove loco interdicere, suspendere, vel excommunicare praesumat, iidem Ordinarii jurisdictionem suam, quantum ad ista, ubicumque illi fuerint, penitus exercere non possint, nisi forsan ipsi monachi ad monasteriorum suorum prioratus Ordinariis iisdem subjectos fuerint destinati. Tunc enim, etsi libere possint ad eadem monasteria revocari, ac tam illorum quam ipsorum prioratuum monachi reputentur (cum non sit inconveniens, aliquem utrobique locum habere monachicum) unum alteri subesse monasterio, vel ab ipso noscitur dependere; ratione tamen eorumdem prioratuum dicti Ordinarii sua jurisdictione in ipsis, etiam quoad praemissa, quamdiu morantur iis licite uti possunt (2).

(1) Clem. VIII constit. *Nullus omnino*, 1599.

(2) Innoc. III in Generali Lugdunensi Concilio

In civilibus (additur) causis mercedum, et miserabilium personarum clerici saeculares, aut regulares extra monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiam si certum judicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant; in aliis vero, si ipsum judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipsa S. Sede delegatis, conveniri, et jure medio ad solvendum debitum cogi et compelli possunt: privilegiis, exemptionibus conservatorum deputationibus, et eorum inhibitionibus adversa praemissa nequaquam valituris (1).

734. Fratres Regulares monentur in virtute sanctae obedientiae ut Episcopos loco sanctorum Apostolorum subrogatos pro debita Apostolicae Sedis reverentia congruo honore et convenienti observantia revereantur hortantur vero Episcopi ut fratres regulares affectu benevolo prosequentes, charitative tractent et benigne foveant (2).

Verum quia una est regularium et saecularium praelatorum et subditorum exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una fides, unum baptisma, decet, ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo charitatis sint adstricti. Decet igitur, ut praelati et alii tam exempti, quam non exempti suis juribus sint contenti et alter in alterius injuriam non prosiliat seu jacturam faciat. Universis itaque praelatis ecclesiarum praecipitur districte, et mandatur: quatenus ipsi praedictos viros religiosos charitative tractent et faveant et sua jura et privilegia inviolabiliter eis servent (3).

constitut. edita quae incipit *Volentes*, cap. 2 de priv. in 6.

(1) Concil. Trid., Sess. VII, cap. 14.

(2) Concil. Lateran. V, Constit. Leonis *Dum intra* 26, § 24.

(3) Clem. V in Concil. Vien.

LIBER QUINTUS

De Jure Laicorum.

CAPUT I.

DE JURE PATRONATUS.

735. Quicumque fidelium devotione propria de facultatibus suis ecclesiae aliquid contulerint, si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitae pro tempore percipiant (1). Quamdiu vero fundatores ecclesiarum in hac vita superstites extiterint pro iisdem locis curam permittantur habere sollicitam, atque rectores idoneos in eisdem basilicis iidem ipsi offerant Episcopis ordinandos. Quod si tales forsitan non inveniantur ab eis, tunc quos Episcopus loci probaverit Deo placitos sacris cultibus instituat cum eorum conniventia servituros. Quod si spretis ejusdem fundatoribus rectores ibidem praesumpserit Episcopus ordinare, et ordinationem suam irritam noverit esse, et ad verecundiam suam alios in eodem loco, quos iidem fundatores condignos elegerint, ordinari (2).

736. Nemo, etiam cujusvis dignitatis ecclesiasticae vel saecularis, quacumque ratione, nisi ecclesiam, beneficium, aut capellam de novo fundaverit et construxerit, seu jam erectam, quae tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis et patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jus patronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat. In casu autem fundationis, aut dotationis hujusmodi institutio Episcopo et non alteri inferiori reservetur (3).

Non licet praeterea patrono cujusvis privilegii praetextu aliquem ad beneficia sui juris patronatus, nisi Episcopo loci Ordinario, ad quem provisio, seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio jure pertineret, quoquo modo praesentare: alias praesentatio, ac institutio forsan secuta, nullae sint, ac esse intelligantur (4).

737. Jus patronatus ex fundatione vel dotatione probari potest etiam ex multiplicatis praesentationibus per tempus supra hominum memoriam, tametsi nullum instrumentum fundationis, vel dotationis ostendatur, et quamquam etiam in dictis praesentationibus nulla appareat mentio factae fundationis, vel dotationis, sed hae praesentationes debent esse authenticis scripturis probate (5). Id quoque in ea parte, in qua requiritur plenior

(1) Ex Conc. Toletano IV, c. 37, q. 7, c. 39.
(2) Ex decr. 16, q. 7, c. 32.
(3) Conc. Trid., Sess. XIV, cap. 12.
(4) Ibid. cap. 13.
(5) Congreg. Concilii 23 junii 1594.

et exactior probatio juris patronatus iis personis, seu communitatibus, in quibus usurpatio plerumque praesumitur, nec vel immemorabilem aliter suffragari, nisi praesentationes etiam continuatae non minori quam quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur, requiritur pro forma quod probatio per testes omnino excludatur (1).

738. Illis, qui patronatus habent, praecipitur ut personas idoneas utilesque futuras ecclesiis, praesentent ei ad quem collatio spectat (2). Caveant patroni, ne praesentent, antequam ecclesiae vacent; prohibetur etiam ne omnino, quacumque causa pactiones fiant pro expectativis. Collatores monentur, ut quam citissime instituant praesentatos; non obstantibus quibuscumque indultis, sive privilegiis in contrarium (3).

739. Patronus laicus debet praesentare intra quatuor menses. Quibus praeteritis, quin praesentet, eliget Episcopus ea vice. Item si propter discordias laicorum, quatenus quaestio inter eos de jure patronatus emerserit et ab eo, cui competit intra quatuor menses non fuerit definitum, ex tunc Episcopus de persona non differatur ordinare ad ecclesiam: ita quod illi, ex hoc non debeat in posterum praejudicium generari, qui jus evicerit patronatus. Patronus vero ecclesiasticus debet intra menses sex praesentare, iisque transactis poterit Episcopus pro vice illa eligere. Cum jus patronatus est mixtum patronus laicus gaudet sex mensium spatio, quemadmodum gaudet ecclesiasticus, intra quos praesentare debet.

740. Sicuti legitima patronatum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, aequum non est: sic etiam, ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decretum est, ut titulus juris patronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento et aliis, jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum juris dispositionem (4). In iis vero personis, seu Communitatibus, vel Universitatibus, in quibus id jus, plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior et exactior probatio aliter eis suffragetur, quam si praeter reliqua ad eam necessaria, praesentationes etiam continuatae, non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficiis, tam saecularibus, quam regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque aliis beneficiis in cathedrali, vel collegiata ecclesia, seu facultates, et privilegia concessa, tam in vim patronatus, quam alio quocumque jure nominandi

(1) Congreg. Concilii, 25 octob. 1592.

(2) Innocent. IV in Epist. *Fervens Anglorum*, an. 1245, Bullar. Magn. tom. 9.

(3) Innocent. III const. *Postquam regimini*, 1208.

(4) C. Piae mentis et seq. 16, q. 7 et c. Nobis de jure pat.

eligendi, praesentandi ad ea, cum vacant, exceptis patronatibus super cathedralibus ecclesiis competentibus et exceptis aliis, quae ad Imperatorem et Reges, seu regna possidentes aliosque sublimes, ac supremos Principes, jura Imperii in dominiis suis habentes (1) pertinent; et quae in favorem studiorum generalium concessa sunt, in totum prorsus abrogata, et irrita cum quasi possessione inde secuta intelligantur; beneficia hujusmodi, tamquam libera, a suis collatoribus conferantur, ac provisiones hujusmodi plenum effectum consequantur. Ad haec liceat Episcopo., praesentatos a patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen juxta haec statuta examinentur alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit et inanis. Patroni autem beneficiorum, cujuscumque ordinis et dignitatis, etiamsi Communitates, Universitates, Collegia quaecumque clericorum, vel laicorum existant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum, quorumcumque beneficiorum, etiamsi vere de jure patronatus ipsorum ex fundatione et dotatione, essent, nullatenus, nullave causa, vel occasione se ingerant, sed illos libere Rectori, seu beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine distribuendos dimittant, nec dictum jus patronatus, venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre praesumant; si secus fecerint, excommunicationis et interdicti poenis subjiciantur, et dicto jure patronatus ipso jure privati existant. Insuper accessiones, per viam unionis factae de beneficiis liberis ad ecclesias jurispatronatus etiam laicorum subjectas, tam ad parochiales quam ad alia beneficia quaecumque, etiam simplicia, seu dignitates, vel hospitalia, ita ut praedicta beneficia libera ejusdem naturae cum iis, quibuscumque uniuntur, efficiantur, atque sub jure patronatus constituantur, hae si nondum plenarium sortitae sunt effectum, vel deinceps ad cujusvis instantiam fient; quacumque auctoritate, etiam Apostolica, concessae fuerint, simul cum unionibus ipsis per subreptionem obtentae intelligantur: non obstante quacumque in iis verborum forma, seu derogatione quae habeatur pro expressa: nec executioni amplius demandentur; sed beneficia ipsa unita cum vacaverint libere, ut antea conferantur. Quae vero a quadraginta annis citra factae effectum et plenariam incorporationem sunt consecutae; hae nihilominus ab Ordinariis, tanquam a Sede Apostolica delegatis, revideantur et examinentur; ac quae per subreptionem vel obreptionem obtentae fuerint, simul cum unionibus irritae declarentur, ac beneficia ipsa separentur, et aliis conferantur. Similiter quoque patronatus quicumque in ecclesiis, quibuscumque aliis beneficiis, etiam dignitatibus antea liberis acquisiti a quadraginta annis citra et in futurum acquirendi, seu ex augmento dotis, seu ex nova constructione vel alia simili causa, etiam auctoritate Sedis Apostolicae, ab iis-

(1) Conc. Trid., Sess. XXIV, c. 19; Sess. XIV de Ref., c. 13 et Sess. XXIV de Ref., c. 18.

dem Ordinariis, uti delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus, aut privilegiis impediantur, diligenter cognoscantur: et quos non repererint ob maxime evidentem ecclesiae vel beneficii, seu dignitatis necessitatem legitime constitutos esse in totum revocent, atque beneficia hujusmodi sine damno illa possidentium et restitutio, patronis eo, quod ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant; non obstantibus privilegiis constitutionibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus (1).

741. Juris patronatus liberae capellae in ecclesiae Regularium, consistens solummodo in juribus honorificis obtineri potest per Regularium consensum accedente Apostolico beneplacito. Quod quidem beneplacitum sperari utiliter potest ab eo, qui patronatum quaerit, si vim pecuniae impendat pro redigenda capella in formam elegantiorem et juxta praescriptum sacrorum canonum onera quibus patroni ex jure gravantur in se suscipiat. Proindeque hoc jure obtento, hujusmodi patronus praeter impensas erogatas in capellae instaurationem tenetur ad utensilia altaris et capellae necessaria suppeditanda, sicuti etiam ad eorumdem et capellae manutentionem, nisi sufficiens dotis redditus ad hunc effectum assignatus fuerit (2).

742. Jus patronatus transit ad haeredes, si plures sint haeredes unius patroni, habeantur in praesentatione pro uno. Hinc singuli patroni alternis vicibus praesentent (3), si hoc non fecerint et in praesentando dissentientes sint, praefertur sententiam majoris partis; si vero sine scandalo praeferri nequit, Episcopus suo arbitrio aliquem ordinare potest quemadmodum debet ordinare, patrono intra statutum tempus neminem praesentante, aut si praestito de jure patronatus intra alios orta intra praedictum tempus non finita (4), si adhuc propter patronorum discordiam ecclesia administratore caret in ea a divinis, tollantur reliquiae ab ecclesia, ostia claudantur, siquidem aliter ecclesiae sine scandalo provideri nequit (5). Potest Episcopus in ecclesia juris patronatus laici oeconomum, si minus idonei praesentantur vel alia ex causa eos instituere non valeat, ponere qui fructus in ecclesiae utilitatem erogandos, aut his qui quandoque instituentur, reservandos colligat (6).

743. Si vero patronus vel ejus liberi ad inopiam redigantur, competens vitae subsidium ab ecclesia ipsis debetur (7), sine consensu patroni ecclesia vel hujus dispositio mutari non potest (8). Transfertur jus patronatus cum re, cui inhaeret, si reale sit. Ita jus patronatus beneficio, aut dignitati conjunctum cum beneficio ipso, et dignitate, adjunctum castro, aut praedio, cum prae-

(1) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 9 de Reform.
(2) Ex decr. Congr. Concil., 8 maji 1864.
(3) Clementin. Si plures 2 et § ut facilius et c. Ex insinuatione 14, c. de jure patronatus in sexto decr.
(4) Decr. c. Quoniam 3 et c. cum propter 27.
(5) C. si plures 16, q. 7.
(6) C. cum vos 4 de offic. subdiac. ordin.
(7) C. nobis fuit 25 in fine hujus tit.
(8) C. 33 Monasterium 1, 34 et cap. Rationis 16, p. 7.

dio, et castro transfertur. Item etiam transfertur jus patronatus contractu, seu successione. Contractus donationem respicit ac permutationem; quoniam juspatronatus, nisi qua lex impedimento sit, donari permutarique potest. Sic distrahi gentilitium juspatronatus vetat lex fundationis, quae ad illud vocat certae familiae agnatos aut cognatos, prout agnatitium vel cognatitium est juspatronatus. Donatio in privatum hominem collata indiget Episcopi auctoritate, collata autem in ecclesiam aut monasterium non indiget (1). Quod etiam dici debet de permutatione, quae similiter cum privato homine absolute opus habet Episcopi auctoritate; atque haec praeterea rem aliam spiritualem spirituali annexam desiderat, ut recte perficiatur (2). Vendi tamen juspatronatus nequit (3), nisi forte vendatur fundus aut castrum, cui adhaeret, quia tunc etiam juspatronatus in emptorem transfertur (4); verum ex jure patronatus, quod fundo adhaeret nulla pretii fieri debet accessio; quia tunc res spiritualis, vel spirituali annexa, quod fieri nequit tacite venderetur (5) successione transfertur juspatronatus ad haeredes sive legitimos sive testamentarios, et vero transfertur in solidum quamquam haereditas inaequaliter dividatur quoniam juspatronatus dividi non potest. Quae successio defertur in stirpes hoc est jure repraesentationis: et ideo pluribus patronis decedentibus, quorum alter duos haeredes reliquerit, alter unum, duo illi haeredes unum habebunt suffragium ad faciendam praesentationem, quoniam ambo unicum tantum patronum repraesentant (6). Amittitur juspatronatus si patronus ecclesiam separare et conservare recuset (7) si eadem incendio consumpta fuerit, vel motu terrae, vel vetustate, aut vitio suo corruerit; si patronus suo se jure abdicet, aut alteri concedat (8) vel ecclesiam, nulla sui juris facta reservatione, collegiatam fieri patiatur (9) vel praedium vendat, cui patronatus jus adhaeret; si in haeresim inciderit (10) si ecclesiae Rectorem aut clericum vel per se, vel per alios occidere, seu mutilare ausus fuerit (11) vel jura ecclesiae usurpaverit (12) vel separatim jurispatronatus vendiderit (13) denique si praescribi permiserit.

CAPUT II.

DE JURE COMMUNI FIDELIUM.

744. Principes et reges si petunt ab ecclesiae Episcopo ut preces indicantur pro necessitate status, id utique potest et debet. Nonnisi vero summus esset abusus si principes, E-

(1) Cap. 8 de jure patronatus cap. unic. eod. in 6.
(2) Cap. 5 de jure patron. in 6.
(3) Cap. 6 et tit. de rer. permut.
(4) Cap. 6 et 16 de jure patron.
(5) Cap. 7 de eod.
(6) Cap. 1 de jure patron. et Clement II eod. tit.
(7) Bened. XIII Const. *Ubi et quoniam*, T. 2. Bullar. Rom.
(8) Cap. un. de jure patron. in 6.
(9) Cap. 25 de jure patr.
(10) Cap. 10 de haeres.
(11) Cap. 12, § Sacri de poenis. Haec poena comprehendit descendentes usque ad quartum gradum, modo post homicidium nati sint. Qui vero nati sunt antequam Ecclesiae rector interficeretur nullam dependunt poenam. Benedictus XIV de Synodo Dioeces., lib. 12, cap. 24.
(12) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 9.
(13) Cap. 6 de jure patr., Conc. Trid. cit.

piscopali neglecta dignitate, eas indicere vellent (1).

Morum leges divina egent sanctione, atque oportet ut humanae leges ad naturae jus conformentur ut obligandi vim a Deo accipiant. Ideoque civiles leges non possunt a divina et ecclesiastica auctoritate declinare (2).

Detestabiles sunt qui in facto materiali jus consistere docent et omnia hominum officia nomen inane audent nuncupari; vel omnia humana facta juris vim habere autumarunt (3); et fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimenti asserunt afferri (4); auctoritas non est numeri et materialium virium summa (5); sed divinae auctoritatis participatio.

745. Omnes Christifideles abstineant a nefariis abominandisque principiis quae reprobum carnis spiritui rebellis sensum tuentur, favent, extollunt, sed recogitent illud Apostoli « si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. » Damnantur omnes illi, qui cuncta legitimae cujusque proprietatis jura invadere, vel destruere contendunt, ac perperam animo et cogitatione confingunt et imaginantur jus quoddam nullis circumscriptum limitibus quo rei publicae statum pollere existimant, quem omnium jurium originem et fontem esse temere arbitrantur (6).

746. Omnes Christifideles abstineant a sectariorum consortio, qui horrendum et ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans de cujuslibet religionis indifferentia, systema quo veteratores, omni virtutis et vitii, veritatis et honestatis et turpitudinis sublato discrimine, homines in cujusvis religionis cultu aeternam salutem assequi posse comminiscuntur, perinde ac si ulla unquam esse posset participatio justitiae cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras, et conventio Christi ad Belial (7)? Itidem fugiant a conspirationibus contra sacrum caelibatum, a secta infanda ac vel ipsi naturali juri maxima adversa uti vocatur de Comunismo, et a quibusvis sectariis conventionibus adversis juri divino et humano. Legitimis principibus et potestatibus obedientiam debitam praestent; nemo citra piaculum ab hoc Christianae legis praecepto unquam deflectere potest; praeterquam scilicet ubi forte aliquid jubeatur, quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur.

747. Damnationis doctrina est eorum, qui tum cujusque fortissimi juramenti violationem tum quaelibet scelestam, flagitiosamque actionem sempiternae legis repugnantem non solum asserunt non improbandam esse, verum etiam omnino licitam, maximisque laudibus efferendam quando id pro amore patriae agatur (8).

Funestum ac perniciosum principium, quod vocant de non interventu, omnes Christifideles damnatum esse agnoscant. Nam ita quaedam veluti

(1) Bened. XIV in Const. *Quemadmodum preces*. Bullar. t. 1.

(2) Pius IX in Const. *Maxima quidem*, 9 julii 1862.

(3) Ibid.

(4) Id. in Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 mart. 1861.

(5) Pius IX in Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 mart. 1861.

(6) Id. in citat. const. in *Maxima quidem*.

(7) Pius IX Alloc. *Quique vestrum*, 4 octobr. 1847.

(8) Id. in Alloc. *Quibus quantisque*, 22 april. 1849.

impunitas ac licentia impetendi ac diripiendi aliena jura, proprietates ac ditiones ipsas contra divinas humanasque leges sanciri videatur (1). Omnes actus nefarii atque sacrilegi ausus qui contra jura et libertatem Ecclesiae, nec non contra civilem ejus principatum plane nulli et irriti sunt, et eorum actuum auctores, cooperatores, adjutores, consulentes, approbantes in excommunicationis sententiam incidunt. Civilis quo Romana pollet Ecclesia principatus in sua integritate et in omnibus suis juribus ad omnes catholicos pertinet pro libertate exercitii pontificiae dominationis et ecclesiae imperii (2).

748. Omnes Christifideles confiteri sua peccata saltem in quocumque anno teneantur, et saltem in die sabbati vel in hebdomada sequenti diei Paschatis omnes panem vitae sumant. Omnes orare debent, sed praesertim clerici in sacris ordinibus constituti, horas canonicas privatim nisi choro sint addicti, recitare sub gravi culpa tenentur nisi gravis infirmitas, aut caecitas aut alia juxta causa necessaria a recitatione hujusmodi eos impediat. Illud est animadvertendum quod qui matutinum et laudes ob aliquod necessitatis impedimentum recitare non potest, reliquas tamen partes persolvere debet (3). Dies festos quos de praecepto indicat Romanus Pontifex cujus est auctoritas et potestas in Ecclesiam universam, omnes Christifideles observari tenentur (4), et non solum sacrosancto Missae sacrificio praesentes sint, et ab operibus servilibus abstineant, sed religionis officiis et precibus vacent. Prohibentur in diebus festis agere mercatus rerum venalium, judicialia acta exercere. Celebrandum Pascha die dominica quae post aequinoctium vernum proxime sequitur lunam XIV martii, hoc est plenilunium, sed non illa ipsa die XIV, quia Christus postridie Paschatis Hebraeorum ex inferis resurrexit (5).

749. Religiosa jejunia apud Christianos statuto tempore quotannis redeunt. Jejunium quadragesimale (6) quod incipit a die cinerum usque ad sabbatum majoris hebdomadae inclusive. Jejunium in quatuor temporum scilicet quarta et sexta feria et sabbato in initio quadragesimae in iisdem diebus Pentecosten et in praedictis diebus in mense septembri, et in mense decembri. In his quatuor temporum diebus solemnes clericorum ordinationes peraguntur. Insuper in vigiliis Natalis Domini, Pentecostes, Conceptionis et Assumptionis B. Mariae Virginis, in vigiliis festi Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Joannis Baptistae et aliorum Sanctorum prout a Romana Sede indicere videatur. In feria sexta et in sabbato cujuscumque hebdomadae ab esu carnium fideles debent abstinere (7). In

(1) Pius IX in Alloc. *Novos et ante*, 1860.

(2) In pluribus Conciliorum decretis et in const. Pii VI, Pii VII et Pii IX.

(3) Innoc. XII qui contrariam sententiam proscripsit propos. 64 in Bullar. const. 51, tom. 8 Quoad praeceptum suscipiendi panem eucharisticum in hoc opere in lib. de sacr. tractavimus.

(4) Bened. XIV const. *Nos multi*, 63 Bullar. t. 2.

(5) Leo Magnus Epist. 96 ad Marcianum, tom. 2 Bullar.

(6) C. jejunia 16 de consecr. dist. 3 decr., c. quadragesima 16 de consecr. dist. 5.

(7) In princ. Cum usque ad cap. scire debet, dist. 76, 16, c. de esu carnium 5. Consuetudinem vero abstinentia a carne in die sabbati est [illegible]

jejuniis praecepta est unica comestio in die, et abstinentia a carnibus et ab iis quae a carne proveniunt, idest lacticiniis et ovis. Clerici saeculares vero beneficiati, quae ad jus cathedraticum Episcoporum pertinent, persolvant. Jus enim cathedraticum ad honorem cathedrae episcopalis, et in signum subjectionis erga cathedralem ecclesiam, cui praeest Episcopus institutum est. Jus cathedraticum solvi non debet in visitatione, sed extra, et in synodi celebratione (1). Regulares non tenentur solvere cathedraticum pro monasteriis et eorum ecclesiis regularibus, ubi ipsi resident, et divina peragunt, et quae monasteriis ipsorum contigue seu immediate existant (2).

750. Medici districte tenentur sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae, vocati ad aegrotos, eos admonere ut in primis medicos advocent animarum. Sub poena vero anathematis statutum est ne quis medicus audeat suadere quidquam aegro pro salute corporis quod vertat in animae perniciem Deique offensam (3).

751. Salutari Leonis X constitutione sancitum est ne quisquam in sacris ordinibus constitutus, saecularis vel regularis, aut alias ad illos arctatus in studiis generalibus, vel alibi publice audiendo, philosophiae aut poësis studiis ultra quinquennium post grammaticam ac dialecticam sine aliquo studio theologiae aut juris Pontificii incumbat. Verum dicto exacto quinquennio si illis studiis insudare voluerit liberum sit ei, dum tamen simul ac seorsum aut theologiae aut sacris canonibus operam navaverit (4).

Si quis exigit aliquid lucri ultra sortem ratione mutui usurarius nuncupatur. Ratione tamen titulorum quorumdam, qui extrinseci dicerentur, e contractu mutui exigi potest annuus proventus, in quo tamen cavendum est ne nimis accipiatur; sicut etiam non semper iidem tituli in contractu mutui celebrando adsunt, quin et accidit quandoque in nonnullis rerum circumstantiis, ut nulli alteri justo contractui locus esse possit et adsit obligatio, et nudo mutuo alteri succurratur. Si quando in mutuo praestando alii legitimi tituli adsint pro annuo lucro exigendo in celebratione contractus mutui explicentur (5).

752. Cambium obliquum quo mutuatarius se obligat ad negotiandum in cambiis tantumdem pecuniae, quantum mutuo accepit a cambista in favorem ipsius cambistae, vel eidem cambistae dat facultatem, ut nomine suo accipiat sive a seipso, sive ab alio tantumdem pecuniae, quantum sibi mutuo data est, accipiat, nempe eam per cambii contractum atque interim mutuatarius se obligat ad solvendum quantum necesse est pro ratione hujus secundi cambii; hoc scilicet cambium, quamvis in foro saeculari sustineatur, in conscientia est reprobandum. Si autem mutuatarius in se suscipit onus negotiandi

(1) Cap. Illud te 4, et cap. Inter caetera 8, et cap. Illud magnitudinem 10 quaest. 3 et cap. Conquerente 16 de offic. Ordinarii.

(2) Placuit 1 caus., 10 quaest. 3.

(3) Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 3.

(4) Leo X in Conc. Later., Sess. VIII.

(5) Idem in Encycl. ad Episc. Italiae *Vix pervenit*, Bullar. t. 1.

per cambium tantumdem pecuniae quantum a cambista mutui nomine recepit, tunc vero quidquid lucratur, vel lucrari potest in isto cambio nomine mutuantis facto, totum illi solvit, quae solutio etiam facienda est, etsi illud negotium cambii revera factum non sit, quia cambista intererat, ut fieret. Item etiam sunt omnia cambia, quamvis aliqua licita sint laicis, interdicta clericis ut canones ecclesiastici magno consensu demonstrant et evincunt (1).

(1) Leo X ut supra de Syn. dioeces.

LIBER SEXTUS

De Jure rerum.

CAPUT I.

DE BONIS ECCLESIAE SERVANDIS.

753. Non licet episcopo vel Abbati terram unius Ecclesiae dare ad aliam, quamvis ambae in ejus sint potestate: tamen si commutare voluerit terras earum cum consensu ambarum partium faciat (1); semper hoc intelligitur cum Sanctae Romanae Ecclesiae consensu.

Qui res ecclesiae petunt a regibus, et horrendae cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur quae obtinent, et a communione ecclesiae (cujus facultatem auferre cupiunt) excludantur (2).

Nulli liceat alienare rem immobilem ecclesiae suae, sive agrum, sive domum, neque specialis hypothecae titulo obligare. Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem, permutationem, et emphyteusis perpetuum contractum. Unde omnes sacerdotes ab hujusmodi alienatione abstineant poenas excommunicationis timentes (3).

754. Si quis presbyterorum diaconorum seu defensorum alienanti praedium ecclesiae subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, nisi forte et alienator et qui acceperit celeri restitutione sibi prospexerint. Quod si minore animae suae cura remedium oblatum neglexerint praeter poenam super hoc adscriptam, confectum ex inde documentum viribus (quamvis ab initio nullas habuerit) vacuetur. Sed etiam licet quibuscumque personis ecclesiasticis vocem contradictionis offerre, et ut cum fructibus possint alienata reposcere et ecclesiastica auctoritate fulciri (4).

755. Possessiones sive redditus, regalium, decimationum et aliunde ex certis locis provenientes, quos Episcopus ad manus suas tenuit et in proprium usum expendit, nec aliis infeudavit, de mensa Episcopi intelligendi vel non, cum ex sacramento fidelitatis teneatur, non possunt alienari. Possessiones vero, quae ecclesiis minus sunt utiles pro aliis utilioribus cum consilio et assensu Capituli Episcopis alienandi et commutandi libera facultas concedatur (5). Canonicus praedium ecclesiae perpetuo locare non potest, verum si quid contra agere praesumpserit locationes illae legitime revocantur; ita quod si eadem praedita non aliter revocari potuerint auctores harum

(1) Decretal. lib. 3, tit. 13, cap. Non licet.
(2) Ibid. cap. Qui res, 2.
(3) Ibid. cap. Nulli, 5. (4) Ibid. cap. Si quis, 6.
(5) Decretal. lib. 3, tit. 13, cap. Ut super, 8.

locationum ad susceptam inde pecuniam conductoribus refundendam appellatione remota compellantur (1).

756. Cum laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus ecclesiae nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, nemo audeat saecularium potestatum immunitatem ecclesiasticae libertatis, quam non tantum Sancti Patres, sed etiam principes saeculares privilegiis multis munierunt, non formidant suis constitutionibus, sed potius destitutionibus impugnare non solum de alienatione feudorum, ac aliarum possessionum ecclesiarum et usurpatione jurisdictionum, sed etiam de mortuariis, nec non et aliis, quae juri spirituali annexa videntur illicite praesumendo. Constitutiones et venditiones hujusmodi feudorum, seu aliorum bonorum ecclesiasticorum sine legitimo personarum ecclesiasticarum consensu praesumptae occasione constitutionis laicae potestatis (cum non constitutio, sed destitutio dici possit, nec non usurpatio jurisdictionum) non tenentur, praesumptoribus per censuram compellendis (2). Possessiones ad mensae suae, vel Capituli Episcopus nequit alienare. Nec ecclesias, in quibus monachi ministrare consueverunt clericis, vel laicis assignet (3).

757. Magnam ecclesiis perniciem afferre solet cum earum bona repraesentata pecunia in successorum praejudicium aliis locantur. Omnes igitur hae locationes, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in praejudicium successorum validae intelligantur, quocumque indulto aut privilegio non obstante; nec hujusmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam jurisdictiones ecclesiasticas, seu facultates nominandi aut deputandi Vicarios in spiritualibus locare; nec conductoribus per se, aut alios ea exercere: aliterque concessiones, etiam a Sede Apostolica factae, subreptitiae censeantur. Locationes vero rerum ecclesiasticarum, etiam auctoritate Apostolica confirmatas, Sancta Tridentina Synodus irritas decernit, quas a triginta annis citra, ad longum tempus, seu ut in nonnullis partibus, ad viginti novem, seu bis viginti novem annos vocant factas, Synodus Provincialis, vel deputandi ab ea, in damnum ecclesiae, et contra canonicas sanctiones contractas fuisse judicabunt.

Non sunt ferendi qui variis artibus decimas ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temere occupant, et in rem suam vertunt; cum decimarum solutio debita sit Deo: et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Praecipit igitur S. Tridentina Synodus omnibus, cujuscumque gradus et conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in posterum cathedrali, aut quibuscumque aliis ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persol-

(1) Decretal. lib. 3, tit. 13, cap. Ad audientiam, 9.

(2) Concil. Lugd. in decretal. lib. 6, III, tit. 13, cap. Cum laicis, 12.

(3) Decret. lib. cit. cap. Possessiones 10 (3 Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 11).

vant; qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt excommunicentur, nec nisi restitutione facta absolvantur. Hortantur omnes pro charitate, debitoque erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi a Deo collatis, Pastoribus qui tenuioribus praesunt ecclesiis, large subvenire ad Dei laudem, atque Pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam non graventur (1). Quibuscumque in locis ubi quarta quae funeralium dicitur cathedrali aut parochiali ecclesiae solita esset persolvi, ac postea fuerit ex privilegio quocumque aliis monasteriis, hospitalibus, aut quibuscumque locis concessa, integro jure et eadem portione, quae antea solebat persolvatur cathedrali aut parochiali ecclesiae; non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis quibuscumque. Ecclesiastica beneficia saecularia, quocumque nomine appellantur, quae curam animarum ex primaeva eorum institutione aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata Vicario perpetuo congrua portione, non convertantur: non obstantibus quibuscumque gratiis, quae suum plenarium effectum non sunt consecutae. In iis vero, in quibus contra earum institutionem, seu fundationem cura animarum in vicariam perpetuam translata est, etiamsi in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum Vicario ecclesiae, quocumque nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quamprimum intra annum arbitrio Ordinarii assignetur. Quod si, id commode fieri non possit aut intra dictum terminum factum non erit, cum primum per cessum, vel decessum Vicarii seu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacaverit, beneficium curam animarum recipiat, ac vicariae nomen cesset et in antiquum statum restituatur (2).

758. Irrita erit Episcoporum donatio, venditio, vel commutatio rei ecclesiasticae, absque collaudatione et subscriptione Capituli (3) et sine Sanctae Romanae Sedis approbatione. Potest autem Capitulum ratificare postmodum quod Episcopus eo reclamante egit, ut factum roboretur. Laicus vero qui decimam detinet, et eam restituere negat ecclesiae, ad quam pertinet, si forte monitionibus atque comminationibus induci nequit et secus eam cum dioecesani consensu alteri ecclesiae assignarit, praesertim religioso conventui, constabit ipsa donatio perpetua firmitate subnixa. Auctoritates enim Ecclesiae, licet diversae sint, non tamen sunt adversae, cum aliud sit alienare quod possidetur ab ecclesia, aliud quod detinetur a laico, ad usum ecclesiasticum revocare (4).

759. Non potest Episcopus sine consensu Capituli concedere ecclesias aliis, etiamsi habeat jus patronatus in ecclesiis concessis (5). Nec potest Episcopus parochiales ecclesias, vel obventiones ipsarum de consen-

(1) Decret. lib. cit. cap. Possessiones 10 (3 Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 12).

(2) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 16.

(3) Decret. tit. 10 de his quae fiunt a Praelat., cap. 1.

(4) Decret. tit. 10 de his quae fiunt a Praelat.' cap. 7.

(5) Ibid. cap. 8.

su patroni, sine consensu Capituli sui, monasterio conferre (1). Praelatus cum majori parte Capituli contradicente minori, statuere potest quod ad necessariam reparationem fabricae quilibet canonicus conferre teneatur (2). In conductionibus terrarum, quae ad aliquam ecclesiam pertinent, propter sterilitatem gravem conductori sine sua culpa contingentem remittitur pensio conductionis pro rata, nisi possit cum ubertate praecedentis, vel sequentis temporis compensari (3). Emphyteuta (ecclesia primitus requisita, eique nunciato quantum sibi ab aliis offertur, si nolle se emere dixerit, vel a denunciationis tempore duorum mensium spatium sit elapsum) melioriones et jus sibi competens aliis vendere, qui ab emptione hujusmodi nomine prohibentur. Emphyteuta quoque secus praesumendo, vel cessando in solutione canonis per biennium (nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuisset), juste potest expelli, non obstante quod ei, ut canonem solveret non extitit nunciatum, cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellet (4).

760. Si principes voluerint rem immobilem sanctis locis praestare et accipere ab eis aliam immobilem, eoque modo de communi voluntate permutationem contrahere liceat ei hoc facere, si causa rationabilis id exposcat et res quam praestiterint, major fuerit vel aequalis (5).

(1) Decr. t. 10 de his quae fiunt a Praelat., c. 9.
(2) Ibid. tit. 11, cap. 3.
(3) Ibid. tit. 18, cap. 3.
(4) Ibid. cap. 4
(5) Decret. lib. 3, tit. 19, cap. 1.

Commutationes praebendarum de jure fieri non possunt praesertim pactione praemissa, quae circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniae. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam licite poterit de uno loco ad alium transferre personas; ut quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere (6). Ecclesiae jure proprietatis possunt ad invicem permutari: et possessiones earum etiam permutari possunt et pro minus valentibus pretium suppléri (7) auctoritate tamen et consensu Sanctae Romanae Sedis. Beneficia sua perdunt qui ea, propria permutant auctoritate (8). Si permutatio beneficiorum completa est ex una parte, et per alteram stat quominus impleatur, restituitur pars ad suum beneficium (9). Spirituale cum temporali permutari nullo modo potest (10).

761. Nullus presbyter praesumat calicem, vel patenam, vel vestimentum sacerdotale, aut librum ecclesiasticum tabernario, vel negotiatori, aut cuilibet laico, vel foeminae in pignus dare, nisi justissima necessitate urgente (11) et Episcopi consensu. Si Rector ecclesiae pro facto proprio rem ecclesiae obligavit, cogitur ejus haeres rem redimere et ecclesiae restituere.

762. Clericus fidejussionibus inserviens abjiciatur (12). Compellitur tamen clericus servare fidejussorem

(6) Ibid. cap. 5.
(7) Ibid. cap. 6.
(8) Decret. lib. 3, tit. 19, cap. 7.
(9) Ibid. cap. 8.
(10) Ibid. cap. 9.
(11) Ibid. tit. 21, cap. 1.
(12) Decret. lib. 3, tit. 22, de fidejuss., cap. 1.

indemnem per assignationem redditum suorum. Clericum vero praefatum si religionem fidei et juramenti sui violasse constiterit ab officio et beneficio suspendendum esse statuitur (1). Per districtionem canonicam compellatur debitor a fidejussione absolvere fidejussorem qui a creditoribus molestatur (2). Eum vero pro quo te fidejussorem obligasti, si diu in debiti solutione cessavit, aut dissipare bona sua coepit; seu super hoc condemnatus fuisti jure poteris convenire, ut te a fidejussione debeat liberare (3).

763. Successor in beneficio tenetur solvere debita praedecessoris pro necessitate ecclesiae contracta. Sicut enim filius debita patris solvere tenetur, ita praelatus sui praedecessoris pro ecclesiae necessitate contracta (4). Firmiter tamen inhibetur, ne quis praesumat ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis, aut literas alicui seu sigilla concedere, quibus possent ecclesiae obligari. Si secus fuerit attentatum ad solutionem talium debitorum ecclesias non teneri decretum est. Si quis autem contra praemissa de caetero venire praesumpserit ab administratione spiritualium et temporalium noverit se esse suspensum (5). Clericus vero si non habeat unde satisfaciat suis creditoribus, non debet excommunicari, nec aliter molestari: praestabit tamen cautionem saltem juratam de solvendo cum venerit ad pinguiorem fortunam (6).

Ambitiosae cupiditati illorum praecipue, qui divinis et humanis affectati damnatione postposita, immobilia et praetiosa mobilia Deo dicata ex quibus ecclesiae, monasteria et pia loca reguntur et illustrantur et eorum ministri sibi alimoniam vendicant, profanis usibus applicare, aut cum maximo illorum et divini cultus detrimento exquisitis mediis usurpare praesumunt occurrere cupientes Romani Pontifices: omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omnemque pactum per quod ipsorum dominorum transfertur concessionem hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, nec infeudationem vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a jure permissis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et tunc ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia, perpetuis valituris constitutionibus fieri prohibuerunt. Si quis autem de bonis et rebus eisdem quidquam aliena praesumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, et infeudatio hujusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quam is, qui alienatas res et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.

764. Alienanti vero bona ecclesiarum, monasteriorum locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano

(1) Decret. lib. 3, tit. 22, de fidejuss., cap. 2.
(2) Ibid. cap. 3.
(3) Ibid. cap. 4.
(4) Ibid. 13, de solution. cap. 1.
(5) Ibid. cap. 2.
(6) Ibid. cap. 3.

Pontifice, aut contra praesentis constitutionis tenorem, si pontificali, vel abbatiali praefulgeat dignitate ingressus ecclesiae sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediate sequentes sub interdicto hujusmodi, animo, quod absit perseveraverit indurato, lapsis mensibus eidem a regimine et administratione suae ecclesiae, vel monasterii, cui praesidet in spiritualibus et temporalibus, sit eo ipso suspensus. Inferiores vero praelati, commendatarii et aliarum ecclesiarum Rectores, beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes, prioratibus, praepositurís, praepositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, praebendis, aliisque ecclesiasticis cum cura et sine cura saecularibus et regularibus beneficiis quorum res et bona alienarunt dumtaxat ipso facto privati existant: illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur; possintque per locorum Ordinarios vel alios ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quae propterea privatae fuerint) libere de jure conferri, nisi alias dispositioni Apostolicae Sedis sint specialiter, aut generaliter reservata: nihilominus alienatae res et bona hujusmodi ad ecclesias, monasteria et loca pia, ad quae ante alienationem hujusmodi pertinebant, libere revertantur (1).

Bona immobilia ab hostibus capta in bello injusto nempe a piratis, infidelibus, haereticis si emantur a fidelibus debent restituit proprio Domino nullo exacto pretio ab eodem (2).

765. In commutandis ultimarum voluntatum, quae nonnisi ex justa et necessaria causa fieri debent, Episcopi, tamquam delegati Sedis Apostolicae summarie et extra judicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes praedictae executioni demandentur. Obtenta semper Romanae Sedis sanctione. Dispensationes, quacumque auctoritate concedendae, si extra Romanam Curiam committendae erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint, illae vero, quae gratiose concedentur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem, tamquam delegatis Apostolicis summarie tantum, et extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis, vel obreptionis vitio non subjacere (3).

766. Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati in casibus a jure concessis omnium piorum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores: et habeant jus visitandi hospitalia, collegia quaecumque, et confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocumque alio nomine vocant; non tamen, quae sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia: eleemosynas montis pietatis, sive charitatis et pia loca omnia quomodocumque nuncupentur, etiamsi prae-

(1) Paulus II cap. unic. de Rebus Eccl. non alien. in Extravag.

(2) Bened. XIV in Ep. ad Nicolaum Lercari Congr. de Propag. secretar. et approb. decr. ejusd. cong. an. 1680.

(3) Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 6 et ibid. c. 5.

dictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita ; ac omnia quae ad Dei cultum, aut animarum salutem seu pauperes sustentandos instituta sunt ipsi de officio suo, juxta sacrorum canonum statuta cognoscant, et exequantur; non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili privilegio, aut statuto (1).

767. Administratores tam ecclesiastici, quam laici fabricae cujusvis ecclesiae etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis eleemosynae, montis pietatis et quorumcumque piorum locorum singulis annis tenentur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrariis sublatis; nisi secus forte in institutione, et ordinatione talis ecclesiae, seu fabricae expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis, ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius et aliter factae liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.

768. Montis pietatis per res publicas instituti, et auctoritate Sedis Apostolicae probati et constituti, in quibus pro eorum impensis et aliarum rerum ad illorum conservationem pro eorum indemnitate dumtaxat ultra sortem, absque lucro eorumdem montium recipitur neque speciem mali praeseferunt, nec peccandi incentivum praestant, nullo pacto debent improbari, quin imo meritorium est, ac laudari et probari debet mutuus hujusmodi (2). Firmum tamen maneat principium non exigendi augmentum super mutuum datum excepto eo quod necessarium sit pro expensis et conservatione montis; ut Episcopus, calculo facto, determinet ratam portionem solvendam supra sortem ob hunc titulum. Ad id autem, quod supra hanc portionem ex consuetudine jamdiu introducta perciperetur erogandum in pios usus et nominatim in manutentionem templi pauperrimi pagi atque ad sustentandam famem pauperum quod fieri possit in charitate annonae, possit Episcopus permittere, ut eadem consuetudo servetur, ita tamen ut liber constituatur, in quo distinctis titulis notentur ratae portiones, eae, quae ad montem pertinerent, et eae, quae ad alios usus, ut posset cognosci, quaenam sit summa, quae datur titulo justitiae, et quod recipiatur tanquam gratuita et pia oblatio. Curabit autem Episcopus ut populus prudenti ratione certior de hac re reddatur sive ope Parochi, vel alio modo, prout ipse Episcopus prudenter indicaverit (3).

769. Praescribitur autem ne de pecuniis ad dictos montes pietatis, quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac tam pro sorte principali a principio illis assignatis, quam pro dictae sortis augmento postea acquisitis, in alios, quam pauperum usus, juxta modum et formam in erectione dictorum montium praescriptam

(1) Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 8.
(2) Leo ex *Inter multiplices*, die 4 maji 1515.
(3) Sacra Congregatio Episc. et Regi, die 15 maji 1868.

absque Sedis Apostolicae licentia, sub quovis praetextu, vel quaesito colore et cum obligatione intra quodcumque breve tempus restituendi, disponere praesumant (1).

770. Montes pietatis instituti ut possint miserorum egestati per pecuniam illis mutuatam subveniri promoveantur, hac tamen lege quemadmodum superius dictum est ut mutuum sumentes astringantur praeter mutuatam sortem aliud quid exsolvere pro hujus fundatione, conservatione aut necessariis ad hoc impensis, dum nullum intendant gubernatores ex tali mutuo lucrum. Sub excommunicationis latae sententiae poena interdicitur scriptis, vel verbis hujusmodi montes pietatis contra has praescriptiones praedicare.

771. In rebus Ecclesiae praescribendis quadraginta anni requiruntur (2). In rebus Ecclesiae Romana centenaria praescriptio agnoscenda aut tanti temporis spatium ut de ejus initio non extet memoria (3). In tali praescriptione schismatum tempora non numerantur, quia Ecclesia eo tempore videtur legitimo carere defensore. Ad praescriptionem perficiendam requiruntur ut res praescribi possit, bona fides, titulus justus, continuata possessio, et ut possessio, non alieno nomine contingat (4).

(1) Pauli V Constit. *Onerosa*, 1615.

(2) Auth. quas actiones., c. de Ss. Eccl., c. 4, C. ad amnes 6, c. 7 de praescr.

(3) C. Ad audientiam 13 cum ec. sequ. c. super quibusdam 26 de verb. sign. ex ibi canon.

(4) C. sine poss. 3 de reg. jur in 6; c. Causam 7; c. Quod si privatus 16, qu. 3, c. ult.; c. Possessor 2 de reg. jur. in 6; c. Si diligenti 4; c. Dudum 31 de decim. et alibi.

(5) Pontific. Rom., part. 2, de Benedict. et imposit. primi lapid. pro Eccl. aedif.

CAPUT II.

DE LOCIS SACRIS.

772. Nemo ecclesiam aedificet, priusquam Episcopi judicio locus et ambitus designetur, et quid ad luminaria, quid ad Rectoris et ministrorum stipendia sufficiat, quidque ad ecclesiae dotem pertineat definiatur. Per Episcopum, aut per ejus auctoritatem a sacerdote crux in loco figatur et primarius lapis in ecclesia ponatur (5). Ecclesia nisi de dote provisum ei fuerit, non consecratur (6).

773. Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati transferre possunt beneficia simplicia etiam juris patronatus ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint et ob illorum inopiam nequeant instaurari (vocatis iis quorum interest) in matrices, aut alias ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum, arbitrio suo; atque in iisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus, vel jam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis. Parochiales vero ecclesias etiamsi jurispatronatus sint ita collapsas refici et instaurari procurent ex fructibus et proventibus quibuscumque ad easdem ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, patronos et parochianos cogant; si nimis egestate omnes laborent ad matrices et viciniores ecclesias transferantur cum fa-

(6) C. Placuit v, caus. 1, quaest. 2; cap. Nemo 9, dist. 1 de Consecr., Benedict. XIII in Conc. Rom. tit. 25, cap. 3.

cultate tam dictas parochiales, quam alias ecclesias dirutas in prophanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce convertendi (1).

774. Ecclesiae in honore et veneratione sint. Prohibetur intra eas universitatum et societatum quodlibet concilium; aut concio, aut publicum parlamentum haberi: nec non confabulationes, nec in eis, nec non in earum caemeteriis negotiationes nundinas et cujuscumque fori tumultus, omnesque judiciorum saecularium strepitus permittantur. Processus saecularium judicum et sententiae iisdem in locis prolatae careant omni robore (2).

775. In ecclesiis ne decantentur vulgaria carmina atque a personis privatis composita, neve alii legantur libri quam sacri atque canonici et tales recogniti ab ecclesia (3). Si ecclesiam pollui sanguinis aut seminis effusione contingat, ipsius caemeterium si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri. Secus si remotum fuerit ab eadem. Non sic quoque in casu converso sentiendum, ut videlicet polluto caemeterio quamvis ecclesiae contiguo debeat ecclesia reputari polluta ne minus dignum majus aut accessorium principale ad se trahere videatur. Non unum sed plura caemeteria esse noscuntur, quae quamvis sibi cohaerentia, pariete tamen medio sejunguntur. Ideoque violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus), non propter hoc reputabitur violatum (4).

776. Quia nonnulli habentes temporale dominium vel potestatem gerentes officium saecularis, libertatem et immunitatem ecclesiasticam laedere ac minuere tamquam honoris et privilegii ecclesiarum invidi moliuntur: expedit quod per diligentiam et auctoritatem Sedis Apostolicae (quae curam habet ecclesiarum omnium et tutelam) contra talium ausus et conamina opportunum remedium apponatur; ut ecclesiae ipsae in plenitudine juris sui et libertatis integritate laetentur ac detestabilis malignorum audacia et insolentium nefaria temeritas propulsetur. Decretum igitur est non licere quibuscumque dominium temporale exercentibus molestos esse ecclesiis et infestos, nec tallias, taxas, vel collectas, seu exactiones quascumque, ecclesiis vel personis ecclesiasticis imponere vel exigere ab eisdem pro domibus, praediis, vel quibuscumque possessionibus ab eisdem ecclesiis legitime acquisitis, vel in posterum acquirendis etiam si ipsae ecclesiae, vel res hujusmodi sint infra illorum districtum vel territorium constitutae. Nec etiam liceat illis ipsas ecclesias, vel personas ad distrahendum, vel alienandum aut extra manum suam ponendum acquisita jam, vel quae deinceps acquirent aliquatenus coarctare (5).

777. Decet domum Domini sanctitudo, ut, cujus in pace factus est lo-

(1) Conc. Trid., Sess. XIV, cap. 12, de Ref.

(2) In cap. tin. de praescr. Conc. Lugd., can. 25 et Conc. Trid., Sess. 21, cap. 7, de Ref.

(3) Conc. Laod., can. 59.

(4) Decretal. tit. 21, cap. un.

(5) Cap. Quia nonnulli, tit. 23, lib. 3 in sent. decr.

cus ejus, cultus sit cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad ecclesias humilis et devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio Deo grata, inspicientibus placita, quae considerantes non solum instruat, sed et reficiat. Convenientes ibidem Nomen illud, quod est super omne nomen (a quo aliud sub coelo non est datum hominibus, in quo salvos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Jesu Christi qui salvum faciet populum suum a peccatis eorum) exhibitione reverentiae specialis attollant, et quod generaliter scribitur, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, singuli singulariter in seipsis implentes (praecipue dum aguntur Missarum sacra ministeria) gloriosum illud Nomen quandocumque recolitur flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur, attendantur in locis eisdem intentis praecordiis sacra solemnia, devotis orationibus insistatur: nullus in locis eisdem, in quibus cum pace ac quiete vota convenit celebrari, seditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Cessent in locis illis universitatum et societatum quarumlibet concilia, conciones et publica parlamenta. Cessent vana et multo fortius foeda et prophana colloquia, cessent confabulationes quaelibet. Sint postremo quaecumque alia, quae divinum possunt turbare officium, aut oculos divinae majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea: ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio aut deprehendantur peccata committi. Cessent in ecclesiis earumque caemeteriis negotiationes praecipue nundinarum, ac fori cujuscumque tumultus: omni in ejus saecularium indiciorum strepitus conquiescat; nulla ibi causa per laicos criminalis maxime agitetur: sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena. Ordinarii locorum hoc faciant observari: suadenda suadeant interdicta hujus canonis auctoritate compescant ad hoc alios etiam in ecclesiis ipsis magis assiduos et ad praemissa idoneos deputando.

778. Consecratio ecclesiae actus est sacer et solemnis, per quem ea divino cultui addicitur. Tantum Episcopus ecclesiam consecrat suae dioecesis, neque haec presbyteris potestas est (1). Quovis die fieri potest consecratio quamquam fieri soleat die festo (2) et solemnia sacra dedicationis quovis anno celebranda sunt (3) semelque facta nunquam iteratur, nisi tota pene collapsa, aut exusta instauretur ecclesia, vel nisi de illius consecratione dubitetur (4). Altaris etiam consecratio non repetitur, nisi frangatur, aut nisi evellatur e basi, ubi fuerant affixum (5). Consecrata ecclesia, si violetur aut polluatur reconciliari debet, quoniam in ea res divina fieri non potest (6). Polluitur autem injuriosa humani sanguinis effusione et homicidio, quod etiam non effuso sanguine, in ecclesia patratum est (7). Item humani seminis voluntaria effusione (8) et denique

(1) Cap. 9 et 25 de consecr. dist. 1, cap. 1 de relig. domib. (2) Cap. 2, ibid.
(3) Ibid. can. 16 et 17 de consecr.
(4) Ibid. can. 18 et 20.
(5) Can. 19 de consecr., dist. 1 de consecr. eccl.
(6) Cap. ult. de cons. eccl.
(7) Cap. 4 eod.
(8) Cap. 4 et ult. eod.

infidelis, aut excommunicati vitandi sepultura (1). Reconciliatio fit ab Episcopo missis precibus, et aspersione aquae, cum qua vinum et cinis commiscetur (2). Si ecclesia benedicta tantum erat, non consecrata etiam presbyter lustrali aqua reconciliationem facit (3). Cum pollutio facta est ob sepulturam excommunicati, aut infidelis, ante omnia cadaver, si discerni possit, effodiendum est (4). Reconciliata autem ecclesia reconciliantur etiam altaria, eique conjuncta coemeteria, quae duo simul cum violata ecclesia violantur.

779. Ecclesiae omnes, etiam quae consecratae non sunt, earumque porticus et atria (5) quin et locus, in quo primo lapide jacto, ecclesia aedificanda est (6) itemque oratoria Episcopi auctoritate constituta asyli jure fruuntur; itemque Episcopi palatium et domus in qua Parochus habitat, et domus canonicales et sodalitiorum, quae eorum ecclesiis conjunctae sunt: turris campanaria, quae intra passus triginta ab ecclesia distat, xenodochia et coemeteria eodem jure fruuntur (7).

780. Quicumque vero hominem in ecclesia, vel ejus coemeterio interfecerit, vel ei membrum amputaverit, sicarii, homicidae qui egerunt praemeditatione et odio, rei laesae majestatis, qui violenter ab ecclesia abducunt confugientes in ea, falsarii litterarum apostolicarum, qui montem pietatis aut alia similia loca administrantes falsi aut furti, patrato crimine, ita publicam arcam minuunt, ut poenae mortis digni censeantur, qui aureas et argenteas monetas privatim cudunt, aut vitiant, et corrumpunt; qui mentito Curiae nomine se se in alienas domos inferunt et intrudunt, atque ibi rapinas faciunt et homines trucidant, aut membra caedunt asyli pietate non fruuntur (8). Verum praeter hujusmodi scelera, quibus omnis immunitas jure negatur: si caetera quoque gravia sint, vel saepius admittantur auctoritate Summi Pontificis, vel Sacrae Congregationis immunitatis, in carceres ecclesiastici judicis ex loco immuni rei detrudi possunt nomine ecclesiae, causaque ipsorum cognita poena constitui paulo quidem mitior, ut simul et rei poenam perferant, et ecclesiastici asyli ratio habeatur (9).

781. Animadvertendum est Episcopo consecranti ecclesiam, ne sanctificet Basilicam, in qua sepulta sunt infidelium cadavera. Sed si consecrationi acta videbitur, evulsis inde corporibus et rasis parietibus et tignis consecrari poterit (10).

(1) Cap. 7 eod. can. 27 de consecr., dist. 1.
(2) Cap. 4, 7 et 9 de consecr. eccl.
(3) Cap. ult. eod. ibique gloss.
(4) Can. 27 et 28 de consecr., dist. 1 et cap. unic. de consecr. eccl. in 6.
(5) Can. 8, 9, 20, 36 et cap. 17, quaest. 4, cap. 5 et 9 de Immunit. eccl.
(6) Congreg. Immunit., 5 oct. 1688.
(7) Can. 10 de Immun.
(8) Greg. XIV, Bulla *Ex quo*, tom. 5; Bened. XIII *In supremo*, t. 12; Clem. XII *Officii*, t. 14; Bened. XIV, t. 3.
(9) Bened. XIV Inst. Eccl. 41, 55, 3.
(10) Can. Ecclesiae 28 de consecr.

LIBER SEPTIMUS

De Criminibus et Poenis.

CAPUT I.

DE PECCATIS EXCOMMUNICATIONE RESERVATA DIGNIS.

Ex constitutione Pii IX.

782. Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat, Quamobrem cum animo nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coërcendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes; plenam earundem recensionem fieri, Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oportetet, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

783. Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

I. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

II. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes (1).

III. Schismaticos et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

IV. Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

V. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

VI. Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes edentes, aut auxilium, consilium, vel favorem praestantes (2).

VII. Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones (3): item edentes leges vel Decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.

VIII. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.

IX. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis

(1) Hoc Articulo 2 magna censurarum abrogatio facta est, ac simplex datum principium, ita ut cessent censurae latae pro libris, qui in indicem librorum prohibitorum sunt relati, exceptis illis, qui in hoc articulo memorantur. Quare reliqui omnes libri in dictum Indicem relati sine gravi culpa legi quidem non poterunt, non tamen lectores ceterique, quibus prohibitio extenditur, in censuras incurrent. Item excommunicati sunt, excommunicatione tamen nulli reservata, qui imprimunt vel imprimi faciunt libros de rebus sacris tractantes sine venia Ordinarii, de quibus inferius sanctio statuitur.

(2) Ad hunc Articulum 6 faciunt, recursa ad laicum tribunal in causis ecclesiasticis.

(3) Per verba *praeter canonicas dispositiones*, allusio fit ad Concordata Guberniorum cum Apostolica Sede, quae in vigore permaneant.

ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

x. Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

xi. Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum pertinentes (1).

xii. Invadentes, destruentes, detinentes, per se vel per alios, civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earundem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

CAPUT II.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE ROMANO PONTIFICI RESERVATAE.

784. Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

i. Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema*, 7 julii 1745; *Ubi primum*, 2 julii 1746; *Ad eradicandum*, 28 septembris 1746 (2).

(1) De hoc Articulo 11 exemplum publicum habemus in iis, quae in Italia per Gubernium patrantur, et ad rem facit Allocutio Consistorialis habita die 22 septembris 1867.

(2) Benedictus XIV in Const. *Suprema*, praxim inquirendi a poenitentem nomen vel individuam personam complicis hisce verbis ad Lusitanos scribens reprobavit: " Notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdem a Nobis per praesentes No-

II. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

III. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

IV. Nomen dantes sectae MASSONICAE, aut CARBONARIAE, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates; seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint (1).

V. Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes, aut ausu temerario violantes.

VI. Violantes clausuram monialium cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria, absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes, extra casus ac formam a S. Pio V in Constit. *Decori* praescriptam (2).

stras in forma Brevis litteras reprobari atque damnari tamquam scandalosam et perniciosam, ac tam fame proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab ejusmodi Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem. „

In Const. *Ubi primum*, idem Pontifex priorem confirmans Constitutionem, inter alias sanctiones haec edixit: " Statuentes ac decernentes, ut quicumque... ausus in posterum fuerit docere licitam esse ejusmodi praxim prout ea in relato Nostro Brevi exponitur ac reprobatur; vel scribere aut loqui praesumpserit in ejusdem damnatae praxis defensionem, vel ea, quae in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis ab alio quocumque etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi. „

In Constitut. *Ad eradicandum*, Pontifex, contra pravas opiniones eorum, qui docerent eas Constitutiones non ultra Lusitaniam extendi ad quam missae essent, ita declaravit: " Decernimus et declaramus, memoratam praxim in se ipsa et ubique locorum ac temporum, Apostolica Auctoritate reprobatam atque damnatam esse et censeri debere... „ De his omnibus pertractavimus in hoc volumine in titulo de Sacramento poenitentiae.

(1) Animadverte insuper, quam limitata fuerit obligatio denunciandi Sectarios, quae coërcita est ad denunciandos tantum coriphaeos et duces, si sint occulti.

(2) S. Pius V in Constitutione *Decori*, edita die 24 januarii 1570 haec constituit: " § 1. Sane periculo et scandalo plena res est, ac regulari observantiae vehementer adversatur sanctimoniales aliquando, parentes, fratres, sorores aut alios agnatos vel cognatos, nec non monasteria, et alia filiationes nuncupata, etiam eis subjecta, visitandi, aut infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire, et per saecularium personarum domos discurrere et vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt.

" § 2. Unde nos, malo huic, pro Nostro pastoralis officii debito, salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam Decreto sacri Concilii Tridentini de Clausura Monialium disponenti, ac aliis nostris Litteris desuper hujusmodi clausura editis adjicientes, volumus, sancimus et ordinamus nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve monialium, etiam Carthusiensis, Cisterciensis S. Benedicti, et Mendicantium et quorumcumque aliorum Ordinum, etiam militiarum ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum existentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, de caetero, etiam infirmitatis seu aliorum monasteriorum, etiam eis subjectorum, aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, — nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis leprae aut epidemiae, quae tamen infirmitas praeter alios Ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum

VII. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

VIII. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

IX. Reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

X. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

XI. Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constit. S. Pii V *Quam plenum*, 2 januarii 1569 (1).

XII. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum

seu alium loci Ordinarium, etiam si praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere: — aliter autem quam ut praefertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, nec non concomitantes, ac illarum receptatrices, personas, sive laicas aut saeculares vel ecclesiasticas, consanguineas vel non, excommunicationis majoris latae sententiae vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione, subjacere, a quo, praeter quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant. „ Quae tamen nunc sunt abrogata.

(1) Illi, qui excommunicatione plectuntur ex Constitutione *Quam plenum*, S. Pii V, edita die 2 januarii 1569, sunt Episcopis inferiores. Pontifex in hac Constit. graves quosdam enarrans abusus in querundam facultatum concessione, easque inde concessiones irritat, atque demum poenas sancit, hac ratione: " § 1. Rem profecto indignam audivimus, quod quidam ecclesiarum Hispaniae praesules, et etiam quondam Gomentius Tellezgiron, temporarius, quod magis detestandum est, et simplex administrator ecclesiae Toletanae, gratia gratis accepta pietatis specie abutentes, et facultates a sacris canonibus sibi concessas excedentes, litteras suas in eorum civitatibus et dioecesibus publicare praesumpserunt, quibus, inter cetera pericula, deprehenditur, quod cuicumque illas accipienti, certa soluta pecunia, licitum sit quem voluerit sibi sumere Sacerdotem, qui, confessione audita, ipsum absolvere valeat, non iis tantum casibus in quibus simplex Sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis, quae solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo praeterea casu adjuncto, qui ad examen hujus Sanctae Sedis esset omnino referendus.

" § 2. Ad hanc, ipsi, in dispensandis coelestis gratiae donis nimium prodigus sic litteras praedictas accipientibus indulgentias et poenitentiarum injunctarum remissiones, nulla cum temporali conferendas, profusius passim et indiscrete largiuntur, quibus et alios licentiis praedictis non pauci fluctuantes et infirmi, veniae facilitate inducti, ad peccandum procliviores fiunt, quando tot et tantorum delictorum remissionem certo et vili sine pretio assequi possunt, et [illegible] praeterea casuum ac indulgentiarum sedibus sacris appendi jusserunt, quibus emptores venari videntur, cum palam significetur solventibus suprascripta concedi.

" § 3. Itemque Missae sacrificium et sepulturam tempore interdicti, ciborum prohibitorum usum, assumptionem duorum vel plurium Compatrum ad sacrum baptisma, contra Decretum Concilii Tridentini, praeter eos, qui synodalibus, ut dicunt, constitutionibus asciscuntur, a simoniae reatu absolutionem Sedi Apostolicae reservatam impendant, reparationem ecclesiarum et pias causas praetexentes, ut honesta praescriptione videantur cupiditatis vitium obduxisse.

" § 4. Cum igitur, inter cetera scandala, etiam simoniae pravitas non obscure redoleat, et praedictis sacri Tridentini Concilii Decretis et aliis sanctionibus canonicis, nostrae praeterea Constitutioni de indulgentiis ad quaestum non emittendis adversetur, clavium auctoritas evilescat, et poenitentialis satisfactio enervetur: nos his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris praecavendum fore censentes, motu proprio et ex certa scientia et de Apostolicae potestatis plenitudine, supra dicta omnia, quae in ipso Archiepiscopatu Toletano et quibuscumque aliis civitatibus, dioecesibus et locis, tam Hispaniarum, quam aliarum quarumcumque provinciarum et regionum huc usque, etiam praetextu Confraternitatum erigendarum et quocumque alio, emanarunt, damnamus et execramur ac perpetuo abolemus, nullaque et irrita fuisse et esse nunciamus, mandantes litteras et indices.

" § 5. Nec non scripturas et monumenta quaecumque publica et privata per ipsos locorum Ordinarios et alios ecclesiarum rectores, ubicumque reperientur, dilacerari, confringi penitusque deleri; et ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur vel concedantur, districtius prohibemus.

" § 6. Quicumque, etiam si Cardinalatus honore praefulgeant, secus egerint seu contenderint attentari, ab ingressu et perceptione fructuum suarum ecclesiarum, tamdiu suspensi jaceant, donec, satisfactione praevia, illis per Sedem praedictam suspensio relaxetur; *inferiores vero ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant*, a qua nisi in mortis articulo constituti ab aliis quam Romano Pontifice absolvi non [illegible] [illegible] [illegible] _

captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

XIII. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet nos*, quarto Kalendas aprilis 1567; Innocentii IX *Quae ab hac Sede*, pridie nonas novembris 1591; Clementis VIII *Ad Romani Pontificis curam*, 26 junii 1592 et Alexandri VII *Inter ceteras*, nono Kalendas novembris 1660 alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus (1).

XIV. Religiosos praesumentes clericis, aut laicis extra casum necessitatis, Sacramentum extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

XV. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, iisque auxilium vel favorem praebentes.

XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum per-

(1) In Constitutione *Admonet nos*, solemnissime edita a S. Pio V excommunicatione mulctantur omnes illi, qui per se vel per alios agere studeant sive insinuare vel suadere Romano Pontifici alienationem vel infeudationem civitatum seu locorum ad S. Sedem pertinentium ex quovis praetextu, etiam necessitatis vel evidentis utilitatis. Ita autem se habet Constitutio: " § 3. Statuimusque et decernimus, quod omnes et singulae, tam Communitates et Universitates, quam cives et incolae civitatum et locorum praedictorum *(quae Sanctae Sedi in temporalibus sunt subjecta)*, aliaeque quaecumque personae tum ecclesiasticae, tum saeculares, cujusvis dignitatis et ordinis, etiam episcopalis vel majoris, existentes, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, tam publice in consiliis civitatum et locorum praefatorum, quam privatim alibi in quibusvis locis, etiamsi civitatum et terrarum earumdemque Gubernatores aut Sedis Apostolicae Legati vel Pro-Legati existant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus de civitatibus et locis praefatis immediate ad Nos et Sedem praefatam spectantibus et pertinentibus, etiam devolutis, etiam in feudum communiter et plures dari solitis, etiam ex causa permutationis vel sub annuo censu aut canone, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis vel evidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis a Nobis et Sede praefata quibusvis personis, cujusvis dignitatis, status, gradus, etiam Nobis et successoribus Nostris secundum carnem conjunctis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aut quavis alia temporali vel ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, seu quemvis alium titulum, ad vitam vel in perpetuum vel longum tempus, aut etiam ad Sedis Apostolicae beneplacitum, civitatum et locorum praefatorum, ac propterea de eligendis oratoribus ad Nos et successores Nostros super praemissis vel illorum occasione mittendis, proponentes, tam ipsi quam oratores munus hujusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationes hujusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se vel alium seu alios, insinuantes vel suadentes eo ipsa sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant. „

Innocentius IX in Constitutione *Quae ab hac Sancta Sede*, in primo Consistorio secreto post suam electionem ad Pontificatum insernit integram Constitutionem *Admonet*, S. Pii V atque commemorans, Gregorium XIII Const. *Inter*, Sixtum V Const. *Quanta*, et Gregorium XIV jurasse eam Pianam Constitutionem servaturos eandemque adprobasse, confirmasse et innovasse, ita ipse Innocentius eam iterum approbavit, confirmavit, innovavit, et prohibitionem infeudandi et alienandi dictas Civitates, terras et loca uberius quoque explicavit.

Clemens VIII in Constitutione *Ad Romani Pontificis curam*, iterum confirmavit utramque Constitutionem: immo derogavit cuidam moderamini quod induxerat Gregorius XIV, atque explicavit quomodo sub juramentum de non alienandis civitatibus et locis cadere possint casus necessitatis et evidentis utilitatis, his verbis: " Cum hujusmodi casus absolutae necessitatis, aut verae et evidentis utilitatis facilius mente atque animo concipi et effingi, quam usu venire possint, multo magis expedire omnem prorsus alienationum et investiturarum, prorogationum et aliarum concessionum, quomodocumque et sub quibuscumque causis et praetextibus attentandi viam omnino praecludere, quam ob rarissimos casus, qui vix unquam contingere possunt, apertam relinquere. „

Alexander VII in Constitutione *Inter ceteras animi*, easdem citatas Constitutiones referens iterum enucleatius declaravit et confirmavit.

sonis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

CAPUT III.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE EPISCOPIS SIVE ORDINARIIS RESERVATAE.

785. Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus:

I. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

II. Procurantes abortum, effectu sequuto.

III. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

786. Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjacere declaramus:

I. Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

II. Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

III. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* De Reb. Ecc. non alienandis (1).

(1 Constitutio *Ambitiosae*, quae legitur in Sexto Decretalium lib. 3, *Extrav. Commun.*, cap. unic. de rebus Ecclesiae non alienandis, edita fuit a Paulo II anno 1467, quaeque quotidie allegatur ubi agitur de contractibus rerum Ecclesiae, tenoris est qui sequitur: " Ambitiosae cupiditati illorum praecipue, qui divinis et humanis affectatis, damnatione postposita, *immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata*, ex quibus Ecclesiae, Monasteria et pia Loca reguntur illustranturque, et eorum Ministri sibi alimoniam vindicant, profanis usibus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento, exquisitis mediis usurpare praesumunt, occurrere cupientes, — omnium rerum et bonorumecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, nec non infeudationem vel contractum emphyteuticum, — praeterquam in casibus jure expressis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et tunc *Ecclesiarum evidenti utilitate*, ac de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Constitutione, *Fieri prohibemus*. Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, prohibitionibus et Decretis aliis super hoc editis, quae tenore praesentium innovamus, in suo nihilominus robore permansuris. Si quis autem contra hujus nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem — quicquam alienare praesumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio conductio, et infeudatio hujusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quam in alienatas res, et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.— Alienanti vero bona Ecclesiarum, Monasteriorum, Locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra praesentis Constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus Ecclesiae sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediate sequentes sub interdicto hujusmodi, animo (quod absit) perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem, a regimine et administratione suae Ecclesiae, vel Monasterii cui praesidet, in spiritualibus et temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores vero Praelati, Commendatarii et aliarum Ecclesiarum Rectores beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes. Prioratibus, Praepositurís, Praepositatibus, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, officiis, canonicatibus, praebendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura et sine cura saecularibus et regularibus beneficiis, quorum res et bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant: illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per

IV. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV Constit. *Universi*, 20 augusti 1622, et Benedicto XIV Constit. *Sacramentum poenitentiae*, 1 Junii 1741 (1).

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit. Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV, *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

CAPUT IV.

EXCOMMUNICATIONES LATAE A CONCILIO TRIDENTINO.

787. « Nulli liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem et probationem, hujusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur recognitis per eos libris juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint,

locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis quae propterea privatae fuerint) libere de jure conferri, nisi alias dispositioni Apostolicae Sedi sint specialiter aut generaliter reservata. Nihilominus alienatae res et bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria et Loca pia, ad quae ante alienationem hujusmodi pertinebant, libere revertantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae prohibitionis et innovationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare, praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Marcum anno Dominicae Incarnationis MCCCCLXVII, Calendis Martii, Pontific. Nostri anno III. „ Censura, quae remanet, est excommunicatio.

(1) Casus expressi in Constitutione Gregorii XV *Universi*, ita se habent: “ § 4... Statuimus, decernimus et declaramus, quod omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum regulares, cujuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint, — ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodocumque perpetranda in actu sacramentalis Confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu Confessionis hujusmodi etiam ipsa Confessione non sequuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario aut in loco quocumque, ubi Confessiones sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. „

“ § 7. Mandantes omnibus Confessariis ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes... „

Casus expressi in Constitutione Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae*, sunt qui sequuntur: “ Qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis Confessionis, vel ante vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut praetextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis, in Confessionale sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint. „

eisdem poenis subjaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur (1). »

De usurpatoribus quorumcumque bonorum ecclesiasticorum aut jurium, quorum excommunicatio est Romano Pontifici a Concilio Tridentino reservata.

788. « Si quem clericorum vel laicorum quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, ita tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiae seu cujusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bono, census ac jura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae ejusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit.... Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit eisdem poenis subjaceat..... (2). »

Excommunicatur Magistratus, si ad instantiam Episcopi non praebeat auxilium adversus contradictores clausurae monialium; itemque violantes earum clausuram.

789. « Bonifacii VIII, Constitutionem, quae incipit *Periculoso*, renovans Sancta Synodus universis Episcopis sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium ut praebeatur, omnes Christianos Principes hortatur Sancta Synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda omnibus magistratibus saecularibus injungit (3). »

790. « Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda (4). »

Excommunicantur raptores mulierum eorumdemque consocii.

791. « Decernit Sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum

(1) Conc. Trid., Sess. IV, ex decr. de edit. et usu sacrorum librorum.

(2) Conc. Trid., Sess. XXII, c. 11, de Ref.

(3) Conc. Trid., Sess. XV, c. 5 de reg. (4) Ibid.

posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere censuerit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso jure excommunicati.... (1). »

Excommunicantur
qui libertatem matrimonii contrahendi violant.

792. « Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excaecant, ut viros et mulieres, sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites vel spem magnae haereditatis habente, minis et poenis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserint. Quare, quum maxime nefarium sit matrimonii libertatem violare et ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur, praecipit Sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis, et conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant (2). »

Excommunicantur, qui cogant mulierem ad ingrediendum monasterium, vel impediant.

793. « Anathemati Sancta Synodus subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coëgerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem, praeterquam in casibus in jure expressis (3), ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint (4). »

(1) Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 6 de Reform. matr.

(2) Ibid.

(3) Casus in jure expressi ad hos reducuntur: in cap. 18 de Convers. conjugatorum, Innocentius III, ita legitur ad propositum eidem casum rescripsisse: " Significavit nobis A. mulier, quod, quum ipsa F. viro suo coram Decano Sancti Quiriaci, vice Archiepiscopi Senonensis in hac parte fungente, licentiam concesserit religionem intrandi; continentiae tamen voto eidem injuncto, et recepta fide ab ipsa, quod perpetuo contineret, idem Decanus, post factam professionem a viro praedicto in monasterio in quo habitum assumpserat monachalem, asseruit, ipsam debere Religionem intrare, quamquam id primo non expressisset eidem, et hoc expresso, illi licentiam non dedisset. Quocirca mandamus quatenus si est ita et est talis de qua suspicio haberi non possit, ipsam, votum continentiae observantem, intrare monasterium compelli non permittatis invitam. „ Ex quo capite Glossa sic arguit: " Ex eo enim quod dicit *de qua suspicio haberi non possit non debet compelli*, intelligo quod si sit suspecta, debet compelli religionem intrare ex quo promisit continentiam. „

Item Gregorius IX in cap. 19 eod. tit. alterum consideravit casum, atque ita rescripsit: " Mulieres vero, quae relicto maritali toro lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum a te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vitae conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam poenitentiam ibi agant. „

(4) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 18 de Regul.

Excommunicantur duellantes et reliqui, qui duellum quasi honestum spectaculum permittunt vel adjuvant, vel assistunt.

794. « Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites et quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis... poenam incurrant... Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in jure, quam in facto dederint aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur (1). »

Excommunicantur qui sequentes falsas propositiones docent.

795. « Ne tantum Sacramentum (Eucharistiae) indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessarii, necessario praemittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat (2). »

796. « Dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sunt illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse et parentes ea rata vel irrita facere posse (3). »

CAPUT V.

SUSPENSIONES LATAE SENTENTIAE SUMMO PONTIFICI RESERVATAE.

797. I. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve praelatos de praedictis ecclesiis seu monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint litteras Apostolicas de sua promotione.

II. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel matrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

III. Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut cano-

(1) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 19 de Ref.
(2) Sess. XIII, can. 11 de Euch.
(3) Sess. XXIV, cap. 1 de Ref. matr.

nicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

IV. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

V. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

VI. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico, vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

VII. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint; nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum (1).

Interdicta latae sententiae reservata.

798. I. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale futurum Concilium appellantia.

II. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel à jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam comtempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit. Nos pari modo suspensione vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

CAPUT VI.

DE SUSPENSIONIBUS VEL INTERDICTIS A CONCILIO TRIDENTINO LATIS.

Suspenduntur qui violant canones de sacra Ordinatione.

799. « Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus

(1) Pius IX Const. *Apostolicae Sedis.*

id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum Ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire sit suspensus (1).»

800. « Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare (2). »

801. « Non liceat Capitulis sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus, gaudeant. In majoribus vero ab exsecutione Ordinum ad beneplacitum futuri praelati sint ipso jure suspensi (3). »

802. « Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjecta tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exsecutione Ordinum sint ipso jure suspensi (4). »

803. « Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre; nec ipsi Abbatis et alii exempti, aut Collegia vel Capitula quaecumque, etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in hujus Sanctae Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui contra hujus Sanctae Synodi sub Paulo III Decretum (5) a Capitulo episcopali sede vacante litteras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in jurisdictione Episcopi, loco Capituli sede vacante succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi (6). »

804. « Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cujusvis ordinis re-

(1) Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. 8 de Ref.
(2) Ibid., cap. 14 de Ref.
(3) Sess. VII, cap. 10 de Ref.
(4) Ibid., Sess. VI, cap. 5 de Ref.
(5) Hoc Decretum est illud Sessionis VII, c. 10, modo relatum.
(6) Sess. XXIII, cap. 10 de Ref.

sederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae; absque sui proprii praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis ad aliquos sacros aut minores Ordines vel primam Tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione Ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso jure sint suspensi (1).

Interdicuntur Episcopi,
qui non denunciant Episcopos illegitime absentes.

805. « Crescente vero contumacia (*Episcopi absentis ultra secundum semestre tempus)* ut severiori ss. canonum censurae subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur (2). »

806. « Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine *(concubinatus)* non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi (3).»

807. Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium, nec non quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus (4).

808. Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet coetui, ordini, congregationi, societati, et instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari praedicto, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis qui-

(1) Conc. Trid., Sess. XIV, cap. 2 de Ref.
(2) Sess. VI, cap. 1 de Reform.
(3) Sess. XXV, cap. 14 de Ref.
(4) Pius IX Const. *Apostolicae Sedis.*

buslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus (1).

809. Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam Sess. XXIV, cap. VI, *de reform.*, in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

(1) Pius IX Const. *Apostolicae Sedis*.

CAPUT VII.

DE IRREGULARITATE EX DELICTO.

810. Irregularitatem contrahit christianus sive pro delicto majorum suorum, sive pro crimine proprio. Irregulares sunt ideo filii illegitimi ex fornicatione, seu adulterio vel ex matrimonio tantum civili, aut ex conjugio sacrilego eorum qui vel ordine sacro, vel religiosa solemni professione erant ligati, vel si monialis professa voto solemni castitatis contraxerit matrimonium cum viro soluto (2). Expositi irregulares non sunt, quando non constat eos esse filios illegitimos, et ad ordinem promoti non indigent dispensatione (3).

811. Irregulares sunt quoque bigami idest plurium uxorum viri, cum quibus successive contraxerunt et consummarunt matrimonium. Hinc bigami non sunt, qui cum pluribus fornicati sunt. Bigamia potest esse etiam interpretativa quando qui duxit in uxorem viduam jam cognitam, quamvis invalide duxerit, vel ab alio corruptam licet vir ignoraverit quando cognovit uxorem suam, sed post

(2) Cap. 1 et ult. de filiis presb.
(3) Constitut. 22. Sixt. IV, apud De-Petra.

illius adulterium licet occultum aut extortum, vel duo matrimonia contraxit etiamsi aliquo impedimento invalida et consummaverit. Similitudinaria habetur bigamia, quando attentatur, licet inaniter matrimonium, cum quis post sacri ordini susceptionem vel Religiosam professionem solemnem contrahit quantum est ex se (esto invalide) matrimonium et consumat (1).

812. Irregulares sunt infames ob sententiam judicis competentis, aut eos declarantis de enormi crimine convictos, aut eos damnantis ad infamantem poenam, vel ob notitiam publicam criminis ejusdem vel ob exercitium artis ignominiosae, vel aliquando ob alterius infamiam quae in eos redundet. Enormia crimina principaliter sunt homicidium, perjurium in judicio, haeresis, simonia, crimen laesae majestatis, proditio, rapina, lenocinium exercitium usurarum, invasio Episcoporum vel Cardinalium, raptus mulierum, duellum, armorum paratio in parentes; et caetera, quae attentis circumstantiis, hominem vilis et abjectae aestimationis apud pios et prudentes reddunt (2). Poena vero ex qua oritur infamia est damnatio ad triremes. Filii damnatorum ob crimen laesae majestatis, filii haereticorum, et nati ex matre meretrice (post parentum videlicet delictum) irregulares sunt. Ob notitiam publicam denique criminis, ex quo infamia consequitur, incurritur irregularitas si proposita crimina ordine judiciario comprobata, si vero non ita vel alias notoria non fuerint, non debent praeter reos homicidii in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri.

813. Irregulares sunt curialistae, qui nempe in criminalibus curiae saeculari serviunt, milites, et reipublicae administratores, donec eidem officio consentiente Principe non valedixerint (3). Irregularis est laicus qui in bello offensivo justo aliquem propria manu mutilat vel occidit (4). In bellis injustis omnes ex delicto sunt irregulares (5). Qui enim alium occidit non aggrediendo, sed suam vitam in discrimine positam defendendo, non fit irregularis; idem est si bellum justum ad defendendam patriam vel Ecclesiam suscipiatur: quod valet etiam de clerico, si justum bellum ineat, quando urgentia est, nec laici sufficiant.

814. Clerici in sacris, aut monachi medentes cum adustione vel incisione, si inde mors vel mutilatio sequatur, licet sint in arte periti: modo tamen id egerint extra casum necessitatis irregularitatem incurrunt (6). Irregulares quoque sunt omnes qui cooperantur in judicio licet justo ad mortem vel mutilationem active, et efficaciter et proxime (7).

CAPUT VIII.

DE DUELLIS ET PUGNA CUM BESTIIS.

815. Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut

(1) Decr. ex toto tit. de Bigamis et cap. 4 de cler. conjug.
(2) Ex c. Eccl. S. Matr.; cap. Infames caus, 6, q. 1.
(3) Cap. un. de obl. ad rationem; cap. 2 et 5, d. 51.
(4) Bened. XIV, Notific. c. 1.
(5) In Clement. Si furiosus de homic. et cap. Pervenit 2 de Immun. Eccl.
(6) Cap. Sententiam.
(7) Clem. si furiosus de hom., cap, cit. Sentent.

cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur. Imperatores, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, et quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione et dominio indigni. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis ac omnium bonorum suorum proscriptionis ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae, juxta sacros canones, puniri debeant, et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam qui consilium in causa duelli tam in jure, quam facto dederint; nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur, non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine etiam immemorabili (1).

816. Duellorum prohibitio, et poenae quae prohibitioni sunt adnexae, extenduntur adversus illos etiam omnes, qui non publice, sed privatim, ex condicto, statuto tempore, et in loco conventu monomachiam commisissent etiam patrinis, sociisve non vocatis, et loci securitate non habita, et provocatoriis literis minime praecedentibus, etiam contra locorum dominos, si id (quantum in se fuerit) non prohibuissent, caeterosque supradictos criminis socios, et ex composito spectatores, etiamsi pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, et per eos non stetisset quominus pugnarent (2).

817. Insuper decretum atque declaratum est supradictas prohibitiones atque sanctiones et poenas locum habere ubique gentium et terrarum inter quascumque personas, etiam armatas et in castris, seu propugnaculis militantes, etiam ubi Sanctae Romanae Ecclesiae, aut catholicae fidei hostium furor impune grassatur, vel in dominiis per eos occupatis et detentis. Idem quoque juris censendum esse, si publico, et forsan justo bello indicto, miles aliquis alterum in adversariorum exercitu militantem, sive alias in hostium castris, praesidiis aut terris degentem, privatas simultates atque inimicitias publicae causae intermiscendo, etiam Ducum permissu, ex condicto ad singulare certamen descendat, aut illum provocet. Nec non iisdem poenis et prohibitionibus teneri inter quos pactiones initae sint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrimque illatus fuerit. Vel si convenerint, ut non singuli, sed bini terni aut plures hinc inde pugnent et non solum locorum dominos, sed etiam magistratus, praesides, locum tenentes aut etiam militum duces et capitaneos in castris, vel extra ea in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitus adversariorum monomachiam in quocumque casu per praesentem, vel alias Constitutiones hujusmodi prohi-

(1) Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 19 et c. Monomachiam, 2, 9, 4, et c. 1 de torneam. Nicolaus I. Decret. tit. 12.

(2) Greg. XIII, Const. *Ad collarium*.

bito, permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, aut post dimissum crimen veniam et impunitatem concedentes.

818. Praeterea pari ratione prohibentur omnia et singula ejus generis scripta, manifesta, seu fides vulgo appellata, quae etiam sine expressa provocatione ad certam pugnam tamen praeparatoria quaedam ad chartulas, seu libellos provocatorios et ad duellum, illorumque veluti radices, aut semina ut plurimum lacessendi aliquam ad pugnam et suscitandae simultatis atque inimicitiae materiam et occasionem praebent. Dum scilicet in illis per modum epistolae, libelli, aut publicae attestationis et intimationis, sive per authentica documenta, sive per unius, pluriumve chirographum, subscriptiones, aut relationes, sub praetextu proprii, vel alieni honoris et famae more militari atque ut vulgo dicitur *Cavalleresco* tuendi, aut laedendi, sive ad illatae, propulsataeve contumeliae, aut injuriae probationem, seu tollendam illius suspicionem rei alicujus gestae ad id pertinentis, vel verborum aut responsionum series, et ordo narratur, vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeo firmiter asseritur, aut negatur, ut qui contradixerit iis, sive nominatim, sive in genere, mendacii arguatur, aut mentiri dicatur. Aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine quaeritur ut declaratur, respondetur qua mente, aut quo sensu quippiam ejusmodi, quod ad superius expressa spectet, gestum dictumve sit. Vel denique offert se quisquam contra certam, vel incertam, vel generatim contra quemcumque ad probandam armis et verificandum etiam initio certaminis aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse. Nec non quascumque etiam sine scripto factas talium rerum supradicta quoque concernentium, et ab hujusmodi causas in locis publicis, vel privatis, ubi hominum multitudo convenire soleat, denunciatione, narratione, declarationes et testificationes. Iisdem poenis subjici decretum est, quae superius expressa sunt, eos omnes et singulos, qui suo, vel alieno nomine, ad effectum, de quo superius dictum est, praedicta, vel his similia, multoque magis ad certandum provocatoria scripta, libellos, epistolas, earumve exempla dictaverint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, divulgaverint, affixerint exemplaverint, typis impresserint, subscripserint, intimaverint, et vel etiam verbo denunciaverint sive attestati fuerint. Quive aliis ad singulare certamen publice vel occulte ineundum vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive ad hujus generis scripta, quae manifesta, quaeque chartulae provocatoriae appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, defendendo, divulgando auxilium, consilium, operam, vel favorem praestiterint.

819. Sicut detestabilis duellorum usus a diabolo introductus ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ita detestabilis quoque est diabolica quaedam inventio qua plurimi ad ostentationem virium suarum et audaciae in publicis privatisque spectaculis cum tauris et

aliis bestiis congredi non cessant, unde etiam hominum mortes, membrorum mutilationes, animarumque pericula frequenter oriuntur. Omnibus proinde et singulis principibus christianis, quacumque tam ecclesiastica, quam mundana, etiam imperiali, regia vel quavis alia dignitate fulgentibus, et quovis nomine nuncupentur, vel quibusvis, communitatibus et rebus publicis sub excommunicationis et anathematis poenis ipso facto incurrendis prohibetur et interdicitur, ne in suis provinciis, civitatibus, terris, oppidis et locis hujusmodi spectacula, ubi taurorum aliarumque ferarum bestiarum agitationes exercentur, fieri permittant. Militibus quoque, caeterisque aliis personis, ne cum tauris et aliis in praefatis spectaculis, ipsi tam pedestres, quam equestres congredi audeant, interdicitur. Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit ecclesiastica careat sepultura. Clericis quoque tam regularibus, quam saecularibus beneficia ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris ordinibus constitutis, sub excommunicationis poena ne eisdem spectaculis intersint, similiter prohibetur. Omnesque obligationes, juramenta et vota quibusvis personis, universitate, vel collegio hujusmodi taurorum agitatione, etiam ut ipsi falso arbitrantur in honorem sanctorum, seu quarumvis ecclesiasticarum solemnitatum, et festivitatum, quae divinis laudibus, spiritualibus gaudiis piisque operibus, non hujusmodi ludis celebrari et honorari debent hactenus factas et facta, seu in futurum fienda, quae omnino sunt prohibita cassantur, annullantur, et pro cassis, nullis et irritis haberi perpetuo declarantur. Universis venerabilibus Patriarchis, Primatibus, Arhiepiscopis et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis in virtutem sanctae obedientiae sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis aeternae praecipitur ut in civitatibus et dioecesibus propriis haec vetita spectacula prohibeant (1).

CAPUT IX.

DE POENA DEGRADATIONIS.

820. Cum vero tam gravia nonnunquam sint delicta ab Ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem a sacris ordinibus deponendae, et curiae sint tradendae saeculari, in quo secundum sacros canones certus Episcoporum numerus requiritur, quos si omnes adhibere difficile esset, debita juris executio differretur; si quando autem intervenire possent, eorum residentia intermitteretur; propterea statutum est et decretum, Episcopo per se, seu illius Vicarium in spiritualibus Generalem contra Clericum, in sacris etiam Presbyteratus ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem; et per se ipsum etiam ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis ordinibus, et gradibus Ecclesiasticis in casibus, in quibus aliorum Episcoporum praesentia in numero, a canonibus definito, requiritur, etiam absque illis procedere liceat, adhibitis tamen, et in hoc assisten-

(1) Pius V, Constit. *De salute*, 1567.

tibus totidem Abbatibus, usum mitrae et baculi et privilegio Apostolico habentibus, si in civitate, aut dioecesi reperiri et commode interesse possint, alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves ac juris scientia commendabiles existant (1).

821. Si presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis Episcopus proprius legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petierint, id est una secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tribus, ipsorum causas discutiat, eorum dierum; si et dilatione, et a communione remotionum, et discussione personarum, inter accusatores, et eos, qui accusantur, forma servata. Reliquorum autem clericorum causas etiam solus Episcopus loci agnoscat et finiat (2).

822. Verbalis degradatio, seu depositio ab ordinibus, vel gradibus Ecclesiasticis est a proprio Episcopo sibi assistente in degradatione Clericorum in sacris constitutorum ordinibus, certo Episcoporum numero definito canonibus facienda. Quamquam proprii Episcopi sententia sine aliorum Episcoporum praesentia sufficiat in degradatione eorum qui minores ordines receperunt. Actualis vero, sive solemnis (coelestis militiae militis, idest clerici degradatio), cum ad eam fuerit procedendum fiet ut exauctoratio ejus, qui militiae deservivit armatae, cui militaria detrahuntur insignia, sicque a militia remotus castris rejicitur, privatus consortio, et privilegio militari. Clericus igitur degradandus vestibus sacris indutus in manibus habens librum, vas vel alius instrumentum ad ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare ad Episcopi praesentiam adducatur. Cui Episcopus publice singula, sive sint vestes, calix, liber, sive quaevis alia, quae illi juxta morem ordinandorum clericorum in sua ordinatione ab Episcopo fuerint tradita seu collata singulariter auferat, ab illo vestimento seu ornamento, quod datum, vel traditum fuerat ultimo, inchoando, et descendendo gradatim, degradationem continuet usque ad primam vestem, quae datur in collatione tonsurae, tumque radatur caput illius seu tondeatur, ne tonsurae, seu clericatus vestigium remaneat in eodem. Poterit autem Episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis aliquibus ad terrorem illis oppositis, quae in collatione ordinum sunt prolata, dicendo presbytero haec vel similia verba in remotione Planetae: « Auferimus tibi vestem sacerdotalem, et te honore sacerdotali privamus. » Sicque in remotione reliquorum insignium similibus verbis utens; in ablatione ultimi, quod in collatione ordinum fuit primum, hoc vel alio simili modo pronunciet sive dicat: « Auctoritate Dei Omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti et Nostra tibi auferimus habitum clericalem et deponimus, degradamus, spoliamus, et exuimus te omni ordine, beneficio et privilegio clericali (3). »

(1) Sess. XIII, cap. 4, Conc. Trid.
(2) Ex Concil. Carthag. 3, cap. 8.
(3) Bonifacius VIII in lib. 5, tit. 9, cap. 2 de poenit. sive remiss. in 6.

LIBER OCTAVUS.

De Judiciis.

CAPUT I.

REGULAE GENERALES.

823. Causae omnes (1) ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur: atque omnino, saltem infra biennium a die motae litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum judices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, et quamprimum terminari curent, nec antea aliis committantur, nec avocentur: neque appellationes ab eisdem interpositae per Superiores quoscumque recipiantur; eorumve commissio, aut inhibitio fiat, nisi a definitiva, vel a definitivae vim habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. Ab his excipiantur causae, quae juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandae; vel quas ex urgenti, rationabilique causa judicaverit Summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum signaturae Sanctitatis Suae, manu propria subscribendum, committere aut avocare. Ad haec causae matrimoniales, et criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini, et jurisdictioni relinquantur: etiamsi in praesenti inter Episcopum et Decanum, seu Archidiaconum, aut alios inferiores super caussarum istarum cognitione iis aliqua in quacumque instantia pendeat, coram quo, si pars vere paupertatem probaverit non cogatur extra provinciam, nec in secunda, nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare; nisi pars altera et alimenta, et expensas litis velit subministrare. Legati quoque etiam de latere, Nuntii, Gubernatores ecclesiastici, aut alii quarumcumque facultatum vigore, non solum Episcopos in praedictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis praeripere, aut turbare non praesumant; sed nec etiam contra clericos, aliasve personas ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente, procèdant: alias eorum processus ordi-

(1) Totus hic liber de judiciis ex operibus Laccellotti desumpsimus quippe qui fecit id, quod nos in hoc opere [illegible] perficere. Collegit enim ad verbum canones disciplinares quae ad judicia, et judiciorum formam pertinent. Haec verba canonum sunt, quae ipse summo intexuit labore. Aliquae modificationes a nobis quibus tam articuli hic adhibita sunt prout Ecclesiae dictavit post [illegible] canonibus judiciariis.

nationesve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur. Praeterea si quis in casibus a jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit; seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium judicem recurrerit; teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad judicem appellationis expensis suis transferre: eodem Episcopo prius admonito, ut, si quid ei pro causae instructione videbitur possit judici appellationis significare. Quod si appellatus compareat, cogatur tunc is quoque actorum, quae translata sunt, expensas, pro portione sua, si illis uti voluerit, subire; nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porro ipsam actorum copiam teneatur notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citius, et ad minus intra mensem exhibere. Qui Notarius si indifferenda exhibitione fraudem fecerit; ab officii administratione arbitrio Ordinarii suspendatur, et ad dupli poenam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem, et pauperes loci distribuendam, compellatur. Judex vero si et ipse impedimenti hujus conscius, participesve fuerit, aliterve obstiterit, ne appellanti integre acta intra tempus traderentur; ad eandem dupli poenam, prout supra, teneatur: non obstantibus quoad omnia suprascripta, privilegiis, indultis, concordiis, quae suos tantum teneant auctores, et aliis quibuscumque consuetudinibus (1).

824. A sententia Episcopi, vel ipsius in spiritualibus Vicarii Generalis, in criminalibus appellationis causa, ubi appellationi locus fuerit, si Apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, Metropolitano, seu illius etiam Vicario in spiritualibus generali, aut si ille aliqua de causa suspectus foret, vel ultra duas legales dietas distet, seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus Episcopis, seu illorum Vicariis, non autem inferioribus judicibus, committatur (2).

825. Reus ab Episcopo, aut ejus Vicario in spiritualibus generali in criminali causa appellans, coram judice, ad quem appellavit, acta primae instantiae omnino producat: et judex, nisi illis visis, ad ejus absolutionem minime procedat. Is autem: a quo appellatum fuerit, intra xxx dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat: alioquin absque illis causa appellationis hujusmodi, prout justitia suaserit terminetur (3).

826. Et quoniam per fictas causas, quae tamen satis probabiles videntur, interdum accidit ut nonnulli ejusmodi gratias extorqueant, per quas poenae illis Episcoporum justa severitate inflictae aut remittuntur omnino, aut minuuntur; cum non ferendum sit, ut mendacium, quod tantopere Deo displicet, non modo ipsum impunitum sit, verum etiam alterius delicti veniam impetret mentiendi: idcirco statutum est, et decretum quod Episcopus apud ecclesiam suam residens, de surreptione, et obreptione gratiae, quae super absolutione alicujus publici

(1) Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 20.

(2) Conc. Trid., Sess. XIII, cap. 2.

(3) Ibid. cap. 3.

criminis, vel delicti, de quo ipse inquirere coeperat, aut remissione poenae, ad quam criminosus per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur per seipsum, tamquam Sedis Apostolicae delegatus, etiam summarie cognoscat: ipsamque gratiam, postquam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam esse legitime constiterit non admittat (1).

Quoniam vero subditi Episcopo, tametsi jure correpti fuerint magnopere tamen eum odisse, et tamquam injuria affecti sint, falsa illi crimina objicere solent; ut quoquo pacto possint, ei molestiam exhibeant; cujus vexationis timor plerumque illum ad inquirenda, et punienda eorum delicta segniorem reddit: idcirco ne is magno suo, et Ecclesiae incommodo gregem sibi creditum relinquere, ac non sine Episcopalis dignitati diminutione vagari cogatur, ita statutum est atque decretum, ut Episcopus, nisi ob causam, ex qua deponendus, sive privandus veniret, etiam si ex officio, aut per inquisitionem seu denunciationem vel accusationem, sive alio quovis modo procedatur, ut personaliter compareat; nequaquam citetur, vel moneatur (2).

827. Testes in causa criminali ad informationem vel judicia, seu alias in causa principali contra Episcopum, nisi contestes et bonae conversationis, existimationis, et famae fuerint, non recipiantur; et si odio, temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint gravibus poenis mulctentur (3).

(1) Conc. Trid., Sess. XIII, cap. 6 et c. super litteris, et c. cum delicta de reser.

828. Causae Episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur. Causae igitur propter delictum haeresis (quod absit) ab Episcopo patratum, aut quibusvis criminibus, propter quae depositione ac privatione reus dignus sit, tantum Summo Pontifici erunt cognoscendae, et terminandae. Quod si ejusmodi sit causa, quae necessario extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis, a Beatissimo Papa eligendis. Haec vero commissio specialis sit, et manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata: nec unquam plus his tribuat, quam ut solum acti instructionem sumant, processumque conficiant: quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva. Minores vero criminales causae Episcoporum in Concilio tantum provinciali cognoscantur, et terminentur, vel a deputandis per Concilium provinciale.

829. In exemptorum causis (4) statutum et quod in civilibus causis mercedum et miserabilium personarum clerici saeculares, aut regulares extra monasterium de Sede Apostolica deputatum in partibus habeant; in aliis vero, si ipsum judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipsa Sede dele-

(2) Conc. Trid., Sess. XIII, cap. 6, c. sunt nonnulli 2, q. 7.

(3) Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 5, ex conc. 1. Sardic., c. 3, c. ad abolendum de haer. Bulla Pii V. *Si de praeteriis*, 1569.

(4) Innoc. III, cap. 2, in 6.

gatis, conveniri, et jure medio ad solvendum debitum cogi, et compelli possint: privilegiis exemptionibus, conservatorum deputationibus et eorum inhibitionibus adversus praemissa nequaquam valituris (1).

830. Testes in causa criminali ad informationem vel judicia, seu alias in causa principali contra Episcopum, nisi contestes et bonae conversationis, existimationis et famae fuerint, non recipiantur; et si odio, temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint, gravibus poenis mulctentur (2).

831. A sententia Episcopi vel ipsius in spiritualibus Vicarii Generalis, in criminalibus appellationis causa ubi appellationis locus fuerit, si Apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, Metropolitano, seu illius etiam Vicario in spiritualibus generali, aut, si ille aliqua de causa suspectus foret, vel ultra duas legales dietas distet, seu ab ipso appellatum fuerit uni ex vicinioribus Episcopis, seu illorum Vicariis, non autem inferioribus Judicibus, committatur (3).

832. Reus ab Episcopo aut ejus Vicario in spiritualibus generali, in criminali causa appellans coram judice, ad quem appellavit, acta primae instantiae omnino producat; et judex nisi illis visis, ad ejus absolutionem minime procedat. Is autem, a quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat, alioquin absque illis causa appellationis hujusmodi, prout justitia suaserit terminetur (4).

CAPUT II.

DE GENERIBUS JUDICIORUM.

833. Potest judicium ita describi: Judicium (5) est discussio causae, quae rite fit in foro coram Judice. Causa (6) vero est origo negotii, et materia judicii. Summa divisio judiciorum haec est, quod aut sunt saecularia, aut ecclesiastica. Judicia saecularia sunt, quae coram Judice laico inter personas saeculares exercentur: Ecclesiastica vero sunt quae coram Judice ecclesiastico inter personas ecclesiasticas agitantur. Duo enim sunt (7), quibus principaliter orbis regitur: Auctoritas sacra Pontificum, et Imperialis ac Regia potestas. Unde sicut (8) Civilium Legum non nisi Civilis esse debet executor; ita etiam Ecclesiasticarum Judex ecclesiasticus est administrator.

834. Laicus (9) ergo a laico coram Judice saeculari, non autem ecclesiastico conveniendus erit: quod usque adeo obtinet, ut etiam si alteruter litigantium ab Apostolica Sede literas ad ecclesiasticum Judicem impetraverit, irritae sint, et inanes. Si tamen (10) causa sit hujusmodi, quae ad Ecclesiasticum forum pertineat: qualis est matrimonii, usurarum, perjurii, et similes, licet inter laicos, ecclesiasticus adeundus erit.

(1) Conc. Trid., Sess. VII, cap. 14.
(2) Conc. Trid., Sess. XIII, cap. 7.
(3) Ibid. Sess. XIII, cap. 2.
(4) Ibid. cap. 3.
(5) Vide cap. forus, 10 ext. de verb. sign.
(6) D. cap. form. 10, § causa, ext. de verb. sign.
(7) Can. duo sunt, 10, dist. 96.
(8) Gr. post. can. sicut, 30, XI, quaest. 1, Trid., Sess. XXIV, cap. 20 de Ref.
(9) Cap. licet 10, ext. de foro compet.
(10) Clem. 3 de judic.

835. Idem juris est (1) si vel a saeculari Judice justitia impetrari non potest pro aliquo publico impedimento vel consuetudine (2) loci, vel propter paupertatem (3) personarum ecclesiasticum Judicem compellandum suadeat.

836. Pari ratione (4) tam Milevitanensi (5), quam Chartaginiensi (6) Concilio constitutum est, ne clerici clericos, relicto suo Pontifice, ad publica Judicia sub poena depositionis et amissionis propriorum jurium pertrahant: cui beneficio, cum non sit personale, sed Collegio ecclesiastico indultum, pactionibus privatorum, aut juramento illicito derogari non potest.

837. In Judicem (7) tamen non suum, si is persona sit ecclesiastica, et Episcopi dioecesani consensus accesserit, clerici consentiri poterunt.

838. Quod si inter clericum et laicum contentio sit, ut cognoscatur, utrum ecclesiasticus, an saecularis Judex causam dirimere debeat, dispiciendum erit, quis rei conventi partes sustinet. Nam si clericus (8) apud ecclesiasticum forum; si laicus, apud saecularem erit agitanda causa: cum generale sit, ut actor forum rei sequatur.

839. Cavendum (9) erit igitur laico Judici, ne quoquo modo clericum condemnet: quod si fecerit, ab Ecclesia, cui injuriam irrogare noscitur, tamdiu sequestrandus erit, quousque reatum suum cognoscens emendet.

840. Dubitari tamen contigit, si Judex (10) laicus delinquentem captum detineat, et is se clericum asserens ad Curiam Ecclesiasticam remitti postulet, vel illum Curia ipsa ecclesiastica tamquam clericum reputat; si Judex laicus illum esse clericum inficiatur, et propterea minime remittendum contendat, quis sit hujus dubitationis legitimus futurus Judex? Verum cum de re ecclesiastica et spirituali sit controversia, ad Judicem ecclesiasticum hujusmodi cognitio pertinebit. Judex tamen saecularis, vel alius, cujus intersit, dum res hujusmodi cognoscitur, vocandus erit.

841. Sed si notorium (11) fuerit, vel fama publica extiterit, reum captum talem esse clericum, qui hujusmodi privilegio gaudere debeat, aut ipse pro clerico communiter habeatur; statim ante ullam de clericatu cognitionem ecclesiasticae Curiae restituendus erit.

842. Idem (12) dicendum erit, si ante deprehensionem pro clerico publice se gerens, tonsuram et clericales vestes deferens deprehensus fuerit: donec enim contrarium non constiterit, talis, qualem eum demonstrat habitus, praesumendus erit.

843. Aliud observandum (13), si antequam deprehenderetur, publice se pro laico gerebat, et quasi laicus

(1) Cap. licet 10, ext. de for. compet.
(2) Cap. si Clericus, § ext. cod.
(3) Cap. ex tenore 110, ext. cod.
(4) Cap. si diligenti. 12, ext. de for. compet.
(5) Can. insolita 12. XI, 9. 1.
(6) Can. placuit 11, XI, 9, 1.
(7) Cap. significasti 15, ext. de for. compet.
(8) Cap. si Clericus, § ext. de for. comp.
(9) Cap. nullus 3, ext. cod. t.
(10) Cap. si Judex, 12 de sentent. excomm. in 6.
(11) D. cap. si Judex 12, § et si notorium.. de sent. excom. in 6.
(12) D. cap. si Judex 12, § idem de sent. excom. in 6.
(13) D. cap. si Judex 12, § non sic de sent. excom. in 6.

communiter habebatur: nam quamquam deprehensionis tempore in habitu clericali repertus fuerit; ob praesumptionem, quae adversus captum ex praecedenti laicalis habitus delatione orta est, non antea restituendus erit, quam de clericali titulo fidem fecerit: interim tamen quivis processus Judicis penitus conquiescet.

844. Est et alia divisio judiciorum, nam ecclesiasticorum quaedam sunt ordinaria, quaedam vero extraordinaria, sive delegata. Judicium ordinarium est, quod coram Judicibus ordinariis exercetur. Ordinarius (1) Judex est qui suo jure, vel Superioris beneficio universalem jurisdictionem exercere potest; ut Episcopus, Archiepiscopus, Legatus, et similes. Constituitur autem a lege, vel principe, consuetudine, vel universitate.

845. Igitur cum Episcopus (2) in tota sua dioecesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere, poterit in quolibet loco suae dioecesis non exempto, per se, vel per alium pro tribunali sedere, et ea quae ad ipsius spectant officium, libere exercere, et cum opus fuerit (3), auxilium publicum implorare.

846. Extraordinarium (4), sive Delegatum judicium est, quod coram Judice delegato exercetur. Judex delegatus (5) est is, cui ab eo, qui demandare potest, causa committitur.

847. Possunt autem jurisdictionem mandare, non solum Princeps, verum etiam alii Ordinarii. Is tamen, cui a Principe mandatur, ceteris longe praestat. Nam et alteri (6) ex causa subdelegare, nisi illius electa fuerit industria, renitentemque compellere, et propriam (7) sententiam exequi, et contra ipsum Ordinarium procedere potest: quae in ceteris Delegatis non obtinent.

848. Non tamen (8) in civili Judicio alterutri parti, ut coram se personaliter compareat, jubere poterit: nisi vel mandatum ad hoc speciale receperit; vel nisi pro veritate dicenda, vel pro juramento calumniae exhibendo, vel alia juris necessitas partes coram exigat specialiter praesentari.

849. Sed nec omnibus (9) promiscue vices suas demandare poterit, sed illis dumtaxat, quibus auctoritate literarum Sedis Apostolicae, vel Legatorum ejusdem causae committuntur: hoc est, non nisi dignitate praedictis, aut personatum obtinentibus, vel ecclesiarum cathedralium Canonicis.

850. Item mandari (10) potest jurisdictio, tam uni, quam pluribus, certis tamen. Sed si pluribus mandata sit, non adjecto eo: *Quod si omnes interesse nequiverint, vel noluerint, reliqui exequantur:* nisi simul omnes conjunctim processerint, quiquid aliqui fecerint, nullam juris habebit efficaciam.

(1) Vide Hostiens. in Summa de offic. Ordin. § 1.
(2) Cap. cum Episcopus 7, ext. de offic. Ordin. in 6.
(3) V. cap. 1, ext. de offic. Jud. ordin.
(4) Glossa in cap. quoniam contra 11 verb. extraordinario, ext. de probat.
(5) V. Hostiens. in Summa.
(6) Cap. ult. ext. de offic. deleg.
(7) Cap. significasti 7, ext. de offic. deleg.
(8) Cap. 1 de Judic. in 6.
(9) Cap. statutum 11 in princ. de rescript. in 6, Trid. Sess. XXV, cap. 10 de reform.
(10) Cap. prudentiam 21 in princ. ext. de offic. deleg.

851. Plane si is (1), qui interesse non potest, vel Conjudici suo, vel alii vices suas commiserit, perinde res accipienda est, atque si omnes simul procedant.

852. Aliud juris est (2) si illud adjectum sit. Nam nec impeditorum collegarum Subdelegatos admittere cogendi erunt: et quod pars illorum fecerit, ratum habendum erit.

853. Hoc tamen (3) ita demum obtinebit, si reliquis procedere volentibus, quosdam vel interesse non posse, vel omnino nolle legitime constiterit: alioquin procedentes nihil agent.

854. Porro (4) uno illorum commissum negotium inchoante, alii ulterius se intromittere non poterunt, nisi aut infirmitate, vel alia justa causa, illum, qui causam tractare incoeperit, contigerit impediri, aut idem nollet, vel dolo malo in eo procedere recusaret.

855. Jurisdictione (5) vero per unum vivo mandatore perpetuata, quoad omnes condelegatos Judices perpetuata intelligitur.

856. Sed sive uni, sive pluribus, sive a Principe, sive ab alio mandata fuerit jurisdictio, mandati forma (6) diligenter custodienda erit; nec aliquid contra quam sibi mandatum fuerit, Delegatus tentare audebit.

857. Plane jurisdictionem impedientes (7) vel in judicium venire detrectantes (8), Delegatus a Principe ecclesiastica districtione, etiam si literae commissionis id non contineant, coërcere poterit, vel pro delicti et causae qualitate, secundum arbitrium suum; si certa poena a Canonibus non exprimatur, mulctare: quia ex eo, quod alicui causa committitur, super omnibus, quae ad causam ipsam spectare noscuntur, plenam recipit potestatem.

858. Rationabiles (9) quoque et honestas exceptiones, et a juris aequitate non abhorrentes, licet id expresse mandato non comprehendatur admittet; nisi, quod nullae debeant exceptiones admitti, literis expressum fuerit.

859. Sed et si literae (10) adversus aliquem ab Apostolico impetratae sint et is, ut mandatum eludat, antequam literae ad judicem datum perveniant; vel etiam postea antequam citetur, de possessione, de qua controversia vertitur, communicationem fecerit; eum, qui in possessionem sese ingesserit, poterit Delegatus cogere, ut coram se juris pareat aequitati; nec, quod rescriptum contra aliquem impetratum fuerit, opponi poterit. Generaliter enim omnis venditio, cessio, et alienatio judicii mutandi causa facta, utroque Jure prohibetur. Alias delegata jurisdictio (11) ad personas rescripto non comprehensas, etiam ipsis volentibus, prorogari non potest.

860. Simili ratione statutum (12)

(1) Cap. quamvis 6, ext. de offic. deleg.
(2) Cap. coram 34, ext. de offic. deleg.
(3 D. cap. prudentiam 21, § 1 ext. de offic. deleg.
(4) Cap. cum plures 8 de offic. deleg. in 6.
(5) D. cap. cum plures 8, in fin. de offic. deleg. in 6.
(6) Cap. venerabili 17, ext. de offic. deleg.
(7) Cap. 1 ext. de offic. deleg.
(8) Cap. praeterea 5, ext. cod.
(9) Cap. ex parte 13, ext. de offic. deleg.
(10) Cap. ex parte 2, ext. de alienat. judic. mut. caus. fact.
(11) Cap. P. et G. 40 in fin. ext. de offic. deleg.
(12) Cap. statuimus 12 de offic. deleg. in 6.

est, ut si is, per quem ab Apostolica Sede certo loco inquisitio, vel quid aliud expediri mandatur: ob illius potentiam, vel malitiam, contra quem inquiri, vel procedi mandatur, vel fautorum ejus ex eo loco secure mandatum executioni mandari nequeat: ad id exequendum locum securum, et idoneum eligere valeat, ne quis scilicet ex proprio dolo, vel fraude commodum reportet. Quin immo, idem faciet, si alia probabilis causa subsit, propter quam in loco decreto perfici commode nequeat, quod mandatur, ne tali praetextu impediri contingat mandatum Apostolicum, vel differri.

861. Solvitur autem delegatio multis modis: puta revocatione, morte, impotentia Delegati, executione sententiae, propria pronunciatione, temporis fluxu, recusatione, revocatione, cum is (1), qui mandavit jurisdictionem, antequam is, cui mandata fuerit, ea uti coeperit, mandatum revocat: cum eo casu jurisdictio in eum efficaciter transisse non censeatur.

862. Morte extinguitur delegatio, tam ejus qui mandavit, si re integra decesserit (2); quam etiam eorum qui delegationem susceperunt; quod quidem adeo obtinet, ut si pluribus judicibus datis unus (3) rebus eximatur humanis, delegatio etiam quoad superstites expiret; nisi aliud in delegatione comprehensum fuerit, aut sub dignitatis (4) nomine non proprio facta fuerit.

863. Quaesitum est (5), si ab Apostolica Sede datus judex quoties eum abesse contigerit, vices tibi suas commiserit, an si is rebus eximatur humanis, commissum tibi negotium libere valeas definire? Et cum tunc quoque censeatur abesse, rescriptum est si illo vivente jurisdictione uti coeperit, posse te non secus, ac si is viveret, et abesset, in negotio, procedere. Idem juris est; si tibi vices sub ea forma committat, donec eas revocandas duxerit.

864. Sed etsi Delegatus mortuus quidem non fuerit, ita tamen impediatur (6), ut omnino delegationis negotio interesse non possit, extinguitur delegatio. Impedimentum autem intelligitur, tam juris, quam facti. Juris, ut si infamis factus, aut alio legitimo impedimento detentus fuerit. Facti, ut si inevitabili necessitatis articulo, puta infirmitate, praepediatur.

865. Idem juris est (7) si Delegatus a Principe per se, vel per alium sententiam executioni mandavit, vel mandari praecepit. Tunc enim ejus jurisdictio cessat, quia semel est officio suo functus.

866. Item si Judex (8) delegatus interloquendo pronunciaverit se super aliqua causa procedere non debere, usque adeo jurisdictionem amittit, ut etiam ex litigatorum consensu illam reassumere non possit.

867. Sed et (9) cum causa intra certum terminum decidenda commit-

(1) Cap. quamvis 6 de offic. deleg. in 6.
(2) Cap. relatum est 19 et cap. licet 30 ext. de offic. deleg.
(3) Cap. uno 42, ext. cod.
(4) Cap. quoniam 14, ext. cod. tit.
(5) Cap. si Delegatus 7 de offic. deleg.
(6) Cap. sciscitatus 13, extr. de rescript.
(7) Cap. in litteris 10, ext. de offic. deleg.
(8) Cap. significantibus 28, ext. de offic. jud. deleg. (9) Cap. de confis. 4, ext. de offic. deleg.

titur, termino transacto, mandatum expirat: nisi tempus communi partium consensu prorogatum fuerit. Terminus autem (1) tunc incipit recurrere, cum Judices literas recepisse contigerit.

868. Non absimili ratione constitutum est (2), ut si quis Apostolicas literas impetrans, infra annum, postquam Judicum copiam habuerit, dolo, vel negligentia eis uti distulerit; auctoritate posteriorum literarum quas postea forsan ejus adversarius impetraverit, conveniri valeat, licet in posterioribus nulla mentio de prioribus habeatur.

869. Recusatione quoque extinguitur delegatio: quod eo casu accidit, quo Judex datus altero litigatorum petente, ob probabilem aliquam suspicionis causam ab judicio removendus pronunciatur: ut puta, si Judex datus dicatur dominus litigantium (3), aut consanguineus (4), aut advocatus (5), aut cum altero immodicam contraxisse familiaritatem (6), aut ab eodem in alia causa partem appellasse (7), aut nondum Judicem ad legitimam aetatem (8) pervenisse.

870. Recusationis autem causa varie cognoscitur: nam si contra (9) unum ex duobus ab Apostolica Sede Delegatis suspicionis causa proponatur, si quidem illa clausula apposita sit: *Quod si ambo interesse non possunt, alter in causa procedat:* coram non recusato conjudice expedienda erit. Ubi vero non est dicta clausula in rescripto, debet super hoc ad Arbitros recursus haberi, prout gregoriana Constitutione latius continetur. Cum autem Delegatus Episcopi recusatur, recusationis causam coram Episcopo probanda erit, licet coram ipso qui recusatur, sit alleganda.

871. Rursus judiciorum tertia divisio haec est, quod quaedam sunt Summaria, quaedam Ordinaria et Solemnia. *Summaria* sunt, in quibus subtili, et solemni ordinis judiciarii observatione praetermissa proceditur. Ut sunt causae (10) electionum, provisionum, matrimonii, usurarum, et similes, in quibus nec solemnis libelli porrectio, nec litis contestatio est necessaria, sed simpliciter de plano sine strepitu, ac figura judiciali proceditur. Itaque de is Judex etiam tempore feriarum ob hominum necessitates indultarum cognoscet, et litem, dilationes amputando, exceptiones, et appellationes dilatorias et frustratorias repellendo, quanto poterit faciet breviorem: prout haec duabus Clementis luculentissimis Constitutionibus latius continentur.

872. Judicium Ordinarium et Solemne est, in quo exquisito et solemni Juris ordine servato proceditur: ut puta, libellum porrigendo, litem contestando, et alia faciendo, de quibus suo loco dicendum.

(1) Cap. super eo 12, extr. de appell.
(2) Cap. plerumque 23, extr. de rescript.
(3) Cap. causam 16, ext. de offic. deleg.
(4) Cap. postremo 40, ext. de appell.
(5) De cap. postremo 40, ext. de appell.
(6) Cap. [illegible] 27, ext. de [illegible]
(7) Cap. ad haec 6 et cap. proposuit 24, ext. de appell.
(8) Cap. cum venerabilem 11, ext. de offic. deleg.
(9) Cap. si contra, 4 de offic. deleg. in 6.
(10) Clem. II de judic. et Clement. Saepe, ult. in fin. de verb. sign.

CAPUT III.

DE PERSONIS PER QUAS EXERCETUR JUDICIUM.

Exercemus igitur Judicia non solum per nosmetipsos, verum etiam per Procuratores nostros, aut Syndicos. Procurator est (1) qui aliena negotia mandato domini, vel quasi domini administrat. Syndicus est (2) Universitatis Defensor, et Procurator.

873. Porro Procuratorum (3) duae sunt species: alii enim dantur ad judicia, alii ad negotia extra judicium explicanda.

874. Potest autem (4) ad judicia non solum paterfamilias, verum etiam filiusfamilias, nullo intercedente patris consensu, fieri Procurator, si legitimam aetatem compleverit. Licet enim quis post XVII annum Procurator, ad negotia licite constituatur; ad judicia tamen, nisi major XXV annis fuerit, constitui non poterit.

875. Aliud tamen juris est in Principali: nam si is ad quartum decimum (5) aetatis annum pervenerit, in causis beneficialibus, et aliis spiritualibus, necnon ab eisdem dependentibus, ad agendum, defendendumque per se, vel Procuratorem perinde admittendus erit, atque si vigesimum quintum aetatis annum natus esset: nec ulla patriae potestatis, vel voluntatis erit habenda ratio: quamquam alias regulariter filiusfamilias, sine patris assensu, in judicio esse non possit.

876. Quod si quartum decimum (6) annum natus non fuerit, in hujusmodi causis, nec agere, nec defendere per se poterit, sed vel per Episcopum vel ejusdem Officialem, ad has lites, Curator sibi dandus erit; vel si major infante fuerit, cum auctoritate alterius eorumdem Procuratorem constituere poterit.

877. Quin etiam (7) Apostolicae Sedis Delegatus, et ab eodem Subdelegatus ad eas dumtaxat causas, quae coram ipsis ventilandae fuerint, vel Curatorem dare, vel Procuratoris constituendi auctoritatem praestare poterunt.

878. Constitui autem (8) poterit non solum Clericus, verum etiam Laicus. Regulariter enim omnis, qui non prohibetur, ad Procuratoris officium idoneus habetur.

879. Et tam unus, quam plures possunt in una causa constitui Procuratores. Si tamen duo (9) simul non adjecto, quod in solidum sint Procuratores, constituantur, unus sine altero non admittetur; secus, si sint in solidum constituti; tunc enim illius melior erit conditio, qui per litis contestationem negotium primus occupaverit. Et dominus litis factus alterum excludet, nisi constituens dixerit, quod occupantis conditio melior esse non deberet. Tunc enim si eum qui occupavit, aut legitime impediri contingat, aut prosequi forte nolit, poterit alter negotium ab alio

(1) L. v. in pr. ff. hoc tit.
(2) V. l. 1, § 1 ff. quod cujusc. univers.
(3) Cap. qui generaliter 5, de procurator in 6.
(4) Cap. qui generaliter 5, § 1 et seq. eod. tit. 6.
(5) Cap. ult. pr. de judic. in 6.
(6) D. cap. ult., § si vero, de judic. in 6.
(7) D. cap. ult., § Delegatus, de jud. in 6.
(8) Cap. in pr. de procurator, in 6.
(9) Cap. 6 duc. b. tit. in 6.

inchoatum suscipere ac perficere, dum tamen ab alio alius non fuerit substitutus.

880. Sed sive unus sit Procurator, sive plures, fines mandati diligenter (1) custodiendi erunt, usque adeo ut si generaliter (2) quis ad omnia, etiam speciale mandatum exigentia, constitutus Procurator fuerit, ex vi generalitatis hujusmodi ad aliquem articulum, in quo mandatum speciale exigitur, admitti non debeat; nisi clausulam generalem quorumdam articulorum speciale mandatum exigentium subsequatur expressio: puta, transactionis, et jusjurandum deferendi. Tunc enim et non espressos casus mandatum complectetur.

881. Crimina tamen (3), vel defectus in personam Electi, sive ejus, cujus favore, vel facienda, vel jam facta est provisio, nec hujusmodi generalitatis vel expressionis obtentu, opponendi facultas competit, nisi super hoc aliud in mandatis habeat. Nam hujusmodi generale mandatum graviora, vel majora, quam in ipso procuratorio sint expressa, non complectitur.

882. Sed et illud non est omittendum, quod licet (4) Procuratori ad negotia liberum sit alium quandocumque constituere; judiciario tamen (5) minime id concedi, nisi aut his fuerit contestata, vel in rem suam datus sit, vel a Domino substituendi fuerit concessa potestas: quo casu etiam non expressam personam poterit in Procuratorem eligere.

883. Non tamen in omni judicio Procurator intervenire potest. In criminalibus (6) enim causis neque accusator, neque accusatus, nisi per seipsos impetere; vel defendere permittuntur: nisi vel ab illustri (7) propulsanda sit injuria, aut Rei contumacia (8) sit excusanda vel contra accusatorem sit excipiendum (9), aut de levi crimine tractetur; aut si de gravi agendum sit, civiliter (10) agatur.

884. Sed nec omnes ad Procuratoris officium temere admitti debent. Ideoque Episcopus (11), et universi Sacerdotes, cum ad solam Dei laudem, piorumque operum actiones sint constituti, ab hujusmodi ministerio excludendi erunt.

885. Idem quoque obtinet in Monachis (12); nam et illos, cum solitariam vitam degere profiteantur, a forensi strepitu, ac litigiis summoveri convenit. Plane Monasterii exigente utilitate, vel necessitate; et Abbatis accedente imperio, ad procurationis officium accedere minime prohibentur.

886. Postulandi quoque (13) officium Clericis, qui stipendiis sustentantur Ecclesiasticis coram saeculari Judice in saecularibus negotiis interdicitur: nisi propriam causam, vel Ecclesiae suae prosequuti fuerint, vel nisi urgente

(1) Vide cap. cum dilecta, 12, ext. de script.
(2) Cap. qui ad agendum, 4 h. tit. in 6.
(3) Clem. II, h. tit.
(4) Cap. 1, § ult., h. tit. in 6.
(5) D. cap. 1, § licet, h. tit. in 6.
(6) Cap. in criminalibus 2. v, q. 3.
(7) Grat. post can. absens. 18, III, q. 9.
(8) Cap. cum dilecti, 6, ext. de dol. et contum.
(9) Cap. veniens, 15, ext. de accus.
(10) Cap. veniens, 15, ext. hoc tit.
(11) Cap. qua Episcopus, ult. v, q. 3.
(12) Can. Monachi, 35, xvi, q. 1.
(13) Cap. 1, ext. de postul.

necessitate (1) pro conjunctis aut miserabilibus personis postulare velint.

887. Hi vero (2), qui excommunicationis vinculo innodati sunt, non solum procuratorio nomine in judicio interesse non possunt, verum etiam nec proprio. Actore tamen (3) impugnante; excommunicato Reo legitime defensionis copia non est adimenda.

888. Sed belle dubitari contigit, an Universitatis (4) alicujus Procurator ex eo repelli debeat, quod Majores et Jurati, per quos eadem Universitas regitur, tempore, quo injunctum fuit procurationis officium, erant excommunicationis sententia innodati, quasi et ille repelli debeat, cujus non recipiuntur auctores. Et responsum est, hujusmodi Procuratorem non repellendum, nisi vel illi ipsi excommunicati in literis procurationis essent expressi, vel alias eorum auctoritate procurationis institutio facta fuisset; aut ipsa Universitas excommunicationis conscia simul cum eis eumdem Procuratorem constituisset.

889. Tamdiu autem durat quis Procurator, quamdiu is, qui eum constituit, revocet, sive expresse, sive etiam tacite. Unde si tu Titium simpliciter (5) Procuratorem constitueris, isque in judicio procuratorio nomine esse coeperit; deinde tu, sive ante litem contestatam, sive post, ad causam ipsam venias, non ut ipsi assistas, sed ut causam eamdem tractes: tractando causam Titium Procuratorem revocare censeris; nisi quod non animo revocandi facias, vel expresse professus fueris, vel ex aliquibus appareat conjecturis.

890. Sed si (6) eumdem Titium sub eo forma, *Quoties te abesse contigerit*, Procuratorem constitueris, et postmodum per te ipsum causam tractes; non propterea tamen Procuratorem revocare videris: quin immo Titius, quandocumque abesse te contigerit, Procuratoris assumet officium.

891. Haec autem de revocatione domini sunt intelligenda. Nam si a Procuratore tuo (7) alius Procurator legitime substituatur; post mandatum susceptum, etiamsi eo substitutus usus non fuerit, ab illo revocari (nisi etiam potestas revocandi fuerit eidem concessa) non potest.

892. Sed si cum ad plures vel ad omnes causas Titium generaliter Procuratorem constituisset, is in una, vel altera substituerit, in reliquis Procuratoris officium exercere minime prohibetur.

893. Ad haec etiam admonendi sumus, quod si ignorante (8) Judice vel Adversario, post contestatam litem mandatum revocatum fuerit; ratum esse debet judicium, in quo quis post ignoratam revocationem quasi Procurator versatus fuerit.

894. Non sic tamen (9) in matrimonio statuitur: nam si Procurator ad contrahendum specialiter constitutus, antequam contrahat, a Domino revocatus fuerit; contractum post-

(1) Cap. ult. ext. de postul.
(2) Cap. excommunicamus, 13, § credentes ext. de haeret.
(3) Cap. intelleximus, 7, ext. de judic.
(4) Cap. ult. ext. de procurator.
(5) Cap. si quem 3, § secus hoc tit. in 6.
(6) D. cap. si quem 1, in princ. eod. in 6.
(7) Cap. is qui, 5, hoc tit. in 6.
(8) D. cap. is qui 3, § verum, hoc tit. in 6.
(9) Cap. mandata, 13, ext. h. t.

modum matrimonium, licet tam Procurator, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignoraverint; nullius momenti penitus existet: cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere non potuit.

895. Quod si scientibus (1) Judice et parte mandatum revocatum fuit, et nihilominus est in judicio processum per Procuratorem revocatum: tam alia acta, quam ipsa sententia nullum afferet domino praejudicium: cum falsi Procuratoris exceptio non solum ante sententiam, verum etiam postea possit objici; quam probata, judicium prorsus nullum redditur.

896. Non idem (2) juris statuetur in eo, qui absens Procurator constitutus praesentatum sibi mandatum suscipere nolle dixerit. Is enim, refutatione hujusmodi nequaquam obstante, quamdiu constituens in eadem voluntate perstiterit, ad libitum mandatum acceptare poterit.

897. At literis (3), vel instrumento, quibus te aliquis in causis suis Procuratorem constituens, pro te debito modo cavit, simpliciter nulla facta protestatione, a te scienter receptis, non potes postea recusare illius defensionem: immo cogi poteris illum defendere in omnibus causis et negotiis, ad quae praedicta instrumenta, seu literae se extendunt, cum per hoc ad omnia tuum praestitisse videaris assensum.

898. Morte quoque (4) Constituentis desinit quis esse Procurator; quod interdum obtinet, etiam re non integra: nam si Praelatus vel Rector te pro beneficio suo, vel Ecclesia Procuratorem constituat, et tu vivente illo litem contestatus fueris, aut negotium aliter attigeris; post mortem tamen illius, etiam quoad coepta Procurator esse desinis.

CAPUT IV.

DE PACTIS ET TRANSACTIONIBUS.

899. Sed quia interdum accidit, ut Judiciorum metu litigaturi ad Pacta, et Transactiones veniant, aut ad arbitros declinent, ideo prius de his tractandum. Et quidem Pacta (5) inter quoscumque quacumque de re inita, regulariter suam habere debent firmitatem: neque enim quisquam (ut Divinum monet oraculum) ea, quae de labiis suis procedunt, irrita facere debet.

900. Quod quidem (6) usque adeo obtinet, ut Apostolicis etiam indultis Pactum eroget. Inde cum Monasterio ab Apostolica Sede, libera sepultura concessa esset, pactumque esset cum Rectore Parochialis Ecclesiae, ne Parochiani ipsius ad sepulturam reciperentur: responsum est in dicto Monasterio sepeliri eligentes, obstante conventione, voti sui fieri non posse compotes.

901. Eodem etiam spectat (7), quod pactum a filia, dum nuptui traditur, cum patre factum, ut dote contenta, ad bona paterna nullum habeat re-

(1) Cap. ult. hoc tit. in 6.
(2) Cap. in nostra. 1. eod. lib. 1
(3) Cap. licet is. 7 de [illegible] in 6
(4) C. in [illegible] de Procuratore.
(5) Clem. ult. eod.
(6) Cap. 1. eod. in 6.
(7) Cap. quamvis. 2 eod. in 6.

gressum; si juramento vallatum sit, (licet Lege Civili improbetur) servari debet: cum tale Pactum non vergat in aeternae salutis dispendium.

902. Quod si servatum in animae tendat detrimentum; quia forte sit pactum (1) de re turpi: veluti, quod post mortem alicujus Clerici, alter in beneficio succedat; vel aliter de jure, vel de facto sit impossibile: nullam inducet obligationem.

903. Transactiones (2) quoque similem juris firmitatem obtinent; usque adeo ut juribus omnibus, quae partibus, aut obtentu praescriptionis, aut privilegii, seu quocumque modo suffragari poterant, vires adimant.

904. Sed et hoc de illis Transactionibus intelligere nos oportet, quae non sunt Juri contrariae. Alioquin si aut super re sacra (3) et litigiosa, aut in causa (4) interposita sint, nullum robur obtinent.

CAPUT V.

DE ARBITRIS.

905. Arbitri (5) dicuntur proprie, qui nullam potestatem habentes, consensu litigantium in Judices eliguntur, in quos compromittitur, ut eorum sententiae stetur.

906. Sed, etsi qui legitimam (6) in Partes potestatem habeant, ab eisdem tamen in Arbitros eligi poterunt. Quod non solum de eis intelligendum est, qui ordinariam exercent jurisdictionem, verum etiam de his qui delegatam tantum obtinent.

907. Sed nec infames (7), nec servi, neque monachi (8), et Regulares arbitrium in se recipere possunt. Ad hos (9) enim quies, oratio, et manuum labor, non autem causarum spectat cognitio. Haeretici quoque, Apostatae, Schismatici, Infideles, et excommunicationis vinculo ob delictum proprium innodati, Arbitrorum in se officium assumere non poterunt.

908. Sed nec in eum (10), cujus licet ex delicto aliquo non sit laesa existimatio, Laicus tamen est, de re spirituali compromissum fieri potest. Si tamen (11) is, aut Clerico sit adjunctus, aut Apostolica auctoritate compromissum susceperit, Arbitri partes exequi minime prohibebitur.

909. Feminae quoque (12), licet illae summae opinionis existant, ab omni judiciali examine usque adeo sunt separandae, ut ex illarum sententiis nulla poena adversus illius contemptores, nullaque pacti exceptio oriatur.

910. Ceteri vero, quos neque sacrorum Canonum, nec saecularium Legum Statuta specialiter arcent, omnes ad tractanda arbitria admittendi erunt.

911. Pleraeque etiam causae (13) Arbitrorum notionem effugiunt: nam liberales, matrimoniorum, filiationum, monachationum, conversionum, in

(1) Cap. ult. extr. h. tit.
(2) Cap. 1, ext. de transact.
(3) Cap. super eod. 7, extr. de transact.
(4) Cap. ult. ext. de transact.
(5) Grat. post can. a Judicibus 33, 11, q. 6.
(6) Cap. cum olim 7, ext. h. 6.
(7) V. cap. infames, 2, § similiter, 111, q. 7.
(8) Cap. Monachi, 34, XVI, q. 1.
(9) Can. de presentium, 20, XVI, 1.
(10) Cap. contingis, 8, ext. h. t.
(11) Cap. per tuas, 9, ext. h. tit.
(12) Cap. dilecti, 4, ext. h. tit.
(13) Cap. causa pen. in fin. ext. de interestit.

integrum restitutionum: item criminales, et quae majores Judices exigunt, per arbitros cognosci non possunt.

912. Quod autem diximus de matrimoniis compromitti non posse, de carnalibus intelligendum est: nam quod de spirituali matrimonio compromitti possit (secundum ea quae supra diximus) (1), nulla est dubitatio.

913. Finiuntur autem arbitria pluribus modis: ut puta, sententiae prolatione, et temporis lapsu. Sententiae prolatione finiuntur arbitria, cum de omnibus, de quibus compromissum fuerit, Arbiter pronuntiavit. Nam si de quibusdam tantum sententiam tulerit, nisi talem pronuntiandi potestatem a Partibus habuerit, compromissum non exspirat.

914. Lapsu temporis exspirat arbitrium, cum terminus compromisso comprehensus re infecta labitur.

915. Mortis quoque interventu compromissa irritantur, tam Arbitrorum (2), quam etiam litigantium (3). Compromissum enim (4) in Compromittentis haeredes non extenditur, nisi de his quoque specialiter caveatur. Sunt et alii modi, quibus compromissa finiuntur scilicet recusatione admissa ex justa suspicione (5), et renuntiatione ex justa causa, et temporis finis quando ut conditio fuerit appositum tempus.

(1) § per compromissum de elect.
(2) Cap. un. 42, ext. de offic. deleg.
(3) Cap. ex parte, 10, ext. h. tit.
(4) Cap. ult. ext. eod.
(5) Speculatorem sit de Arbitr.
(6) Cap. quoniam contra. 11, ext. de probat.
(7) Glossa pen. in cap. Ecclesia 10, ext. de constit.

CAPUT VI.

DE VOCANDO IN JUS.

916. Ergo si partes neque pactionibus, neque transactionibus, neque compromissis concordes reddi poterunt, ad Judicem deveniendum erit. Illud autem in primis (6) prospicere Judicem oportebit, ne scilicet debitae solemnitates in Judicio praetermittantur: adhibebitque publicam personam, aut duos viros idoneos, qui universa acta Judicii conscribant, ut Innocentiana Constitutione, in Generali Concilio edita, latius continetur.

917. Omnium (7) autem Judiciorum instituendorum principium et fundamentum sunt Citationes, sine quibus omnia, quae adversus absentes in omni negotio, aut loco aguntur, viribus carent. Nam neque naturalis, neque civilis ratio quemquam indefensum judicari permittit. Quicumque igitur cum altero, judicio contendere voluerit, ante omnia curare debet Adversarium ita moneri, ut sese coram Judice exhibere teneatur.

918. Fit autem interdum pluribus modis (8), ut quis Vocationi de se facta parere non compellatur: ut puta, ex personae qualitate, loci conditione, temporis ratione, et forma Citationis. Personae qualitas inefficacem reddit Citationem, tam jus dicentis, quam etiam in jus vocati. Nam si te is in jus vocet, quem tibi Judicem non esse competentem manifestum sit, dubio procul ad comparendum Vocatio talis minime coarctabit.

(8) Glossa 2 in can. pen. III, q. 2.

919. Si tamen contigerit (1) eum qui legitime citatus fuerit, alterius postmodum fieri jurisdictionis, quasi praeventus jus revocandi forum non habebit.

920. Idem juris est (2), si Judex quidem tuus sit, ex eo tamen te mandet vocari, ut in judicio cum Spoliatore tuo stare compellaris; nec enim antea comparere cogeris (3), quam ad omnia canonice restitutus fueris.

921. Locus quoque (4) ad quem vocatus fueris, tunc invalidam reddit Citationem, cum aut incertus est, aut Citantis non subest jurisdictioni. Idem etiam dici poterit, si Citandus extra Judicis territorium moram trahere comperiatur. Tunc enim jus dicenti impune non paretur. Quemadmodum et si locus Citationis designatus pestilens sit, aut alias pro Citato male tutus (5).

922. Sed et si Judex jusserit adesse, aut inter angusta nimis tempora, aut quae veneranda sint divini cultus gratia, nullas vires (6) habebit talis jussio. Quamvis enim (7) non prorogare, sed expedire deceat quaestiones: usque adeo tamen his diebus Judiciorum strepitus debet conquiescere, ut nisi vel necessitas cogat, vel pietas suadeat, consentientibus etiam Partibus, processus habitus non teneat.

923. Aliud tamen (8) obtinet, si ob hominum necessitas feriae indultae fuerint; tunc enim acta cuncta tenent, si de Partium processerint voluntate.

924. Jam vero multum interest, Delegatusne citet, an Ordinarius. Ille enim, cum aliena utatur Jurisdictione, longe remotos non nisi literis commissionis (9) suae tenorem continentibus, et intra certa spatia vocare poterit. Et cum proprium non habeat auditorium, certum hujusmodi literis locum, ubi se Citatus exhibere valeat, designare illum oportebit: cum in Ordinario nulla subsit hujusmodi necessitas.

925. Item in Delegato (10) quaeri potest, si peremptorie Partes is citaverit, et earum altera, die data, sese absentat contumaciter, an saltem circa ultimam diei partem sit in negotio procedendum: et utrum, si duxerit expectandum, sit iterum citandus contumax? Et in hac specie multum interest, duret jurisdictio post peremptorium terminum an expiret. Primo enim casu, in diem alteram aequitate suadente Judex expectare poterit: nec propterea peremptorio elapso, Pars contumax citanda erit, nisi gratiam eidem fecerit benignitas Judicantis, posteriore vero, ne frustra judicialis Instantia evanescat, si Pars, cum id noverit, Judici non praesentaverit, hora, qua congrue procedi possit ad exequendum, propter quod eis legitime terminum peremptorium assignaverit, ad executionem libere procedere poterit.

926. Discretus tamen (11) Judex in

(1) Cap. proposuisti, pen. ext. de for. compet.
(2) Glossa 2 in can. pen. 111, q. 2.
(3) Can. prius, 6, 111, 3.
(4) Glossa 2 in cap. pen. 111, q. 2.
(5) Cap. ex parte, 47, ext. de appell.
(6) Can. 1, v, q. 2.
(7) Cap. conquestus, ult. ext. de fer.
(8) D. cap. ult. ext. de fer.
(9) Vid. cap. praeterea, 2, ext. de dilationib. et Glossa 2 in can. penult. 111, q. 2.
(10) Cap. consuluit, 24, ext. de offic. deleg.
(11) D. cap. consuluit, 24, ext. de offic. deleg.

assignatione peremptorii, non debet Jurisdictionem suam, nisi necessitas urgeat, adeo coarctare.

927. Adhuc, tametsi omnia solemniter peracta fuerint, nec Vocatus accedat ad Judicem, quibusdam casibus excusandus erit: ut puta, si facto Adversarii (1) impeditus (2) aut ad majus tribunal vocatus, vel vinculis aut infirmitate (3) detentus, aut aliis similibus (4) causis implicatus non accesserit. Debet tamen cessante impedimento, quanto poterit citius, Judici sui copiam facere (5).

CAPUT VII.

DE CONTUMACIA ET IN POSSESSIONEM MISSIONE.

928. Ergo juridice vocatus, et nulla legitima causa impeditus, si se Judici praesentare neglexerit, adversario accusante, Contumaciae crimen incurrit. Est enim Contumacia (6) erga Judicem, vel Praelatum commissa inobedientia.

929. Haec autem varie Juribus coërcetur nunc enim litis damno, nunc mulcta, nunc expensarum refectione (7) et Rei sequestratione (8) vel Ecclesiasticae sententiae innodatione (9) ob contumaciam suam Conventus afficitur.

930. Illud quoque videtur ordinarium, ut contumace Adversario (10) tuo existente, in possessionem earum, de quibus quaestio vertitur, vel quae alias sunt in patrimonio Rei, pro modo debiti, si personalis (11) instituatur actio, custodiae causa judicaris, ut taedio affectus Reus veniat aliquando responsurus. Quod si adhuc per annum in sua contumacia perseveraverit, Judice decernente verus possessor efficieris, super proprietate dumtaxat adversae Parti defensione reservata.

931. Sed si missus (12) in possessionem fructus dilapides sequestrandi erunt; et quod distractum est, in pristinum statum erit revocandum.

932. Si tamen propter Rei potentiam, sive dolum contigerit (13), ut intra annum rem custodiendam nancisci non possis, vel etiam acquisitam amittas, ne contumax melioris, quam obediens conditionis existat, de Canonica aequitate sancitum est, ut hoc etiam casu verus, elapso anno, possessor Acto constituatur.

933. Hoc tamen tunc obtinet (14), cum Reus nullam cautionem praestitit: nam si de stando Juri caverit, nec mulctandus, quod in possessionem Actorem esse passus non fuerit; et Missionem passus illico restituendus erit.

934. Idem juris est (15), si annus lapsus esse proponatur; per Reum

(1) V. cap. ex literis 4, ext. de restit. in integr.
(2) Vide cap. pastoralis, 28, § ult., ext. offic. del. 4.
(3) Can. si Episcopus, 13, dist. 18.
(4) Cap. quoniam frequenter, 5, § si autem de carnali, ex ut lite non contest.
(5) Cap. cum dilecti, 6, ext. de dolo et contum.
(6) Hostiensis h. t. numero, h. t.
(7) Cap. cum dilecti, 6, ext. lode et contum.
(8) Ex literis, 2, ext. eod.
(9) Cap. tuae fraternitati, 3, ext. ut lit. non contest.
(10) Cap. ult. extr. de eo qui mitt. in possess.
(11) Cap. quoniam frequenter, 5, § in aliis vero, extr. ut lit. non contest.
(12) Cap. dilectis, 2, ext. de sequestr. possess.
(13) Cap. contingit, 19, ext. h. tit.
(14) Cap. t. ext. eod.
(15) Cap. cum olim, 2, ext. de eo qui mitt. in possess.

tamen non steterit, quominus ante terminum, et possessionem receperit, et cautionem dederit.

935. Quaeri contigit (1), si Delegatus, qui Reum propter contumaciam manifestam excommunicationis vinculo innodavit, vel Petitorem causa rei servandae in possessionem induxit, rebus eximatur humanis, an eidem Juri parere volenti, et idoneam cautionem offerenti Ordinarius absolutionis beneficium impertiri, et possessionem restituere valeat? Et responsum est, quod, cum Delegatus quoad hoc sit Ordinario major, excommunicatus ab eo non potest per alium, praeterquam in mortis articulo, sine mandato Summi Pontificis, absolutionis gratiam obtinere, vel possessionem recuperare; nisi alius ei in onere successerit, et honore.

936. Sed, ne Missus (2) in possessionem verus efficiatur post annum possessor, Missionem passus coram Ordinario, vel (si ejus copiam habere nequiverit) coram publicis et honestis viris, ut quasi praescriptionem interrumpat annalem, offerre ac praestare poterit de parendo Juri cautionem; ut sic etiam post annum per Apostolicam Sedem possessionem recuperare mereatur.

937. Sed ista quidem (3) tunc procedent, cum de profanis rebus erit disceptatio: nam qui super Dignitate, Personatu, vel Beneficio Ecclesiastico obtinendis cum aliquo litigat possessore, ob Partis adversae contumaciam in possessionem mittendus non erit, ne per hoc ad ea ingressus vitiosus pateat.

938. Licebit tamen (4) Judici hoc casu, etiam lite non contestata, diligenter examinato negotio, ipsum sine debito terminare, contumaciam.

939. Quod interdum etiam in profanis (5) obtinebit: ut puta, si contestata lite Reus contumax fuerit, et de causa liqueat, vel Actor ipse contumaciae crimen incurrat; quo casu etiam lite non contestata, instante Reo, Judex et testes recipere, et Sententiam ferre debebit.

940. Idem quoque Actor (6), si ad terminum, ad quem Adversarium citari fecerit, venire contempserit; venienti Reo in expensis propter hoc factis legitime condemnabitur: et ad aliam citationem minime admittendus erit, nisi de fideliter in posterum comparendo idoneam cautionem dederit.

941. Quod autem diximus, Juribus varie contumaciam coërceri, non est ita accipiendum, quasi omnes simul poenas Jus dicens infligere Contumaci debeat, sed quod variarum poenarum sibi datur optio: unde alterutra, quae magis timeri debeat, Judex a principio contentus erit; ad aliam nihilominus processurus, si hoc meruerit protervitas Contumacis.

(1) Cap. pastoralis, 11, § praeterea, ext. de offic. ordin.

(2) D. cap. pastoralis, 11, § praeterea, in fin. ext. de offic. ordin.

(3) Cap. un. de eo qui mitt. in poss., in 6.

(4) D. cap. unic. de eo qui mitt. in poss., in 6

(5) Causam quae, 3 et seq. h. tit.

(6) Cap. actor, 1, hoc tit. in 6.

CAPUT VIII.

DE LIBELLI EFFORMATIONE ET EXPEDITIONE

942. In primis igitur Reo, in assignato termino, comparente Judici Libellum Actor offerat (1); et illum ita clarum et planum; ut ex ejus inspectione deliberare Reus valeat, utrum cedere velit, an contendere: atque ut, si contendendum sit, despicere valeat Judex quemadmodum a se concipienda sit sententia. Nihil enim aliud est Libellus (2), quam brevis scriptura claram Actoris intentionem continens, et contra Adversarium necessario concludens.

943. Porro Libellorum (3) duae sunt species, alii enim sunt Accusatorii, alii Conventionales. Accusatorii sunt (4), quibus quis aliquos apud Judicem alicujus criminis Reos defert: de quibus quidem in praesenti nobis non est institutus sermo, sed infra suo loco et ordine dicetur. Conventionales sunt (5), quibus in civilibus disceptationibus utimur, dum rem tuam, aut quam tibi deberi putas, in judicio petis.

944. Exprimet igitur oblatus Libellus, non solum Agentis, et Conventi nomen: sed et Jus dicentis, de petitae (6) rei et actionis qualitate. Et si personali (7) experiendum sit actione, petendi quoque causa exprimenda erit: alioquin nec Conventus respondere tenebitur, et Judex Libellum (8) non legitimae conventionis formam continentem destruere poterit.

945. Sunt tamen casus (9), in quibus solemnis haec Libelli oblatio minime est necessaria: veluti in quibus de plano ac sine strepitu et figura judicii procedendum erit, et in quibus etiam non contestata lite testes recipi possunt.

946. In iis quoque (10) casibus, in quibus Libelli est necessaria porrectio, probe Judex fecerit, si principales personas, vel in subsidium etiam Advocatos factum ipsum proponere jusserit, et sine tela Judiciaria controversiam terminare tentaverit.

947. Oblato tamen (11) secundum Juris ordinem Libello, certae Reo convento indulgendae sunt induciae, quibus deliberet cedendum sibi sit, an contendendum: acceptandus, an recusandus Judex: denique, ut proponat, si quas habet, exceptiones. Quae propterea comparatae sunt, ut ii, adversus quos instituuntur actiones, defendantur.

948. Harum vero (12) quaedam ante litis contestationem opponendae erunt: quaedam vero etiam post contestatam litem. Sed, ne, si qui inter has alieni tractatus medii fuerint in-

(1) Gratian. post can. inducia 4, § offeratur. III. q. 3.
(2) Gloss. 1 in cap. 1, ext. de libell. obl.
(3) Glossa ibid.
(4) Vid. Gratian. post can. per scripta, 5, § libellorum II, q. 8.
(5) D. Glossa 12, in cap. 1, ext. hoc tit.
(6) Cap. 2, ext. hoc tit.
(7) Cap. ult. ext. eod.
(8) D. can. Sacerdotibus 11, XI, q. 1.
(9) Clement. saepe ult. de verb. signific.
(10) Cap. Pastoralis, 44, ext. de judic.
(11) Gratian. post can. inducia, 4, § offeratur III. q. 3.
(12) Gratian. post de can. inducia, 4, § quod fieri, III, q. 3.

terjecti, hujusmodi sectio obscuritatem pariat, videndum nunc generaliter de exceptionibus (1).

CAPUT IX.

DE EXCEPTIONIBUS.

949. Exceptio est actionis, vel intentionis exclusio. Exceptionum summa divisio in duo genera (2) deducitur: aut enim sunt Dilatoriae, aut Peremptoriae, Dilatoriae sunt quae Rem, et Judicium differunt. Harum quaedam Judicis personam respiciunt, quaedam agentis, quaedam Rei contenti: quaedam vero Actionis et Causae qualitatem.

950. Personam Judicis respiciunt, vel quae illius incompetentiam arguunt, vel quae de ipso suspicionem ingerunt, secundum ea, quae supra suo loco latius exposuimus. Et hae Declinatoriae quoque poterunt appellari.

951. Actoris partem illae spectant, quae illum non legitimam in Judicio standi personam habere demonstrant; quales sunt Procuratoriae: ut puta, si quis per Monachum, aut Regularem, aut Clericum agere velit. Item si quis ut Tutor, vel Curator, vel Procurator, vel Syndicus compareat; et illum Tutorem, vel Curatorem, vel Procuratorem, vel Syndicum esse negetur, vel sua non interesse, vel audiri non debere protestetur.

952. Ex persona Rei deducuntur: veluti si quis ab eo, qui alienam litem defendit. De judicato solvendo cautionem postulet; aut si ab Actore se spoliatum esse, Reus conventus coram Judice quaeratur, et propterea restitutionis beneficium implorет: vel si Actorem ex legitima causa domum revocet.

953. Actionem et causam respiciunt: ut cum proponitur de ineptitudine aut incertitudine Libelli, aut de litis pendentia, aut cum nondum diem solutionis venisse praetenditur.

954. Hae vero regulariter omnes ante litis contestationem proponi debent. Sed quas Declinatorias appellavimus, non modo ante litem contestatam, verum etiam ante omnem Dilatoriam Exceptionem opponere Reum oportebit: alioquin si aliam primo proposuerit, cum per hoc in Jurisdictionem ejus, coram quo proposuit, consensisse videatur, ejusdem Jurisdictionem sero declinare conabitur.

955. Ergo in initio litis Declinatoriae opponi debent et probari; ceterae post oblatum Libellum ante litem contestatam intra terminum a Judice assignatum, quandocumque opponi et probari poterunt.

956. Sed et lite contestata quandoque eas opponere licebit: veluti si qua nuper (3) Reo competens exorta fuerit; vel is, qui eam opponere voluerit, postmodum ad ejus notitiam pervenisse jurejurando fidem faciat; vel esset hujusmodi, quae retroactum processum nullum redderet, ut est

(1) Glossa in cap. dudum, 34, verb. irritari, ext. de elect. et Glossa ult. in cap. ex parte, 15, ext. de for. comp.

(2) Glossa 1 in cap. exceptio nem., 12, ext. de except. Ad Princ.

(3) Cap. Pastoralis, 4, in fin. ext. h. tit.

ea, quae vel Mandati, vel Jurisdictionis defectum arguit.

957. His annumeranda est (1), etiam excommunicationis exceptio quae licet et ipsa dilatoria sit, a ceteris tamen dissimilem naturam sortita esse deprehenditur: nec enim post oblatum tantum libellum ante contestatam litem velut ceterae, sed in qualibet parte litis opponi poterit: peremptorio termino, ad proponendum exceptiones declinatorias et dilatorias, praefixo minime obstante. Quod est in hac exceptione specialiter observandum, ne quisquam in periculum animae suae excommunicato communicare compellatur. Quod si eam Reus omiserit, ut Actor sumptibus et laboribus fatigetur, in expensis legitimis comdemnandus erit.

958. Sed cum per malitiam haec exceptio in Judiciis opponeretur frequentius, Innocentiana Constitutione (2) consultissime cautum est, ut certa in ea proponenda forma servari debeat, uti ex ipsius Constitutionis tenore facile apparere potest.

959. Haec tamen (3) in prima tantum instantia sibi locum vindicant. Quod si succumbens Actor appellaverit, praetextu excommunicationis oppositae a prosequutione appellationis minime excludendus erit; quod et in ceteris dilatoriis, multo magis locum obtinet.

960. Reus autem (4) nullo obstante excommunicationis vinculo, velut recte convenitur, ita ad legitimas defensiones semper admittitur. Satis enim absurdum esset, si Actore impugnante defensionis copia Reo denegaretur: quia sic multoties comdemnaretur absolvendus. Reconventionis tamen potestas eidem minime permittitur.

961. Ceterum (5), quae supra de excommunicatione diximus, non de quacumque excommunicatione sunt intelligenda, sed de ea tantum, quae a perceptione Sacramentorum, et a fidelium communione separat, ut etiam ipsa Innocentianae Constitutionis verba demonstrant.

962. Peremptoriae (6) seu Elisoriae Exceptiones sunt, quae in totum jus Agentis perimunt et semper Agentibus obstant: qualis est doli mali, metus, pacti conventi, solutionis, jurisjurandi, praescriptionis, transactionis et Rei judicatae; et si quid contra leges factum esse dicatur.

963. Harum quaedam dicuntur Peremptoriae litis finitae, quaedam simpliciter Peremptoriae. Primae dicuntur illae quae litis impediunt ingressum, et adversus Agentem (7) omni tempore opponi possunt: qualis est Exceptio transactionis, jurisjurandi, et rei judicatae; quae vel in ipso (8) limine judicii proponi poterunt. Cum enim super negotiis transactione, jurejurando et sententia decisis, alias lis inchoata terminata fuerit, valde absonum visum fuit, super eisdem novum assumi debere judicium, et quasi in infinitum forensia jurgia protrahere. Inde quoque litis finitae Exceptiones appellantur, quod ut ali-

(1) Cap. exception. 12, ext. h. t.
(2) Cap. 1 de except. in 6.
(3) Cap. significavit, 11, ext. h. tit.
(4) Cap. cum inter, 5, ext. eod.
(5) Cap. 1 de except. in 6.
(6) Glossa 2, in cap. 1, de lit. contest. in 6.
(7) In Glossa in cap. 1 de lit. contest. in 6.
(8) Grat. post can. si quis, 2, 11. q. 6.

quis esset finis litium, institutae fuerint. Idem juris est in aliis etiam Peremptoriis Exceptionibus, quae vulgo manifestae sunt et notoriae habentur.

964. Ceterae exceptiones vero litis contestationem minime impediunt (1) atque ante sententiam erunt regulariter proponendae: quas quidem si dolo, malo, suo tempore in prima instantia Reus proponere distulerit etiam in causa appellationis opponendi sibi facultas denegabitur.

965. Sunt etiam quaedam Exceptiones, quae Praejudiciales, appellari possunt, ex eo quod alteri cognitioni praejudicium afferunt: ut puta: si qua mulier (2) aliquem in virum petat, qui ad mulieris intentionem elidendam consanguinitatis objiciat exceptionem; qua probata, cum quaestio principalis perimatur, de ipsa est cognoscendum ante, quam ad definitionis articulum procedatur. Idem si petenti haereditatem (3) natalium objecta sit exceptio: cum enim successionis causa profecto a causa natalium dependeat, posteriore quoque loco cognoscenda erit.

966. Sed et si quaestio (4) spolii in modum Exceptionis Petentibus objecta fuerit, probationes super spolio primitus erunt audiendae: eoque legitime probato, Reus non cogetur respondere spoliatoribus, donec integre restitutus fuerit.

967. Sed quia hujusmodi (5) Exceptionem nonnumquam in judiciis calumniose propositam causas ecclesiasticas contingebat impedire, et per interpositas appellationes principalis causae cognitionem perimere, consultissime Innocentiana Constitutione decretum fuit, ut in civilibus negotiis spoliationis objectu ab alio, quam ab Actore factae, Judex in causa principali procedere non postponat.

968. In criminalibus vero (6) etiam si a tertio spoliatus fuerit; dum tamen vel tota sua substantia, vel majori parte ipsius se per violentiam privatum affirmet, objecta Exceptio processum differet; poenis statutis, si eamdem intra certa tempora non probaverit objiciens; eo quoque salubriter adjecto, ut rerum privatarum spoliatio Agenti super ecclesiasticis, vel ex contrario, non opponatur.

969. Dubitari contigit (7), si spoliatus a tertio contra suum accusatorem de spolio excipiat, an ei tempus indulgeri debeat, infra quod restitutionem imploret, ne forte sic existens omnem accusationem eludat: et id aequitati, et Juri satis consonum visum fuit. Unde si infra tempus indultum restitutionem non petierit, et causam, cum posset, ad finem non perduxerit, non obstante Exceptione spolii, deinceps accusari poterit.

970. Sunt et aliae Exceptiones, quae proprie neque Dilatoriae, neque Peremptoriae appellarentur; cujusmodi sunt, quae adversus productos testes opponuntur: ut puta, si quis aliquem (8) examinatum, infamem,

(1) V. c. ult. et ibi Gloss. de tit. contest. in 6.
(2) Cap. litteras, 18, ext. de restit. spol.
(3) Cap. penult. ext. de ordin. cognit.
(4) Cap. ult. ext. de ordin. cognit.
(5) Cap. 1 de restit. spol. in 6.
(6) D. cap. 1, § in criminalibus autem, de restit. spol. in 6.
(7) Cap. 1, § solet autem, de restitut. spol. in 5.
(8) Cap. praesentium 30, et ibi Glossa ext. de testib.

excommunicatum, vel alias criminosum esse dicat. Quae tamen cum ad Peremptoriarum naturam accedere videantur, ipsae quoque ante Sententiam proponendae erunt.

971. Multum tamen interest (1), an per Exceptionem tantum testibus opponantur crimina, de quibus numquam accusati fuerint; an vero ea, de quibus alias convicti, vel confessi fuerint. Primo enim casu objectorum criminum probatio ante exhibenda erit, quam causa per Sententiam terminetur; et si convicti, vel confessi fuerint, ordinaria cessante poena, sufficiet quod a perhibendo testimonio repellantur, praesertim cum objectum crimen minime causam contingat. Posteriore vero, cum non sit cuiquam contra alios credendum, nisi se prius probaverit innocentem, a ferendo testimonio penitus repelli poterunt.

972. Cavebit autem Reus, ne quam contra Adversarium suum Exceptionem porrigat, cujus ipse nexibus implicetur; cum scire debeat nullum hanc esse juris effectum habiturum: veluti si plura Beneficia (2) possidens de eadem pluritate adversus alium excipiat; vel si perjurium (3); aut excommunicationem is objiciat, qui pejuravit, vel Ecclesiastica Sententia innodatus fuerit.

973. Hoc tamen ita accipiendum est, cum proprie nomine Conventus excipit: ceterum, si suam defendens Ecclesiam (4), tales Exceptiones opposuerit, audiendus erit; nec, quod opponens eisdem sit obnoxius, replicari poterit.

974. Postremo (5), cum, qui excipit, non propterea Agentis intentionem confiteri illum videri; cum eidem non solum unam, sed etiam plures, quamquam contrarias, proponere liceat, quae si legitimae fuerint, et Judex non admiserit; Reo quidem per appellationis remedium succurretur et Judex ipse meritis poenis coërcendus erit.

CAPUT X.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

975. Igitur oblato ab Actore Libello, si Reus conventus nulla sit exceptione munitus, quae vel judicium differat, vel litis ingressum impediat, mutuis Petitionibus (6) Adversarium suum fatigare poterit, et Agentem coram eodem Judice, antequam litem contestetur, Reum constituere. Cujus enim (7) quis in agendo observat arbitrium, eumdem habere contra se Judicem in eodem negotio dedignari non debet.

976. Proposita ergo (8) Actoris intentione, et responsione facta super quaestionibus Rei monitione praetermissa Actor respondere compellendus erit, ut vicissim postea rationes Partium Judex audiens concordia, vel judicio utriusque negotium terminet.

977. Nec solum coram Ordinario reconventio talis sibi locum vindicat, verum etiam coram Delegato: unde

(1) Cap. 1, ext. de except.
(2) Cap. cum Ecclesia, 3, ext. hoc tit.
(3) Cap. testimon., 54, ext. de testib.
(4) Cap. dilecti, 8, ext. h. t.
(5) Cap. cum venerabilis, 6, ext. h. tit.
(6) Cap. dispendia, 3, in fin. de rescript. in 6.
(7) Can. 1. § cujus, 111, q. 8
(8) Cap. ex litteris, 1, ext. h. t.

nisi Reus (1) literas impetrare maluerit, Actorem sibi obnoxium, eodem durante judicio, coram datis Judicibus reconvenire poterit.

978. Utriusque autem (2), tam Actoris, quam Rei reconvenientis, aequa debet esse conditio; unde cum causa, appellatione remota, committitur; si Reus Actorem reconvenerit, uno eodemque jure circa appellationis remedium uterque censendus erit.

979. De Arbitris (3) dubitari poterit, an coram eis reconventioni locus esse possit? Et cum Arbitri judicare non possint, nisi de his tantum, super quibus in eos compromissum fuit, responsum est, coram eis reconventionem locum habere non posse.

980. Interdum etiam accidit, ut nec coram Ordinario, nec coram Delegato Judice, Reo Actorem reconvenire sit potestas: ut, si coram Judice Laico Conventus, Actorem super causa Juris Patronatus (4), Decimarum (5), Matrimonii (6), aut alia spirituali reconvenire velit.

981. Idem Juris est, si Conventus excommunicationis (7) vinculo innodatus existat: huic enim, licet alioquin excipiendi facultas minime sit interdicta, Actorem tamen reconvenire non conceditur; ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur.

982. Illis quoque, qui coram Judice criminaliter (8) conventi fuerint, vel super deposito (9) (nisi se prius innocentes probaverint, et depositum restituerint) alios criminandi vel conveniendi licentia non conceditur.

CAPUT XI.

DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

983. Is quoque, qui se quibusdam rebus aut juribus spoliatum conqueritur, ab Adversario suo reconveniri non poterit: nam super spoliatione (10) conventus, adversus restitutionem Petentem non est, nisi super quaestione spolii, audiendus. Restitutionis enim petitio in hoc privilegiata esse noscitur, ut ipsam intentans, non cogatur ante restitutionem Spoliatoribus respondere.

984. Unde cum quis (11) se de Beneficii possessione violenter ejectum apud Judicem conqueritur, si Adversarius eumdem non canonice dicat institutum, de violenta prius ejectione, quam de canonica Institutione cognoscendum erit.

985. Sed etsi spoliatus (12) non primus coram Judice super spolio sibi illato consistat, sed criminali judicio ab Adversario lacessitus spoliationis causam proponat; ita demum super petitione Judex procedere poterit, si prius restitui Spoliatum sua sententia jusserit; omnes enim Leges tam ecclesiasticae, quam saeculares, ante omnia, cuncta spoliatis vel ejectis

(1) Cap. dispendia 3, § Reus de rescrip. in 6.
(2) Cap. ult. ext. b. tit.
(3) Cap. cum dilectus, 6 ext. de arbitr.
(4) Cap. quanto 3, ext. de judic.
(5) Cap. tua nobis 25, ext. de decimis.
(6) Cap. 1, ext. de consang. et affin.
(7) Cap. cum inter 5, in fin. ext. de except.
(8) V. can. prius est, 4, 111, q. 11.
(9) V. cap. ult. ext. de deposit.
(10) Cap. ult. ext. de ord. cognit.
(11) Cap. in litteris 5, ext. de restit. spol.
(12) Cap. 1, h. t, in 6.

reintegranda, et damna sarcienda esse praecipiunt.

986. Fructus (1) quoque non tantum a violento possessore perceptos, sed etiam qui a veteri possessore percipi verisimiliter potuissent, restituendi erunt.

987. Nec restitutionis (2) solum Sententia sufficit, nisi re ipsa omnia Judicis officio restituantur; ita ut ejectus, vel spoliatus etiam naturalem possessionem recipiat, cunctaque, quae sibi ablata fuerint, eodem unde surrepta fuerunt, revocentur.

988. Quod si civiliter (3) conventus Adversario spolii quaestionem regerat, cum mutuae tunc intelligantur petitiones in idem judicium deductae, vicissimque tractatae, unica simul erunt Sententia terminandae.

989. Sed haec quidem (4) obtinent, cum in modum actionis spolii quaestio proponitur: sed si intra litis contestationem de spolio quis excipiendum duxerit; super ipsa quidem exceptione probationes primitus recipiendae erunt: ea tamen legitime probata nulla restitutionis erit ferenda Sententia: sed tamdiu Spoliatori super petitionibus suis respondere cogendus non erit, donec ab ipso restitutus fuerit. Quemadmodum enim, si in modum exceptionis aliquod crimen testi objicitur, ut a testimonio repellatur; etsi crimen contra eum civiliter probatum fuerit, sibi poena non infligitur ordinaria; sed ejus dumtaxat testimonio non creditur: sic spoliatione in modum exceptionis tantum probata, restitutionis Sententia minime ferenda erit.

990. Spoliatus autem non solum is intelligitur, qui a privato quocumque homine rerum quarumdam possessione indebita privatus fuit: sed etiam ille, quem Judex (5) ipse Juris ordine praetermisso, beneficio vel aliis rebus carere coëgit: vel is, qui licet Juris quidem ordinem servaverit, spoliati tamen, et de facto damnati Judex erat incompetens; vel si Judex sit competens; circa privationem tamen nulliter pronunciavit.

991. Is quoque (6) spoliasse intelligitur, qui licet ipse non spoliaverit, per alium tamen spoliari mandaverit, aut spolium suo patratum nomine ratum habuerit. Unde et is restitutioni obligabitur, quemadmodum et ille, qui rem indebite occupatam, scienter (7) recipiendo Spoliatori succedit in id vitium. Licet enim is non spoliaverit; cum tamen, quoad periculum animae, non multum intersit, utrum quis injuste detineat, an alienum invaserit, contra hujusmodi possessorem spoliato per restitutionis beneficium, non obstante Juris Civilis rigore, succurritur.

992. Illud quaesitum est (8), si post spolium Ecclesiae renunciasse quis dicatur, an ob hujusmodi renunciationem spoliato sit deneganda restitutio: et cum non sit verisimile quod sponte proprio juri renunciaverit qui renunciat spoliatus, hujus-

(1) Cap. gravis, ext. 11. h. tit.
(2) Grat. post can. Episcopi 2, 111, q. 1.
(3) Cap. cum dilect. 2.; nos autem, ext. de or. l. cognit.
(4) D. cap. cum dilect. 2. in fin. ext. de or. l. cognit.
(5) Cap. conquerent, 7, ext. de restit. spol.
(6) Cap. cum ad sedem, 25, ext. h. tit.
(7) Cap. saepe, 18, ext. h. tit.
(8) Cap. feliciter, 2, ext. de restit. spol.

modi non obstante renunciatione, restituendus erit.

993. Testes etiam (1), Partis alterius de juramento, et renunciatione sponte facta, non ante admittendi erunt, quam spoliatus plenarie fuerit restitutus. Quod si ante (2) spolium Ecclesiam sponte renuntiasse reperiatur, perpetuum ei super negotio silentium imponendum erit.

994. Sunt et alii casus, quibus Jure denegabitur spoliatis restitutio: ut puta, cum agenti (3) per modum exceptionis de alia spoliatione opponitur: aut tam super proprietate (4), quam super spolio eodem tempore disceptari spoliatus ipse consenserit: aut ante restitutionis (5) postulationem petitoria actione judicium expertus succubuerit.

995. Item si Spoliatore (6) non per contumaciam, vel per dolum absente, ab Apostolica Sede ad Judices spoliatus literas obtinuerit, ut si eum spoliatum Judicibus constiterit, intra certum temporis spatium restituatur: si Reus intra praefixum terminum sese Judici exhibere non possit, quamquam temporis lapsus immineat, et Actor sit suam possessionem et dejectionem probare paratus, nihilominus restituendus non erit.

996. Sed et si talis opponatur exceptio, quae agentem minime possedisse concludat, tandiu sustinenda erit restitutio, donec super tali exceptione cognitum fuerit: ut ecce, nec Laici spiritualia (7) possidere, nec Sacerdotes uxores habere possunt (8). Unde si vel illi se Beneficiis spoliatos, vel hi ab uxoribus se destitutos coram Judice conquerantur, et ab Adversariis de saecularitate, vel de Sacerdotio agentibus opponatur, procul dubio non erit facienda restitutio.

997. Quin imo et cum sola Juris praesumptio pro Spoliatore contra Spoliatum militat, impedienda erit restitutio: ex quo apparet eum (9), qui restitui postulat (puta) ad decimas, quas intra alienae Parochiae limites possedisse asserit, nequaquam restituendum esse, nisi evidenter docuerit, quod earum possessionem legitime assequutus fuerit: quia eas occupasse injuste verisimiliter praesumitur, cum ex praediis proveniant intra alienam Parochiam constitutis, manifestumque sit eas Jure communi ad eamdem Ecclesiam pertinere, nisi aliud ostensum fuerit.

998. Plures praeterea sunt causae, quibus Spoliatus illico non restituitur: veluti cum haeresis labe (10) pollutus deprehenditur, vel facta restitutione, animae periculum immineret (11), vel scandalum timeri possit.

999. Postremo sciendum est, in Spoliantis odium constitutum esse, si Spoliatus (12) proprietatis litem ingressus fuerit, nullam de illata sibi violentia mentionem faciens, antequam renunciatum sit, aut conclusum

(1) D. cap. solicite, 2, ext. hoc tit.
(2) Cap. accepta, 3, ext. hoc tit.
(3) Cap. ult ext. de ord. cognit.
(4) Cap. 1, ext. hoc tit.
(5) Cap. ult. ext. de causa poss. et propr.
(6) Cap. consultationibus, 10, ext. de offic. deleg.
(7) Vide cap. causam, 7, ext. de praefer.
(8) Vide tot. tit. ext. qui Cler. vel vov.
(9) Cap. ult. de restit. spol. in 6.
(10) Vide can. sic de rebus, 2 et seq. 23, q. 7.
(11) Vide cap. litteras, 13, ext. hoc tit.
(12) Cap. Pastoralis, 5, ext. de caus. posses. et propr.

in proprietatis judicio, ut idem debeat super possessorio (etiam petitorio suspenso) audiri. Quod si renunciatum fuerit, vel conclusum, ut jam possit causa proprietatis sententia terminari, ne lites litibus multiplicentur, et via possit fraudibus aperiri, causa non decisa, possessorio non erit utendum; nisi Judex, qui de causa cognoscit, hoc ipsum ex justa causa viderit expedire: puta, cum ex perspicuis indiciis iniquitas invasoris facile arguitur, et spoliato casu, sive dolo Spoliatoris, dominium probandi facultas subtracta fuerit.

CAPUT XII.

DE LITIS CONTESTATIONE.

1000. Est autem Judiciorum, quasi fundamentum quoddam Litis Contestatio: nam si illa a Partibus praetermissa fuerit, procul dubio omnia, quae sequuta fuerint, corruent, seque ipsos Litigatores inanibus laboribus, et sumptibus vexabunt: unde nec testes recipi, nec ad Sententiam per Judicem procedi poterit.

1001. Ea vero (1) sit per petitionem in Jure propositam, et congruam responsionem sequutam, animo contestandi Litem factam, cum Judex per narrationem negotii causam audire coeperit. Unde si quis positionibus simpliciter respondeat, aut peremptoriam exceptionem proponat, nequaquam per hoc esse facta Contestatio Litis intelligitur.

1002. Fit autem Litis Contestatio, non solum per Principales: sed etiam per Procuratorem (2), Tutorem, et personas similes.

1003. An Advocati (3) responsio Litis Contestationem faciat, dubitari potest? Et ex facto responsum est, nisi statim revocata fuerit, illius quoque responsione Contestationem fieri.

1004. Nec solum, cum per actionem Judicium instituitur, erit Litis Contestatio necessaria: sed etiam ubicumque (4) Judicis officium pro ipsa proponitur actione: veluti cum restitutio in integrum non incidenter, sed principaliter postulatur.

1005. Igitur sequuta (5) Contestatione Reus et Judici subjicitur, et Actori obligatur, dilatoriis exceptionibus via praecluditur, actiones perpetuantur, praescriptio interrumpitur; alii quoque effectus emanant, ut tam Civilibus, quam Ecclesiasticis Constitutionibus, suis locis traditur.

1006. Admonendi (6) tamen sumus, quod traditum est, Lite non contestata, non posse testes recipi, aut ad Sententiam perveniri, non esse perpetuum. Nam si forte de morte testium timeatur, vel absentia diuturna, cum civiliter est agendum, ne veritas occultetur, et probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, senes, et valetudinarii, et alii testes, de quibus ex probabili causa timetur, etiam Lite non contestata, sunt admittendi; seu pars conventa sit contumax, seu sine dolo sit absens, ut conveniri non possit.

1007. Debet tamen (7) Actor intra

(1) Cap. un. ext. hoc tit.
(2) D. cap. un. ext. hoc tit.
(3) Cap. cum causam, 62. ext. de appell.
(4) Cap. ult. ext. de offic. judic.
(5) Vide Spec. h. tit., § fin.
(6) Cap. ult. ext. ut Lite non contest.
(7) D. cap. ult. in princ. vers. sed si ext. ut Lite non contest.

annum, ex quo facultas sibi data fuerit, Adversarium convenire, aut saltem hujusmodi testium receptionem eidem denunciare: alioquin attestationes sic receptae non valebunt, ne forte hoc procuretur in fraudem, ut scilicet processu temporis exceptiones legitimae ad repellendum testes, vel aliae, locum habere non possint.

1008. Sunt et alii (1) casus, in quibus absque Litis Contestatione legitime possunt testes produci, et Lis Sententia terminari; quos tam ex his, quae supra de Contumacia diximus, quam etiam ex aliis locis cognoscere licebit. Et generaliter (2), ubicumque Libellus non exigitur, aut jus agendi contra certam personam non dirigitur, Litis Contestatio non est necessaria.

CAPUT XIII.

DE JURAMENTO CALUMNIAE.

1009. Sed, ut veritate praevia, Judicia expediantur institutum est, ut Litigatores in exordio Litis, de Calumnia vitanda jurare debeant. Quod juramentum (3) si quis praestare recusaverit, Actor quidem ab instituta cadet actione, et pro confesso Reus habendus erit.

1010. In hac tamen parte quibusdam casibus Clericis jura (4) pepercerunt. Vetuerunt enim, ne dum propriae Ecclesiae causa peragitur, inconsultis illorum Praelatis, hujus modi subire jusjurandum, cogantur, licet in propriis causis hujusmodi privilegio minime gaudere noscantur.

1011. Sed et quo casu (5) hoc juramentum subire, vel permittuntur Praelati, vel jubentur; non factis, sed tantum propositis Scripturis id adimplebitur.

1012. In causis spiritualibus olim (6) de Calumnia minime jurabatur: sed quia et in illis Litigatores frequenter calumniari compertum est, novissime (7) sancitum est, ut in eis id, quod in ceteris constitutum est, observari debeat.

1013. Et non tantum Principales, verum etiam Procuratores (8), et Syndici (9) hujusmodi juramentum suscipere compellendi erunt; etiam si, quid ponere aut respondere debeant, a Dominis instructi fuerint, aut post hoc praestitum juramentum deputati fuerint: nec enim illud intra certa judicii tempora coarctatum reperitur, sed poterit Judex exigere, quoties expedire viderit.

1014. Praeterea (10) quamquam in prima instantia Partes juraverint: non tamen propterea in causa appellationis hujusmodi juramentum declinare poterunt, cum rursus, et de Calumnia vitanda, et dicenda veritate jurare Partes sint compellendae.

1015. Illud postremo admonendi sumus, quod propter omissum (11) tacite in tota causa Calumniae jura-

(1) D. cap. ult., § sunt et alii ext. ut Lite non contest.
(2) Cap. ult. ext. eod.
(3) Cap. ult., § fin. ext. hoc tit.
(4) Cap. 1, ext. eod. t.
(5) D. cap. ult. in princ., ext. hic tit.
(6) Cap. litteras, 2, ext. hoc tit.
(7) Cap. 1, § ult. eod. tit., in 7.
(8) Cap. in appellationis, 2, § Procuratores, et § tit. eod., in 6.
(9) Cap. ult., ext. eod. Ad § 4.
(10) D. cap. in appellationis, 2 in princ., in 6.
(11) Cap. 1, § 2, eod. in 6.

mentum, judicialis processus alias factus legitime, nec est nullus, nec ob eam causam venit annullandus: cum hujusmodi (1) juramenta praestari de substantia ordinis judiciarii non existat.

CAPUT XIV.

DE LITIS PENDENTIA.

1016. Instituta ergo lite, et solemnibus praestitis satisdationibus, et calumniae juramento exhibito; ad probationes, et merita causae descendendum erit: et interim pendente lite, nihil innovari (2) poterit.

1017. Lis autem (3) pendere hoc respectu tunc dicetur, non modo cum Lis contestata fuerit; verum etiam postquam a Judice competenti citatio emanarit, et ad Partem citatam pervenerit, vel per eam factum est, quo minus ad ejus notitiam perveniret: dum tamen in citatione ea sint expressa, per quae possit quis instrui super quibus in judicio convenitur.

1018. Plane ab eo (4), qui postquam a sententia provocavit, possessionis fructus dissipat, etiam lite pendente, sequestrari poterunt.

1019. Sic etiam, si dum super matrimonio (5). Lis pendet, secundum quis matrimonium rite contraxerit; si primum non tenuisse declaratum fuerit, pendentis litis obtentu secundum irritari non poterit. Ei tamen, qui in contemptum contraxerit, competens poenitentia imponenda erit.

(1) D. cap. 1 in princ. eod. in 6.
(2) Tot. tit. ext. cod. et in 6, et in Clement.
(3) Clement. II hoc tit.
(4) Cap. ult. extr. de sequestr. possess.
(5) Cap. cum in Apostolica. 15. ext. de sponsalib.
(6) Clem. II de verbor. signif.
(7) Cap. 2 de confess. in 6.
(8) D. cap. 2 de confess. in 6.

CAPUT XV.

DE PROBATIONIBUS.

1020. Probatio igitur, est idoneis argumentis, et legitimis mediis facta demonstratio.

1021. Contingit autem quid probari variis modis: ut puta, confessione partium depositione testium, instrumentorum exhibitione, jurisjurandi religione, inspectione Judicis, notorietate rei, suspicione vehementi, fama, atque aliis adminiculis.

1022. Partium confessione tunc constat probatio, cum Reus positionibus respondendo, vel alias in judicio de intentione confitetur Actoris. Sunt autem Positiones, breves quaedam narrationes facti seriem continentes, ad eliciendam veritatem conceptae, super quibus quis petit ab adversario responderi: quas ad faciliorem (6) expeditionem litium propter Partium confessiones et probationum defectum usus longaevus in causis admisit, et juris probavit auctoritas.

1023. Si quis igitur (7) positionibus sibi factis respondere requisitus recusaverit, vel, ne responderet, se per contumaciam subtraxerit, pro confesso habendus erit.

1024. Hoc tamen (8) ita demum obtinet, si a Judice respondere jussus illum absentem fieri contigerit: sed si antequam juberetur, contumaciter abscesserit, tunc pro confesso mini-

me reputabitur; sed contra eundem tamquam contumacem procedendum erit, prout juris ratio dictaverit.

1025. Redditis igitur (1) circa exhibitas positiones responsionibus, diligenter ab Actore dispiciendum erit, an a Reo super controversia legitimam confessionem extorserit: quo quidem casu, et ipse Probationum oneribus relevabitur, et Judicis in cognoscendo partibus cessantibus statim super tali confessione pronunciandum erit.

1026. Plane si per errorem (2) facti hujusmodi confessionem emanasse doceatur, confitenti (sed tamen confessionem suam statim revocanti) nullum praejudicium generabitur: alioquin, quod sua quisque voce dilucide testatus est, proprio non valebit amplius testimonio infirmare

1027. Non tamen, quia positionibus (3) Reus respondere compellitur, documenta quoque (4), quae ad causam pertinentia penes se detinet, nisi sibi cum Actore (5) sint communia, exhibere compellendus erit. Nam grave nimis esset illum ad eorum exhibitionem urgeri; per quae sibi postea praejudicium fieret. Sed Actor ipse, inficiante Reo, sumptis congruis dilationum temporibus, intentionis suae proprias probationes afferet, vel Testes inducendo, vel instrumenta, et alias scripturas producendo.

1028. Debet autem (6) in primis, si ex dictis Testium rei sit eruenda veritas admoneri adversarius quod auditurus juramentum veniat, ne, si praetermissum id fuerit, quod contra Leges actum deprehenditur, nullam habeat firmitatem.

1029. Sed et Testium depositiones non aliter recipiet Judex, quam prius jurisjurandi religione firmaverint, quod tantum, quae vera (7) noverint, professione suae testificationis aperient: nullius enim (8) testimonio, quantumcumque religiosus existant, nisi juratus deposuerit, in praejudicium credi debet alterius, nisi forte (9) juramentum ab adversa parte remittatur.

1030. Quod si Testes (10) a Judice moniti sese, vel odio, vel gratia, vel timore a ferendo testimonio subtraxerint, per censuras ecclesiasticas testificari compellendi erunt; nec audientur (11); quod sese, quo minus deponant, proprii juramenti vinculo innodatos afferant.

1031. Interrogabit ergo Judex Testes in qualibet causa ad minus duos (12) (nulla enim causa est regulariter, quae unius testimonio quantumvis legitimo terminetur) eosque diligenter (13) examinabit, de singulis circumstantiis diligenter inquirens, de causis videlicet, de personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, et certitudine, ceterisque quae ad rem facere, et negotio convenire existimabit.

1032. Illud quoque subtiliter ani-

(1) Spec. in tit. de confess. in princ.
(2) Vide cap. ult. et ibi Glossa ext. de confess.
(3) Cap. 2 de restit. in 6.
(4) Cap. 1, ext. de prob.
(5) Cap. 6, per perpetuas, 12, ext. de fide instrum.
(6) Cap. 2, ext. de testib.
(7) Can. pen. 111, 9, 9.
(8) Cap. nuper. 51, ext. de testib.
(9) Cap. tuis, 39, ext. de test.
(10) Cap. 8, 9, 10 et ult., ext. de test. cog.
(11) Vid. cap. intimasti, 18, ext. de test.
(12) Cap. licet, 23, ext. de testib.
(13) Cap. cum caus., 37, ext. de testib.

madvertere non omittet, quo vultu, qua constantia, quave animi trepidatione Testes deponant; cum interdum ex his, vel ipsis invitis, testibus magis quam ex verborum serie rerum veritas elucescat.

1033. Si qui (1) tamen eorum qui interrogandi sunt, valetudinarii, vel senes, vel debilitate confecti habeantur, vel etiam ita paupertate depressi, ut ad praesentiam Judicis venire non possint, idoneum deliget Judex, quem ad suscipiendas illorum attestationes dirigat.

1034. Testes vero (2) non omnes recipiendi sunt, sed fideles dumtaxat et idonei. Censentur autem (3) Testes conditione, natura et vita. Conditione si liber testis sit, non servus: servus enim saepe metu dominantis, veritatis testimonium supprimit. Natura, si vir sit, non foemina: nam varium et mutabile semper foemina.

1035. Cujus tamen (4) testimonium, si quando necessarium fuerit, cum mulieres honestas ipsa, ac naturalis pudor virorum coetibus immisceri prohibeat, quacumque auctoritate testimonii ferendi causa, vel alia quae jure non exprimatur, in Judicium personaliter evocari, vel trahi non poterit; sed ad eam mittendus Tabellio, et juxta Bonifacianae Constitutionis tenorem, procedendum erit.

1036. Vita censetur (5) testis, si innocens sit, et integer; nam si vita bona defuerit, fide carebit.

1037. In summa, quicumque Jure minime prohibentur, ad testimonium perhibendum sunt admittendi. Clerici (6) ergo a ferendo testimonio super negotio propriae ecclesiae; vel aliae singulares personae, in causa suae universitatis arcendi non erunt, nisi ad agendum (7) respondendumve fuerint instituti, vel ipsos alia causa probabilis impedierit.

1038. Monachi quoque (8), et quicumque sub alterius obedientia constituti sunt, de sui Praesulis licentia recte testimonium dicent.

1039. Christianorum quoque (9) testimonia adversus Judaeos in omnibus causis recipienda erunt, nullis sibi contra hoc Principum privilegiis suffragantibus. Sed contra Christianum, nec Judaeus, nec Paganus, nec Haereticus, aut aliter Infidelis, neque excommunicatus, aut aliter criminosus recte testimonium dicent.

1040. Plane quod de criminoso diximus, distinctionem recipit: nam si is (10), cui ab adversa Parte opponitur, adhuc in ipso crimine perseverat, tam in civili, quam in criminali causa ab omni prorsus testificandi officio excludendus erit: si vero sit de crimine emendatus, nec eum comitetur infamia, non est in causa civili, vel etiam cum de crimine civiliter agitur, praeterquam pro reatu perjurii, repellendus.

1041. In criminali autem (11) quae-

(1) Cap. si quis testium, 8, ext. de testib.
(2) Cap. 1, ext. h. tit.
(3) Cap. forus, 10, in fin. ext. de verb. signif.
(4) Cap. mulier, 2, de jud. in 6.
(5) D. cap. forus, 10, in fin. ext. de verb. sign.
(6) Cap. cum nunt. 12, h. t.
(7) Vide can. 1, 4, q. 4.
(8) Vide cap. nuper., 51, et cap. tuis, 39, ext. de test.

(9) Cap. Judaei, 21 ext. h. tit.
(10) Cap. testimon., 54, ext. h. tit.
(11) D. cap. testimon., 54, ext. de testib.

stione, si in alio Judicio contra ipsum accusatione de crimine instituta confessus, vel convictus fuit, vel si tunc per exceptionem convincatur, aut ejus gravata sit opinio, ex eo quod quandoque fuit tali modo repulsus, quamvis hoc casu non excluderetur in causa civili, potest a testimonio, licet egerit poenitentiam, removeri.

1042. Illud in dubium non venit, ejus testimonium, qui integer deposuit, infringi debilitarive minime posse, quamquam illud post depositionem factum esse contigerit criminosum: nec enim (1), quod recte semel factum est, ex hujusmodi eventu postea debet infirmari; cum culpandus non sit, qui idoneum nunc in testem producit, si aliquando eumdem futurum malum non divinaverit.

1043. Domestici (2) quoque, et qui similem habentes causam consimili quoque morbo (3) verisimiliter laborare existimandi sunt, si certum id sit, aut super eo legitime convinci possint, si ab alterutra Partium Testes adducti fuerint, ad testimonium admittendi non erunt.

1044. Is quoque (4), qui in prima instantia alicujus causae advocationem et patrocinium susceperit, licet Advocatus et Procurator esse desierit; quia tamen adhuc affectus causae praesumitur, in Judicio appellationis in testem recipiendus non erit.

1045. Dabunt autem Judices, tam in ecclesiasticis, quam in civilibus causis ad exhibendos Testes, non solum unam, sed ex causa secundam etiam et tertiam dilationem (5). Quartam vero disceptantibus non largientur, nisi praestito ab eo, qui postulat, juramento, quod non per calliditatem aliquam, quartam productionem postulet; sed quia illorum, quos instat nunc de novo producere, prius notitiam habere nequiverit; quodque per se (6) neque per alium testificata subtraxerit, vel didicerit; quo casu quartam quoque dilationem accommodabit Judex, maxime si productioni Testium non fuerit a partibus renuntiatum.

1046. Si quidem, ne Probationes depereant (7), multa permittuntur quae alioqui non concederentur: ut ecce, si is in causa Judex datus fuerit, quem in Testem produci sit necessarium, removendus, et alius in ejus locum substituendus erit. Sic et alias citato Adversario (8) recipiuntur et publicantur Testes, quos reus inducendos duxerit. Sic et Ecclesia necessariae Probationis omissione laesa, etiam adversus Ecclesiam restituenda erit.

1047. Elapsis igitur tribus dilationibus, postquam renunciatum est Probationibus, et publicata dicta Testium, regulariter producendi Testes rursus non erit danda copia. Et sicut (9) non licet super eisdem, vel directo contrariis articulis, alios vel eosdem Testes in principali causa producere: sic non debet in causa appellationis licere, cum non minus

(1) Cap. factum, 73, de reg. jur. in 6.
(2) Cap. in litteris, 24, ext. de testib. et Gratian. post can. si testes, 2, IV, q. 2 et 3.
(3) Cap. personas, 20, ext. h. tit.
(4) Cap. ult. de test. in 6.
(5) Cap. pen., ex de testib.
(6) Cap. constitutis, 46, ext. de testib.
(7) Cap. dilecto, 40, ext. de testib.
(8) Cap. significavit, 41, ext. eod.
(9) Cap. auditis, 3, ext. de restit. in integr.

in ea, quam in principali Testium sit timenda subornatio.

1048. Quod si (1) nova contingat emergere capitula, super quibus Partes Teste novos velint inducere, recepto solemni juramento Testium, non obstante publicatione super veteribus facta, nec in primo, nec in secundo Judicio rejiciendi erunt.

1049. Sed interdum accidit, ut eos, qui jure in Testes recipi non debuerunt, admistos tamen esse ab aliqua Partium praetendatur: in qua specie statutum est (2), ut si quid in eos habent, ante publicationem debeant objicere; postea vero tunc demum id licebit, cum juramento Partes firmaverint, quod non dolo velint ad opponendum descendere.

1050. Sed et si ostendere (3) quis paratus fuerit, post publicationem didicisse se quod in personas vult objicere, tunc quoque opponendi patere debet aditus.

1051. Idem Juris est (4), si forte quis ante publicationem id fuerit protestatus, velle se post publicationem depositionum, personas Testium repellere, si quid in favorem protestantis dixerit, non de facili fides adhibetur.

1052. Illud etiam admonendi sumus, quod non solum Testes (5) super principali negotio deponentes aliis Testibus licebit repellere: sed etiam contra secundos primorum reprobatorios probationes proferre licebit. Et non admittente Judice, appellationis (6) remedium licitum erit interponere.

1053. Ulterius autem (7). Partibus ad reprobationem Testium aspirare minime licebit, ne si producendi quartos contra tertios, et sic deinceps, Partibus licentia tribuatur, negotium contingat in infinitum protelari.

1054. Publicatis igitur (8) attestationibus, non solum ad multitudinem Testium respicere Judicem oportet, sed etiam ad qualitatem illorum: item depositiones rimari, et diligenter inspicere debet, et ex his, quibus potius veritatis lucem assistere judicabit, animi sui motum informabit.

1055. Quod si circa alicujus Testis dictum Judicis haesitet intellectus, eumdem rursus (9) ad examen revocare poterit. Et generaliter Judex usque ad prolationem Sententiae interrogare super facto poterit, ubicumque aliquid dubitationis inciderit.

1056. Eum quoque (10), qui non studiose, sed linguae lubrico erraverit, et se se confestim correxerit, reprobare Judex non debet: secus autem, si correctioni suae tempus interposuerit.

1057. Repetere autem non solum obscure deponentem poterit, sed etiam, si a principio (11) super certis capitulis eumdem interrogare, postulante Adversario, vel negligentia, vel calliditate praetermiserit.

(1) Cap. cum venisset, 25, ext. de testib.
(2) Clem. II eod.
(3) Cap. fraternitatis, 17, ext. de test.
(4) Cap. praesentium, 31, ext. de testib.
(5) D. cap. praesentium, ext. ead. t.
(6) D. cap. praesentium, 31, ext. eod.
(7) D. cap. licet., 49, ext. de test.
(8) Cap. in nostra, 32, ext. h. t.
(9) Cap. clamor., 33, ext. 11.
(10) Cap. praeterea, 3, ext. de testib. cogend.
(11) Cap. perpetuas, 48, ext. h. t.

1058. At si partes vivae vocis adminiculo in probando destitutae fuerint, ad instrumentorum productiones decurrere eas oportebit. Et licet instrumentorum adeo late pateat appellatio, ut hoc nomine etiam Testes (1) contineantur, quippe et ipsi causam instruunt: nos tamen in praesenti pro Scripturis in Judicio exhibendis magis utimur; quae quidem in Litibus exercendis eamdem (2) cum depositionem Testium vim obtinent.

1059. Exhiberi autem (3) in Jure poterunt instrumenta non solum ante attestationum publicationem, sed et postea usque ad definitivae Sententiae calculum; antea tamen quam in causa conclusum fuerit. In causa autem (4) conclusum esse tunc dicimus, cum a Partibus omnibus Probationibus renuntiatum fuerit.

1060. Non tamen omnis Scriptura in Judicio producta fidem faciet; sed ita demum, si per manum publicam (5) scripta fuerit, ita ut appareat publica, aut authentico sigillo muniatur: alioqui nullius roboris firmitatem obtinebit.

1061. Idem et de Exemplis (6) dicendum erit, quae tamen, si solemniter sumpta fuerint, eamdem (7) cum Originalibus habitura sunt auctoritatem. Solemniter autem tunc dicentur sumpta, cum coram ordinario Judice, vel ad hoc ab ipso specialiter Delegato praesentata fuerint, atque is diligenter inspecta, dum nulla parte sui vitiata comperit, per publicam personam Exempla sumi praecipit.

1062. Eamdem etiam (8) auctoritatem et ea obtinebunt, quae ad petitionem eorum, ad quos pertinent, permissu Judicis ordinarii in publicam formam redacta fuerint, si Tabellio morte praeventus ea non perfecerit, sed in notas tantum redacta moriens reliquerit.

1063. Exhibebuntur (9) ergo Instrumenta publica non cancellata, neque abolita, nec ulla parte sui vitiata, aut aliquo pacto de falsitate suspecta, quamquam si Exceptor literam (10) imprudens omiserit, aut documentum in loco non suspecto interleverit non propterea veri fides, et Instrumenti auctoritas vacillabit.

1064. Quod si nec Testibus (11), nec instrumentis intentionem suam Actor legitime deduxerit, permittente Judice, non plene Probationes jurisjurandi religione suppleri, et causa terminari poterit. Nec enim aliud est juramentum quam veritatis confirmatio, cum aliquid, Deo teste, asseritur.

1065. Sed cum sit juramentum multiplex, duplex tantum (12) in proposito considerari poterit; aut enim est necessarium, aut voluntarium. Necessarium est, quod ad supplendas Probationes a Judice Parti defertur; quod propterea necessarium nuncu-

(1) Cap. pervenit, 4, ext. de testib. cogend.
(2) Cap. cum Joannes, 10, ext. de fid. instrum.
(3) Cap. cum dilect., 9, ext. de fid. instrum.
(4) Vide cap. Pastoralis, 5, ext. de causa poss. et propr.
(5) Cap. 21, ext. de fid. instr.
(6) Glos. 2, in cap. 1, ext. de fid. instrum.
(7) Cap. ult., ext. de fid. instr.
(8) Cap. pen., ext. de fid. instr.
(9) Vide cap. inter dilectos, 6, ext. de fide instr.
(10) Cap. ex parte, 3, et cap. ex parte, 11, ext. de fid. instrum.
(11) Cap. ult., ext. de jur. ejur.
(12) Gloss. 1, in cap. ult. ext. de jur. ejur.

patur, et quod a Judice illud omnino deferri Partibus oportet, et quod rite delatum ab eisdem, nisi ex justis causis recusari non poterit.

1066. Sunt autem justae recusandi causae; ut puta, si Actor plene probaverit, aut si sibi non plene cognitam rem ipsam asserat; et si quae sunt hujusmodi.

1067. Sed et si (1) pro Reo praesumptiones fuerint, eidem hoc sacramentum Judex deferet ad suam tuendam innocentiam; nisi inspectis personarum et causae qualitatibus, illud Actori deferendum censeat.

1068. Voluntarium (2) est, quod a Parte Parti in judicio defertur: quod quia Litem terminat, decisorium quoque nuncupari poterit. Et appellatur voluntarium, quia Pars non nisi volens deferet; et ab eo, cui defertur, licite recusari, ac referre poterit.

1069. Plane, si Reus (3) famosis actionibus conventus fuerit, hujusmodi jusjurandum agenti referre minime permittetur, cum non Actor, sed ipse, qui convenitur facti proprii, conscius esse debeat.

1070. Judicis inspectione consistunt Probationes: ut puta, cum pro terminandis finalibus quaestionibus propriis oculis loca Judex subjicit, aut ex aspectu corporis aetatem colligit; aut, cum ex literis Ordinarii, vel Apostolicis excommunicatus, aut dignitatibus honestatus quis deprehenditur: vel cum ad probandum virginitatem ab honestis et prudentibus matronis, vice sua Judex inspici mulierem jubet.

1071. Sed et si quid notorium (4) fuerit, Testium depositionibus, vel Instrumentorum exhibitione amplius declarari non debet; cum talia Probationem, vel Ordinem judiciarium non requirant.

1072. Sed cum multa (5) dicantur notoria, quae non sunt, prospicere debet Judex, ne quod dubium est pro notorio recipiat.

1073. Ad notorium prope accedit vehemens suspicio, nam si (exempli gratia) de carnali copula quaeratur (6); et sint, qui solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentem locis secretis, et ad hoc commodis, et horis electis se vidisse deponant, proculdubio ex suspicionibus tam vehementibus sequutam copulam pronunciari poterit. Plane si de gravi crimine actum fuerit, propter solam suspicionem (7) quamquam vehementem, nemo condemnabitur.

1074. Fama quoque (8), si de aliquo facto invulgata fuerit, ceteris praesumptionibus non leve, praesertim in quibusdam praestabit adminiculum. Deum circumspectus Judex motum animi sui, non ex una tantum re, sed ex variis argumentis, et testimoniis, quae rei aptiora esse compererit, confirmabit. Judicaturum enim oportet cuncta rimari, et ordinem rerum plena inquisitione discutere, nec Sententiam prius ferre, quam peractis omnibus, nihil habeat in quaestione, quod proponat.

(1) Cap. ult., § fin., ext. de jure jur.
(2) 4 Gloss. 1, in cap. ult., ext. jure jur.
(3) Cap ult., ext. in pr. de jure jur.
(4) V. can. de manifesta, 17, 11, q. 1, et cap. tua Gloss. 8, ext. de cohabit. Cler. et mulier.
(5) Consuluit, extr. de appello.
(6) Cap. litt. fraternit., 12, ext. de praesumpt.
(7) Cap. litteras vestras, 14, ext. de praesumpt.
(8) Cap. praeterea, 77, ext. de testib.

CAPUT XVI.

DE SENTENTIIS ET RE JUDICATA.

1075. Videndum nunc de Sententiis, et Re judicata. Est autem Sententia nihil aliud quam controversae propositae a Judice rite facta diffinitio.

1076. Sententiarum duae sunt species; aut enim interlocutoriae sunt, aut diffinitivae. Interlocutoria (1) est illa, quae inter principium et finem causae fertur super his, quae incidunt, vel emergunt: qualis, cum Judex dandam, vel negandam dilationem ad examinandos testes, vel exhibenda instrumenta interloquitur, vel super aliquibus exceptionibus pronunciat; quam nec in scriptis ferri oportet, et ante diffinitivam sententiam quandocumque Judex revocare poterit.

1077. Diffinitiva vero sententia est diffinitio judicialis, quae condemnando, vel absolvendo principali controversiae, finem imponit. Diffinitiva (2) enim, quae nec condemnationem, nec absolutionem continet, pro nulla habetur: hanc simul ac tulerit, retractandi copia judici denegabitur.

1078. Non tamen (3) ut sententia valeat, contemnendi, vel absolvendi verbum necessario continere debebit: sed satis erit, quod verbum aequivalens contineat. Unde rescriptum est ejus definitionem, qui ita se statuere, et praecipere pronunciasset, legitimae sententiae obtinere firmitatem.

1079. Vocatis (4) igitur Partibus, loco et tempore congruis Judex ipse sedens sententiam de scripti (5) recitatione proferet: alias, si non Judex sed alius legerit, vel scriptam litigatoribus tantum ediderit, vel stando non sedendo tulerit, nullius penitus momenti erit, ut ab ea nec appellare sit necesse.

1080. Episcopo tamen (6), quem tantae dignitatis apex attollit, instar personarum illustrium, sententiam per alium recitare permittitur.

1081. Sed et si plures Judices (7) sint, vel arbitri, si ceteris praesentibus, ac mandantibus per unum tantum sententia recitetur; si plurali numero perlegendo usus fuerit, perinde habebitur, ac si ab omnibus recitata fuerit, licet aliud in electione servetur.

1082. Ex facto (8) dubitatum fuit, duobus judicibus diversas proferentibus sententias, utra sit habenda potior: in qua specie responsum est, quod si ex jurisdictione ordinaria processerunt, tenet pro Reo, non pro Actore lata sententia, nisi agentis causa sit favorabilis: ut puta, libertatis, dotis, matrimonii. Si vero ex delegata, utraque ex Delegantis pendebit arbitrio. Quod si ex compromisso, utraque firmitatis roboret destituetur.

1083. Quod si pluribus (9) judici-

(1) Glossa in Clement. un. de seq. possess. et fruct.
(2) Gratiam, § diffinitivo post can. ei qui, 41, 11, q. 6.
(3) V. cap. in his, 15, ext. de verbor. signif.
(4) V. cap. cum olim. 34, ext. de appell.
(5) Cap. ult. h. t. in 6.
(6) D.cap. ult. hoc tit. in 6.
(7) Cap. pen. cod. in 6.
(8) Cap. ult. ext. hoc tit.
(9) Gratian. § item si plures post can. ei qui, 41, q. 10.

bus datis, unus tantum ex eis pronunciasse proponetur, adeo nullas sententia vires obtinebit, ut nec provocationis remedium necessarium sit futurum.

1084. Sed sive ordinarius sit, sive delegatus Judex, in primis illud observare debet, ne contra id judicet quod Legibus (1), aut Canonibus proditum sit: alioqui ipso Jure Sententia non subsistet.

1085. In Causis quoque (2), quae Summi Pontificis Judicio deciduntur cum in similibus Causis, ceteri teneantur, judicare, similiter Juris ordo, et vigor aequitatis subtiliter observandus erit: nisi cum ille aliquid causa necessitatis, et utilitatis dispensative duxerit statuendum.

1086. Si tamen Sententia (3) non contra jus Constitutionis expresse a Judice lata fuerit, sed contra jus Litigatoris, cum Jure quidem teneat, legitimis mediis retractanda erit.

1087. Dicitur autem (4) Judex contra jus Constitutionis pronunciasse, veluti cum defunctus, et minor quatuordecim annis fuisse asseritur, et testamentum jure fecisse pronunciatur. Contra jus vero Litigatoris, veluti cum minor quatuordecim annis, annum quartum decimum implevisse, ac per hoc testamentum jure fecisse asseritur.

1088. Is autem (5), qui in gravamem Partis alterius in Judicio aliquid injuste fecerit per gratiam, vel per sordes, sive Ordinarius, sive Delegatus sit, ab executione officii per annum suspendendus erit; et ad aestimationem litis Parti, quam laeserit, nihilominus condemnabitur.

1089. Et, si suspensione (6) durante Divinis sese ingesserit, irregularitatis quoque laqueo innodabitur, a qua nonnisi per Summum Pontificem liberari poterit: aliis quoque Legum animadversionibus coërcebitur; cum dignum sit, ut qui in multis audet offendere, poenae etiam multiplici subdatur.

1090. Lata tamen (7) Sententia, nisi per appellationem intra terminum Lege constitutum suspensa fuerit, amplius revocari non poterit. Cum enim post decem dierum spatium Sententia in auctoritatem rei judicatae transeat; qui ad provocationis subsidium intra id temporis spatium non recurrit, ideo appellandi sibi aditum praecludit, quia per hoc videtur interpretatione Juris velle latae Sententiae obtemperare.

1091. Excipiuntur tamen multi casus, in quibus Sententiae, etiam post decem dies, rei judicatae firmitatem sibi vindicare non valent: veluti cum de Matrimonio (8) est quaestio, aut servata Sententia salus animae in discrimen adducitur, et alii plures.

1092. De eo quoque admonendi sumus, quod etsi Sententia (9) transierit in Rem judicatam, praeter eos, inter quos dicta fuerit, regulariter neminem laedet: si quis tamen, cum

(1) Cap. 1, ext. hoc tit.
(2) Cap. in causis, 19, ext. eod.
(3) Cap. cum inter, 13, ext. hoc tit.
(4) Gratian. item si Sententia et sequ. post cum ei qui, 41, 11, q. 60.
(5) Cap. 1, hoc t. in 6.
(6) D. cap. 1 in fin. eod. in 6.
(7) Cap. quod ad consultationem, 15, ext. hoc tit.
(8) Cap. Lator., 7, ext. eod.
(9) Cap. quamvis, pen., ext. h. tit.

sibi primum de ea re actio, vel defensio competeret, sustinuit sequentem agere, aut passus est eum, a quo causam habuit, experiri; ipse quoque sentiet ex Re judicata praejudicium.

CAPUT XVII.

DE EXECUTIONE REI JUDICATAE.

1093. Si igitur Sententiae latae legitima appellatio non occurrerit, intra statuta tempora executioni mandata erit.

1094. Sed multum intererit, utrum super reali, an vero super personali actione Sententia lata fuerit. Primo enim casu, statim: secundo, nonnisi post emensa quatuor mensium spatia executioni mandabitur.

1095. Licet autem (1) quadrimestre tempus in personali actione sit regulariter statutum, ex causa tamen nonnunquam et arctari, et prorogari potest. Sed qui ab initio terminum recipit sponte breviorem, sibi id imputare debet, cum ex voluntate propria Juris beneficium contempsisse videatur. Unde postea non audietur appellans, nisi forte adversus eum modus executionis Canonicus excedatur, sive etiam ab ordinario, sive a Judice delegato, sive etiam ab Arbitris res judicata fuerit.

1096. Sed si Ordinarius (2) ad mandatum Judicis a Principe delegari nolit, aut quibusdam obsistentibus Sententiam ab eo latam suo effectui mancipare nequeat, datus ipse Judex illam Executioni mandare poterit, et resistentes Ecclesiastica sententia coërcere; et non solum (3) usque ad quadrimestre tempus, quod ad solvendum debitum a Lege Reo conceditur; sed usque ad annum integrum ad exequendam Sententiam, jurisdictionem exercere poterit.

1097. Quod si Princeps (4) propriam Sententiam per aliquem Executioni mandari jubeat, et circa negotium fraus intervenisse dicatur, Executori de toto negotio cognoscendi facultas non erit, sed ad superiorem quaestiones, si quae inciderint, deferri oportebit.

1098. Cum igitur (5) regulariter contingat, quod Executio Sententiae Ordinario demandetur, poterit, an si ipsam injustam esse cognoverit, Executioni eam mandare debeat; an sit ei subsistendum potius? In qua specie responsum est, quod cum Ordinarius Delegato teneatur obsequi, licet Sententiam non esse justam noverit, exequi, nihilominus tenebitur; cum sibi non cognitio, sed Executio tantum fuerit demandata: nisi a dato Judice impetrare valeat, ut ab hoc onere ipsum liberet; nec enim debet (6) Judicis delegati mandato violenter resistere, sed et apud eumdem instare poterit, ut Executionem tamdiu differri patiatur, donec Principi rei veritas innotescat.

1099. Sed quid (7) si cum a Sententia lata auctoritate literarum A-

(1) Cap. quod ad consolationem, 15, § sed nec ext. de Sent. et Re judic.
(2) Cap. significasti, 7, extr. de offic. deleg.
(3) Cap. quaerenti, 26, ext. de offic. jud. deleg.
(4) Cap. de caetero, 5, ext. de Sent. et Re judic.
(5) Cap. Pastoralis, 28, § quia vero, ext. de offic. deleg.
(6) Cap. si quando, 8, ext. de off. deleg.
(7) D. cap. Pastoralis, 28, § praeterea, ext. de off. del.

postolicarum, in quibus inhibita fuerat appellatio, provocatum fuerit, et literae post appellationem ad alios Judices emanaverint; an ad mandatum posteriorum Judicum Executio Sententiae a prioribus delegata retardari debeat? Et quidem cum Apostolicus aliis Judicibus appellationis causam ex certa scientia committit, et appellationem videtur recipere, et simul priorum Judicum revocare Jurisdictionem. Usque eo igitur Sententiae suspendetur Executio, donec appellationis merita plenius discussa fuerint.

1100. Dantur et casus alii, in quibus, licet Sententia in rem transierit judicatam, differenda nihilominus erit Executio: ut puta, si non protelandi causa in integrum (1) restitutio petita fuerit.

CAPUT XVIII.

DE APPELLATIONIBUS.

1101. Appellandi usus praecipue Judicantium iniquitatem corrigit, et imperitiam detegit. Est autem Appellatio Jurisdictionis prioris Judicis per superioris invocationem legitime facta suspensio. Vel Appellatio est provocatio ad majorem Judicem ratione gravaminis illati, vel inferendi.

1102. Appellationum duae sunt species (2), aut enim extra Judicium appellatur, aut in Judicio, extra Judicium appellatur, cum quis (3) ante litis ingressum ab aliquo gravamine appellat: ut puta, ab Electionibus (4), Postulationibus, Provisionibus, et quibuslibet extrajudicialibus actibus, ex quibus se gravatum putet. Licet enim saeculares Leges (5), nonnisi in casibus ante Sententiam Appellationem admittant; sacri tamen Canones etiam extra Judicium passim appellare permittunt: nec solent (6) hujusmodi dici proprie Appellationes, sed Provocationes.

1103. Rursus in Judicio appellatur (7), aut ante definitivam Sententiam, aut postea. Antea appellatur, ut cum ab Interlocutoria; vel alio gravamine provocatur. Postea, ut cum ab ipsa diffinitiva Sententia appellatur.

1104. Multum autem interest ab Interlocutoria quis provocet, vel alio gravamine, an a diffinitiva: nam primo casu, et causam Appellationis in scriptis (8) assignare, et a Judice infra triginta dies instanter petere debet literas Dimissorias, et eidem intra dictum temporis spatium debent ab eodem Judice exhiberi, continentes et Appellationis causam et cur Appellatio non sit admissa, vel si Appellationi forsan ex Superioris reverentia sit delatum. Alioquin si eos (9) intra idem tempus Appellans petere praetermittat, Appellationi suae renuntiasse putabitur, etiam si vadat, aut mittat ad Appellationem hujusmodi prosequendam.

1105. Idem juris est (10), si Judex,

(1) Cap. suscitata, 6, ext. de in integr. restitut.
(2) Cap. 1 de Appell., in 6.
(3) Cap. cum sit, 5, ext. de Appell.
(4) Cap. concertationi, 8, eod. tit. in 6.
(5) Cap. super eod., 12, ext. hoc tit.
(6) D. cap. cum sit, 7, in fin. ext. eod.
(7) Vid. d. cap. cum sit, 5, in pr. ext. h. t.
(8) D. cap. 1, h. in 6.
(9) Cap. super eo, 6, de Appell. in
(10) Clem. quamvis, eod. tit.

a quo appellatur, certum terminum Appellanti ad recipiendos apostolos assignaverit; et appellans in assignato sibi termino non compareat, nec eos sibi tradi petat. Idem est si Judex Appellanti responderit intra Juris terminum se daturum, nec intra dictum spatium congruo loco et tempore instanter, et saepius saltem uno contextu petierit, vel sibi oblatos Appellans recusaverit.

1106. Quod si Judex (1) in termino per eum praefixo ipsos petenti non dederit, aut si dum peterentur, vel intra Juris terminum, vel nullo certo termino praefixo, se daturum asseruerit; postea per Appellantem congruo loco, et tempore, saepius, et instanter unico etiam contextu requisitus eos exhibere non curaverit: perinde propriam Appellationem prosequi appellans poterit, ac si ei expresse fuissent apostoli denegati. Alia quoque agenda erunt, prout ex tenore tam Innocentianae (2), quam aliarum (3) Constitutionum luculenter apparet.

1107. In Appellationibus autem a Sententia diffinitiva interponendis, nec causam reddere tenetur Appellans; nec etiam supradicta diligens observatio per omnia sibi locum vindicat.

1108. Cum autem (4) ex probabili causa ab Interlocutoria quis duxerit appellandum, talem tenetur proponere, quae si probata fuisset, deberet legitima reputari, de quo postea superior cognoscet; nec enim sufficit (5) Appellanti probare, quod ex causa hujusmodi appellavit, si eam non doceat esse veram; nisi hoc se offerens probaturum non fuisset admissus.

1109. Quod si Judex (6) minus probabiliter appellatum esse compererit, Appellantem ad inferiorem Judicem remittet, et in expensis alteri Parti condemnabit: alioquin ipse procedet: nec licebit (7) Appellanti alias causas prosequi, quam quas in Appellatione sua nominatim expresserit.

1110. Quod si objiciatur (8), non ex legitima causa ante Sententiam Appellationem interpositam, et propterea non admittendam esse; nisi prius Appellatione recepta, velut emissa ex causa probabili, Judex superior cognoscere incipiat, sed ne procedatur Inferiori prohibere non poterit.

1111. Sed et si Judex (9) sano usus consilio ab ejus executione destiterit, quod comminando, vel interloquendo in gravamen Partis protulit; non obstante, quod ab hujusmodi comminatione, vel interlocutione provocatum fuerit, ne processus negotii frivolis occasionibus retardetur, in causae cognitione libere procedere poterit.

1112. Sed videndum (10), an Jus dicenti obtemperare tenearis, a quo propter gravamen, quod tibi illatum

(1) D. Clem. 24, § ult. h. t.
(2) D. cap. 1, eod. in 6.
(3) D. cap. cum sit, 5, ext. h. tit. et cap. Romanae, 3, eo in 6.
(4) Cap. ut adhibitus, 59, ext. eod.
(5) Cap. interposita, 70, ext. eod.
(6) D. cap. ut debitus, 59, in fin. ext. h. tit.
(7) Clem. Appellanti, 5 eod.
(8) Cap. Romano, 3, § quod si objiciatur, eod. in 6.
(9) Cap. cum cessante, 60, ext. h. t.
(10) Cap. si a Judice, 10, eod. in 6.

asseris, appellaveris, si tibi is ad docendum de gravamine, et si de ipso liquerit, ad ejusdem revocationem audiendam terminum praefixerit: et sane cum id ipsum a Judice perspiciendum sit, nec coram eo de gravamine docere, nec etiam tamquam coram Judice (cum per Appellationem ejus suspensa sit Jurisdictio) comparere teneberis.

1113. Quod si tantum (1), ut revocationem audias, te vocandum duxerit licet non compareas ipse tamen in termino gravamen revocaverit, perinde in causa procedere poterit, ac si Appellatio numquam fuisset interposita.

1114. Ac veluti in potestate Judicis gravamen revocantis positum est, non obstante Appellatione, causam resumere; sic contra, si is (2), qui vocem Appellationis emisit, cujus adhuc nemini est demandata cognitio, petierit ut ad Judicem, a quo provocavit, rursus causa remittatur; id ei, alterius Partis contradictione minime obstante, indulgendum erit. Sed hoc ita, ut in legitimis expensis Adversario, quas eum propter hoc fecisse constiterit, condemnetur.

1115. Non omnis ergo Appellatio indistincte recipienda erit: nam sive adeo sit vaga et generalis (3), ut incertitudinem afferat, sive quod omisso medio (4) sit interposita, a Parte opponatur, causa non devolvetur. Idem juris est, si super notorio (5) crimine, vel de quo quis in Jure confessus fuit, provocetur: nec enim (6) ad defensionem iniquitatis, sed ad praesidium innocentiae est Appellationis remedium institutum.

1116. Et ideo nec Regulares (7), cum pro aliquo excessu corrigendi fuerint, contra regularem Praelati sui vel Capituli disciplinam appellabunt; sed quod sibi pro salute injungitur, humiliter suscipient.

1117. Sed nec tunc (8) Appellationi deferendum erit, cum a saeculari Judice, qui temporali Sedis Apostolicae Jurisdictioni non subjicitur, ad Apostolicum appellatum fuerit; et aliis quibusdam casibus: alioquin is qui legitimae Appellationi, etiam de minima (9) causa interpositae, non detulit, Canonicis poenis (10) coërcendus erit.

1118. Licet autem provocatione canonice a Partibus interjecta, Judicis, a quo appellatum fuit, officium in illa quidem causa penitus conquiescat; si tamen is (11) qui ab Ordinario appellavit, super alia causa coram eodem conveniatur, praesertim pro gravi et manifesto crimine, Appellationis obtentu, quo minus Canonica censura puniatur effugere non potest.

1119. Interposita ergo a diffinitiva Sententia Appellatione, non solum (12) post eam innovata debent per Judicem Appellationis penitus et ante omnia revocari (exceptis tamen ca-

(1) D. cap. si a Judice, 10, § nisi eod. in 6.
(2) Cap. interposita, 70, § ille, ext. h. tit.
(3) Cap. 2 et cap. consuluit, 18, ext. eo.
(4) Cap. dilecti, 66, ext. eod.
(5) Cap. Romana, 4, § si autem eod. in 6.
(6) Cap. cum speciali, 69, § porro, ext. de appell.
(7) Cap. reprehensibilis, 26, ext. de appell.
(8) Cap. si duabus, 7, in fin. ext. eod.
(9) Cap. de Appell., 11, ext. eod.
(10) Vide cap. de priore, 31 et ibi Gl. ext. h. tit.
(11) Cap. praeterea, 22, ext. eod.
(12) Cap. non solum, 7, eod. in 6.

sibus, in quibus Jura post Sententiam prohibent appellare); sed etiam ea omnia, quae medio tempore inter Sententiam et Appellationem contigerit innovari, perinde ac si post Appellationem innovata fuissent.

1120. Illa vero (1), quae post Appellationem interpositam ante diffinitivam Sententiam innovantur, donec Appellationis causam veram esse constiterit, revocari non debent: nisi Judex Appellationis, postquam sibi constiterit, per Appellationem emissam ex causa probabili fore ad se negotium devolutum, inhibeat canonice Judici, a quo appellatum fuit, ne procedat. Tunc enim quidquid post inhibitionem hujusmodi fuerit innovatum, est per Appellationis Judicem ante omnia in statum pristinum reducendum, licet eamdem causam non esse veram contingat.

1121. Appellasse autem dicetur non solum is, qui vocem Appellationis emisit; sed etiam qui aliquo indubitato facto provocandi propositum declaraverit. Unde rescriptum est eum (2), in quem post iter ad Sedem Apostolicam arreptum excommunicationis Sententia ab Ordinario promulgata fuerit, excommunicationis vinculo non teneri, quasi Appellatione pendente lata fuerit, cum plus sit facto, quam verbo provocare.

1122. Idem et in eo responsum est (3), qui licet ex simplicitate forte verbum Appellationis non expresserit; se tamen et Ecclesiam suam, cum molestaretur, Romani Pontificis protectioni subjecit.

1123. Is quoque (4), quem quominus appellaret, justus metus impedierit, ad Appellationis beneficium convolasse reputabitur, dummodo infra tempus, quo licite provocatur, coram Judice, a quo appellasse vellet, vel si ipsius copiam habere nequierit, coram probatis viris, contestatione super hoc proposita, causas Appellationis expresserit.

1124. Quod si a pluribus (5) Judicibus appellandum fuerit, quia non semper facile eorum praesentia simul haberi posset, coram majori parte ipsorum appellare, et apostolos separatim petere licebit, valebitque haec Appellatio perinde, atque si coram omnibus interposita fuisset: omnium tamen subsecutorum appellatio ignoranti intimatio legitime facienda erit.

1125. Idem ex contrario (6), si plures una Sententia condemnati fuerint, et unus solus ad Appellationis beneficium convolaverit, istius victoria ceteris quoque suffragabitur, si commune jure juventur, idemque negotium et eadem causa defensionis existat.

1126. Jam dubitari poterit, si ex pluribus articulis (7) unius precibus comprehensis in uno tantum contingat Appellationem vetari, utrum Appellatio teneat, si super aliis provocatum fuerit: et cum Delegantis haec sit intentio, ut de omnibus articulis, qui in precibus ponuntur, justitiae suum consequatur effectum,

(1) D. cap. non solum, 7, § illa vero, eod. in 6.
(2) Cap. dilecti, 52, eod. in 6.
(3) Cap. sentient, 31, ext. eod.
(4) Cap. ult. ext. eod.
(5) Clem. 1, eod.
(6) Cap. unica penul. ext. eod.
(7) Cap. secundo requiris, 31, h. tit.

in omnibus Appellatio interdicta intelligetur. Unde nihil intererit, utrum Appellatio inhibeatur in primo, an in secundo: in medio, an in fine.

1127. Sed hoc ita intelligi oportet, si capitula connexa fuerint. Ceterum (1) quoties clausula, per quam Appellationis remedium tollitur, in medio Literarum ponitur, si sunt plura negotia se minime contingentia, tantum praemissa complectitur; nisi forte et in fine Literarum praedicta clausula iteretur.

1128. Interdum etiam non obstante prohibitione appellare poterit, ut decretum (2) in eo, qui per Delegatos Judices in Judicium ad locum non tutum vocatus fuerit: nisi enim locum idoneum Judices assignent, non erit propterea Appellationis remedium interclusum, quod, *Appellatione remota*, procedi debere mandatum erit.

1129. Idem etiam obtinet (3), cum Sententia fertur iniqua: licet enim causa, *Appellatione remota*, commissa fuerit; Sententiae tamen stari non debet, si iniquitatem contineat manifestam.

1130. Illud tam judiciali Appellationi, quam ei, quae extra Judicium interponitur, commune est, quod hujusmodi Appellantibus (4) annus, et ex justa causa biennium a die Appellationis interpositae indulgetur: quo temporis spatio et prosequi, et finite Appellationis causam compellendi erunt: alioqui si per negligentiam (5) Appellantis hoc temporis spatium fluxerit, adeo causa deferta censebitur, ut etiam si Appellans ipse cum Appellato, aut Appellatus etiam per se, et principaliter prosequatur, non propterea minus in rem judicatam censebitur transisse Sententia, a qua fuerit appellatum.

1131. Quamdiu (6) tamen per compromissum, vel alias de Partium expresso consensu differtur prosecutio, tempus ad prosequendam Appellationem ab homine, vel a Jure praefixum, minime currit Appellanti: nisi forte Judex ex dilatione periculum imminere videns, in illa procedi praeciperet.

1132. Et licet anni, vel biennii spatium Appellantibus indulgeatur; poterit tamen Judex (7) a quo, secundum locorum distantiam, personarumque et negotii qualitatem, brevius tempus moderari, intra quod si is, qui appellavit, causam Appellationis non fuerit prosequutus, tenebit Sententia. Coget (8) ergo Judex Partes Appellatione non admissa, ut vel Appellationem interpositam prosequantur, vel coram eo Juris pareant aequitati.

1133. Superior quoque (9) Judex, si ex dilatione viderit imminere periculum, potest et debet neutro Appellationem prosequente, ut periculum evitetur, occurrere: puta, si a Sententia lata super confirmatione alicujus Electi provocatum fuerit, ut

(1) Cap. inquisitioni, 71, ext. eod.
(2) Cap. ex parte, 47, ext. eod.
(3) Cap. inter ceteras, 9, ext. de Sent. et re jud.
(4) Can. si qui, 41, 11, q. 6, et cap. cum sit Romana, 5, ext. hoc tit.
(5) Clem. si Appellationum, 6, eod. tit.
(6) Clem. quamdiu, 4, eod.
(7) D. cap. cum sit Romana, 50, ext. eod.
(8) Cap. ult. hoc, 27, ext. eod.
(9) Cap. oblata, 57, § superior quoque, ext. eod.

utraque Pars velit etiam ad annum Appellationis prosecutionem differre; potest utique, immo debet is, ad quem appellatum fuit, provide terminum moderari, ne diu gregi Dominico cura Pastoris desit.

1134. Accidit tamen aliquando, ut non per annum, vel biennium, sed etiam, ulterius causam Appellationis alicui prosequi concedatur: ut puta, si quem per impotentiam (1) prosecutionem omisisse constiterit, vel cum Judici ex proprio officio (2) super causa electionis etiam lapso biennio cognoscere conceditur.

1135. Pars quoque (3) interdum sibi prosequendae Appellationis terminum praefigit. Sed cum hoc gratia litium citius expediendarum indultum fuerit, Juris terminus a Parte praeveniri, non prorogari poterit, sicut nec in una causa tertio (4) provocari licebit.

1136. Postremo sciendum est, quod si Sententiam (5) Appellatione suspensam, antequam, ipsius Appellationis causa commissa fuerit, vel Laudum contra Juris, vel compromissi formam latum Apostolico Rescripto in forma communi confirmari obtentum fuerit; talis confirmatio, nec Appellationi praejudicium afferet, nec invalidum Laudum ullo firmitatis robore muniet. Nam etiam si ante latam Sententiam litigiosae (6) rei confirmationem ab Apostolica Sede quis impetraverit, non propterea minus de causa poterit Judex cognoscere, et eam sine debito terminare. Quamquam si rem pacifice quis possedisset, cum inde confirmationem obtinuit, non erit licitum Judici de quaestione postmodum exorta absque mandato Sedis Apostolicae decernere: nisi certum sit (7), quod per falsi suggestionem fuerit elicita.

CAPUT XIX.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

1137. Adhuc autem iis, qui Appellationi remedio destituti sunt, auxilio Restitutionis in integrum succurritur; sed nec omnibus, nec semper, nec ab omnibus. Minor igitur et Ecclesia (8), si se prolatione Sententiae graviter laesos conquerantur, et appellandi tempora jam fluxerint, Restitutionem in integrum implorare poterunt.

1138. Quod quidem (9) adeo obtinet, ut etiam si ab Apostolica Sententia lata fuerit, non propterea magis in integrum Restitutionis petitio impediatur. Nec enim negatur Romanae Sedis Sententiam in melius posse commutari, cum aut surreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione aetatum, et temporum seu gravium necessitatum aliquid ordinavit.

1139. Sed si non sententia, sed vel contractu (10), vel confessione (11), vel probationis omissione (12), vel

(1) Cap. ex ratione, 8, ext. eod
(2) Cap. constitutis, 46, ext. eod.
(3) Cap. personas, 4, ext. hoc tit.
(4) Cap. sua, 65, ext. eod.
(5) Cap. bona, 3, ext. de confirm. ut vel inut.
(6) Cap. 1, ext. de confirm. util. vel inut.
(7) Cap. 2, ibid.
(8) Cap. tum ex litteris, 5, ext. hoc tit.
(9) D. Cap. sum ex litteris, 5, ext. eod.
(10) Cap. 1, ext. eod.
(11) Cap. 2, eod. in 6.
(12) Cap. 2, ext. eod.

temporis fluxo (1) Ecclesia laesa fuerit, restitutio indulgenda erit, nec solum contra privatos homines, sed etiam adversus aliam (2) Ecclesiam.

1140. Sed sive sententia (3), sive contractu, vel aliter se laesam praetendat Ecclesia, et propterea se ad beneficium Restitutionis in integrum admitti postulet; si quadriennii spatium a die laesionis lapsum fuerit, amplius restituenda non erit; nisi praevaricationis, vel manifestae fraudis probetur super hoc intervenisse commentum, aut alia causa subsit, quae judicem ad hoc beneficium concedendum movere debeat. Et si tempore (4) laesa afferatur, non fiet Restitutio, nisi ad tantum temporis, in quantum se laesam esse legitime probaverit.

1141. Quod si semel (5) Restitutio in integrum in alio judicio denegata fuerit, praeterquam ad appellationem omissam, non erit eidem amplius concedenda; nisi novis defensionibus ad hujusmodi beneficium admittenda fuerit.

1142. Hujusmodi vero (6) restitutionum causae, solum coram judicibus ordinariis administrationem habentibus, vel delegatis ab eis, tractari poterunt et terminari: sive hoc ipsis delegatis specialiter demandatum fuerit, sive commisso eis negotio hujusmodi quaestionem incidere contingat. Delegati vero ab Ordinariis, qui administrationem non habent, sed tantummodo judicandi facultatem, sive Arbitri, de causis cognoscere nequeunt, nisi coram eis incidenter motae fuerint.

1143. Per supplicationem quoque principi porrectam, aut per querelam, appellationis remedio destitutis subveniri solet. Erit autem (7) supplicatio intra decem dies post sententiam offerenda: quo subsecuto sententia non aliter executioni mandabitur quam si victrix Pars idoneum fidejussorem praebuerit restituendi cum legitimis augmentis, quantum fuerit in condemnatione, si legitima retractatione sententia resolvatur.

1144. Et nisi (8) sub hac forma supplicatio porrigatur, executio sententiae sine fidejussione procedet, retractationis jure illi servando, qui se gravatum putaverit, ut intra biennium supplicare valeat.

CAPUT XX.

DE ACCUSATIONIBUS, DENUNCIATIONIBUS ET INQUISITIONIBUS.

1145. Criminalia (9) judicia nihil ferme simile habent cum caeteris judiciis, de quibus proxime locuti sumus: magnaque diversitas eorum est, et in instituendis, et in exercendis. Instituuntur autem (10) aut per accusationem, aut per denunciationem, aut per inquisitionem.

1146. Per accusationem (11); ut, cum solemni praecedente inscriptione,

(1) Clem. un. eod.
(2) Cap. auditio, 3, ex eod.
(3) Cap. 1, eod. tit. in 6.
(4) D. Clement. un. cod. tit.
(5) Cap. ult. ext. eod.
(6) Cap. prim. ext. eod. tit.
(7) Auth. quae supplicatio. C. de praecip. Imp. asser.
(8) D. auth. quae supplicatio.
(9) In princ. institut. de publ. judic.
(10) Cap. super his, 16, et cap. quae inter, 24 in fin. ext. hoc tit.
(11) D. cap. super his, 16, ext. hoc tit.

per accusatorem rei crimen ad judicem defertur. Per denunciationem, ut, cum nulla praecedente inscriptione, sed tantam charitativa monitione, ad Judicis notitiam crimen deducitur.

1147. Ideo (1) autem, cum in modum accusationis crimen objicitur, est inscriptio necessaria, non cum in modum denunciationis; quoniam ad depositionem instituitur accusatio, sed ad correctionem est denunciatio facienda.

1148. Accusator igitur (2), si legitimis destitutus sit probationibus, eam poenam debet incurrere, quam si probasset, reus sustinere debebat. Denuncians (3) vero, licet ad talionem non teneatur, si tamen in probatione deficiat, donec suam purgaverit innocentiam, ab officio et beneficio suspendendus erit; ut ceteri simili poena perterriti, ad aliorum infamiam facile non prosiliant.

1149. Per Inquisitionem (4) criminale judicium instituitur, cum praecedente diffamatione, ac quasi denuntiante fama, de crimine judex inquirit. Constitutum est enim, ne criminum facilis nimis sit objectio, ut sicut accusationem legitima praecedere debet inscriptio, et denuntiationem charitativa monitio; ita et Inquisitionem clamorosa insinuatio praecedere debeat.

1150. Si quis tamen (5), postquam coram eo, qui contra ipsum super certis criminibus inquisitor deputatus fuerat, eadem crimina confessus fuerit; frustra postmodum eo praetextu confessionem suam impugnare contendet, quod super eisdem criminibus non fuerit antea diffamatus.

1151. Item etiam erit (6), si is cui contra te commissa super certis criminibus fuerit inquisitio, te praesente, nec quidquam super hoc excipiente, infamiae inquisitione omissa, ad veritatem eorumdem criminum inquirendam processerit: nec enim processum hujusmodi, eo quod non fuit de infamia primitus inquisitum, ulterius impugnare poteris.

1152. Accidit autem interdum, ut alicui nec accusando, nec denuntiando, nec inquirendo, sed excipiendo (7) crimen opponatur: ut puta, cum quid objicitur, ut quis ab accusatione, vel testificatione repellatur; quo casu non erit inscriptio necessaria.

1153. Sed an, si propterea (8) crimen opponatur, ut quis a promotione officii, vel beneficii assecutione excludatur, necessaria tunc sit inscriptio? Et proditum est, si ante confirmationem objiciatur, non cogi quemquam inscribere; quia crimen hoc modo probatum, promovendum quidem impedit, non tamen jam promotum dejicit: post confirmationem vero, cum scilicet ordinandus fuerit aliquis, aut etiam consecrandus; quia et ab obtinendo repellit, et ab obtento dejicit; ad extraordinariam poenam secundum arbitrium Judicis citra vinculum inscriptionis, si defecerit in probando, est excipiens astringendus.

(1) D. cap. super his. 16, ext. eod.
(2) Can. qui non probaverit, 3, 11, q. 3, et can. qui crimen, ead. qu. 8.
(3) Cap. ult. extra, de calumniat.
(4) Cap. qualiter, 24, ext. eod.
(5) Cap. 1, h. t. in 6. (6) Cap. ult. eod. in 6.
(7) D. cap. super his, 16, ext. h. tit.
(8) D. cap. super his, 16, § cum autem, ext. eod.

APPENDIX

De Comitiis Fidelium.

Comitia, quae ad exequenda mandata Ecclesiae, et ad catholicam charitatem fovendam, et fidei defensionem celebrantur, consensu Episcopi celebrari possunt. Determinationes eorumdem comitiorum, non possunt tamen vigorem legis habere, sed habent rationem supplicationis vel manifestationis propriae voluntatis a suprema Ecclesiae potestate approbandae vel reprobandae.

Hinc licet Constitutionem Pii IX hic referre, quae tametsi Germaniam respiciat, Ecclesiae tamen totius politiam attingere videtur.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Tuas libenter accepimus Litteras, die 7 proxime elapsi mensis septembris datas, ut Nos certiores faceres de Conventu in ista Monacensi civitate proximo mense septembri a nonnullis Germaniae Theologis, doctisque catholicis viris habito de variis argumentis, quae ad theologicas praesertim ac philosophicas tradendas disciplinas pertinent. Ex Litteris Tibi Nostro jussu scriptis a Venerabili Fratre Matthaeo Archiepiscopo Neocaesariensi Nostro, et Apostolicae hujus Sedis apud istam Regiam Aulam Nuntio vel facile noscere potuisti, Venerabilis Frater, quibus Nos sensibus affecti fuerimus, ubi primum de hoc proposito Conventu nuntium accepimus, et postquam agnovimus quomodo commemorati Theologi, et viri ad hujusmodi Conventum invitati et congregati fuere, nihil certe dubitare volebamus de laudabili fine, quo hujus Conventus auctores, fautoresque permoti fuere, ut scilicet omnes Catholici viri doctrina praestantes, collatis consiliis, conjunctisque viribus, germanam catholicae Ecclesiae scientiam promoverent, eamque a nefariis, ac perniciosissimis tot adversariorum opinionibus conatibusque vindicarent ac defenderent. Sed in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra, licet immerentes, collocati asperrimis hisce temporibus, quibus Sacrorum Antistitum auctoritas, si unquam alias, ad unitatem et integritatem catholicae doctrinae custodiendam, vel maxime est necessaria, et ab omnibus sarta tecta servari debet, non potuimus non vehementer mirari videntes memorati Conventus invitationem privato nomine factam et promulgatam, quin ullo modo intercederet impulsus, auctoritas, et missio ecclesiasticae potestatis, ad quam proprio, ac nativo jure unice pertinet advigilare ac dirigere theologicarum praesertim rerum doctrinam. Quae sane res, ut

optime noscis, omnino nova, ac prorsus inusitata in Ecclesia est. Atque iccirco voluimus, Te, Venerabilis Frater, noscere hanc Nostram fuisse sententiam, ut cum a Te, tum ab aliis Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Germania Antistitibus probe judicari posset de scopo per Conventus programma enuntiato, si nempe talis esset, ut veram Ecclesiae utilitatem afferret. Eodem autem tempore certi eramus, Te, Venerabilis Frater, pro pastorali Tua sollicitudine ac zelo omnia consilia et studia esse adhibiturum, ne in eodem Conventu tum catholicae fidei ac doctrinae integritas, tum obedientia, quam omnes cujusque classis et conditionis catholici homines Ecclesiae auctoritati ac magisterio praestare omnino debent, vel mininum detrimentum caperent. Ac dissimulare non possumus, non levibus Nos angustiis affectos fuisse, quandoquidem verebamur, ne hujusmodi Conventu sine ecclesiastica auctoritate congregato exemplum praeberetur sensim usurpandi aliquid ex jure ecclesiastici regiminis, et authentici magisterii, quod divina institutione proprium est Romano Pontifici, et Episcopis in unione et consensione cum ipso S. Petri Successore, atque ita, ecclesiastico ordine perturbato, aliquando unitas, et obedientia fide apud aliquos labefactaretur. Atque etiam timebamus, ne in ipso Conventu quaedam enunciarentur, ac tenerentur opiniones et placita, quae in vulgus praesertim emissa et catholicae doctrinae puritatem, et debitam subjectionem in periculum ac discrimen vocarent.

Summo enim animi Nostri dolore recordabamur, Venerabilis Frater, hanc Apostolicam Sedem pro gravissimi sui muneris officio debuisse, ultimis hisce temporibus, censura notare, ac prohibere nonnullorum Germaniae Scriptorum opera, qui cum nescirent decedere ab aliquo principio, seu methodo falsae scientiae, aut hodiernae fallacis philosophiae, praeter voluntatem, uti confidimus, inducti fuere ad proferendas ac docendas doctrinas dissentientes a vero nonnullorum sanctissimae fidei nostrae dogmatum sensu et interpretatione, quique errores ab Ecclesia jam damnatos e tenebris excitarunt, et propriam divinae revelationis et fidei indolem et naturam in alienum omnino sensum explicaverunt. Noscebamus etiam, Venerabilis Frater, nonnullos ex catholicis, qui severioribus disciplinis excolendis operam navant, humani ingenii viribus nimium fidentes errorum periculis haud fuisse absterritos, ne in asserenda fallaci, et minime sincera scientiae libertate abriperentur ultra limites, quos praetergredi non sinit obedientia debita erga magisterium Ecclesiae ad totius revelatae veritatis integritatem servandam divinitus institutum. Ex quo evenit, ut hujusmodi catholici misere decepti et iis saepe consentiant, qui contra hujus Apostolicae Sedis, ac Nostrarum Congregationum decreta declamant, ac blaterant, ea liberum scientiae progressum impedire, et periculo se exponunt sacra illa frangendi obedientiae vincula, quibus ex Dei voluntate eidem Apostolicae huic obstringuntur Sedi, quae

a Deo ipso veritatis magistra, et vindex fuit constituta.

Neque ignorabamus in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam, et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam, et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorumdem Doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia; verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit. Haec sane omnia pro gravissimi supremi Nostri Apostolici ministerii munere, ac pro singulari illo amore, quo omnes Germaniae catholicos carissimam Dominici gregis partem prosequimur, Nostrum sollicitabant et angebant animum tot aliis pressum angustiis, ubi, accepto memorati Conventus nuntio, res supra expositas Tibi significandas curavimus. Postquam vero per brevissimum nuntium ad Nos relatum fuit, Te, Venerabilis Frater, hujusce Conventus auctorum precibus annuentem tribuisse veniam celebrandi eumdem Conventum, ac sacrum solemni ritu peregisse, et consultationes in eodem Conventu juxta catholicae Ecclesiae doctrinam habitas fuisse, et postquam ipsius Conventus viri per eumdem nuntium Apostolicam Nostram imploraverunt Benedictionem, nulla interposita mora, piis illorum votis obsecundavimus.

Summa vero anxietate Tuas expectabamus Litteras, ut a Te, Venerabilis Frater, accuratissime noscere possemus ea omnia, quae ad eumdem Conventum quovis modo possent pertinere. Nunc autem cum a Te acceperimus, quae scire vel maxime cupiebamus, ea spe nitimur fore, ut hujusmodi negotium, quemadmodum asseris, Deo auxiliante, in majorem catholicae in Germania Ecclesiae utilitatem cedat. Equidem cum omnes ejusdem Conventus viri, veluti scribis, asseruerint, scientiarum progressum, et felicem exitum in devitandis ac refutandis miserrimae nostrae aetatis erroribus omnino pendere ab intima erga veritates revelatas adhaesione, quas catholica docet Ecclesia, ipsi noverunt ac professi sunt illam veritatem, quam veri catholici scientiis excolendis et evolvendis dediti semper tenuere, ac tradiderunt. Atque hac veritate innixi potuerunt ipsi sapientes ac veri catholici viri scientias easdem tuto excolere, explanare, easque utiles certasque reddere. Quod quidem obtineri non potest, si humanae rationis lumen finibus circumscriptum eas quoque veritates investigando, quas propriis viribus et facultatibus assequi potest, non veneretur maxime, ut par est, infallibile et increatum Divini intellectus lumen, quod in christiana revelatione undique mirifice elucet. Quamvis enim naturales illae disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis ni-

tantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti rectricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus, et commentationibus animadvertant, posse se illis adduci, ut saepissime accidit, ad ea proferenda, quae plus minusve adversentur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelate fuere. Hinc dubitare nolumus, quin ipsius Conventus viri commemoratam veritatem noscentes, ac profitentes, uno eodemque tempore plane rejicere ac reprobare voluerint recentem illam ac praeposteram philosophandi rationem, quae etiamsi divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates ab ipsa divina revelationes propositas humanae rationis investigationibus supponit, perinde ac si illae veritates rationi subjectae essent, vel ratio suis viribus et principiis posset consequi intelligentiam et scientiam omnium supernarum sanctissimae fidei nostrae veritatum, et mysteriorum, quae ita supra humanam rationem sunt, ut haec nunquam effici possit idonea ad illa suis viribus, et ex naturalibus suis principiis intelligenda, aut demonstranda.

Ejusdem vero Conventus viros debitis prosequimur laudibus, propterea quod rejicientes, uti existimamus, falsam inter philosophum et philosophiam distinctionem, de qua in aliis Nostris Litteris ad Te scriptis loquuti sumus, noverunt et asseruerunt, omnes catholicos in doctis suis commentationibus debere ex conscientia dogmaticis infallibilis catholicae Ecclesiae obedire decretis. Dum vero debitas illis deferimus laudes, quod professi sint veritatem, quae ex catholicae fidei obligatione necessario oritur, persuadere Nobis volumus, noluisse obligationem, qua catholici Magistri, ac Scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio, veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. Atque etiam Nobis persuademus, ipsos noluisse declarare, perfectam illam erga revelatas veritates adhaesionem, quam agnoverunt necessariam omnino esse ad verum scientiarum progressum assequendum, et ad errores confutandos, obtineri posse, si dumtaxtat Dogmatibus, ab Ecclesia expresse definitis, fides et obsequium adhibeatur.

Namque etiamsi ageretur de illa subjectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum, aut Romanorum Pontificum, hujusque Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis Theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur de illa subjectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, iccirco ejusdem Conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut prae-

fata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subjiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur, ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam merentur censuram. Itaque haud existimamus viros, qui commemorato Monacensi interfuere conventui, ullo modo potuisse, aut voluisse obstare doctrinae nuper expositae, quae ex verae theologiae principiis in Ecclesia retinetur, quin immo ea fiducia sustentamur fore, ut ipsi in severioribus excolendis disciplinis velint ad enunciatae doctrinae normam se diligenter conformare. Quae Nostra fiducia praesertim nititur iis Litteris, quas per Te, Venerabilis Frater, Nobis miserunt. Siquidem eisdem Litteris cum summa animi Nostri consolatione ipsi profitentur, sibi in cogendo Conventu mentem numquam fuisse vel minimam sibi arrogare auctoritatem, quae ad Ecclesiam omnino pertinet, ac simul testantur, noluisse eumdem dimittere Conventum, quin primum declararent summam observantiam, obedientiam, ac filialem pietatem, qua Nos et hanc Petri cathedram catholicae unitatis centrum prosequuntur. Cum igitur hisce sensibus supremam Nostram, et Apostolicae hujus Sedis potestatem, auctoritatemque ipsi recognoscant, ac simul intelligant, gravissimum officium Nobis ab ipso Christo Domino commissum regendi, ac moderandi universam suam Ecclesiam, ac pascendi omnem suum gregem salutaris doctrinae pascuis, et continenter advigilandi, ne sanctissima fides, ejusque doctrina ullum unquam detrimentum patiatur, dubitare non possumus, quin ipsi severioribus disciplinis excolendis, tradentis, sanaeque doctrinae tuendae operam navantes uno, eodemque tempore agnoscant, se debere et religiose exequi regulas ab Ecclesia semper servatas, et obedire omnibus decretis quae circa doctrinam a Suprema Nostra Pontificia auctoritate eduntur. Haec autem omnia Tibi communicavimus, ac summopere optamus, ut ea iis omnibus significes viris, qui in memorato Conventu fuere, dum si opportunum esse censuerimus, haud omittemus alia Tibi, et Venerabilibus Fratribus Germaniae Sacrorum Antistitibus hac super re significare, postquam Tuam, et eorumdem Antistitum sententiam intellexerimus de hujusmodi Conventuum opportunitate. Demum pastoralem Tuam sollicitudinem, ac vigilantiam iterum vehementer excitamus, et una cum aliis Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Germania Antistitibus curas omnes, cogitationesque in tuendam et propagandam sanam doctrinam assidue conferas. Neque omittas omnibus inculcare, ut profanas omnes novitates diligenter devitent, neque ab illis se decipi unquam patiantur, qui falsam scientiae libertatem, ejusque non solum verum profectum, sed etiam errores

tamquam progressus impudenter jactant. Atque pari studio et contentione ne desinas omnes hortari, ut maxima cura, et industria in veram christianam et catholicam sapientiam incumbant, atque, uti par est, in summo pretio habeant veros solidosque scientiae progressus, qui sanctissima ac divina fide duce, et magistra, in catholicis scholis habiti fuerunt, utque theologicas praesertim disciplinas excolant secundum principia, et constantes doctrinas, quibus unanimiter innixi sapientissimi Doctores immortalem sibi nominis laudem, et maximam Ecclesiae, et sciéntiae utilitatem, ac splendorem pepererunt. Hoc sane modo catholici viri in scientiis excolendis poterunt, Deo auxiliante magis in dies, quantum homini fas est, noscere, evolvere, et explanare veritatum thesaurum, quas in naturae et gratiae operibus Deus posuit, ut homo postquam illas rationis et fidei lumine noverit, suamque vitam ad eas sedulo conformaverit, possit in aeternae gloriae claritate summam veritatem, Deum scilicet, sine ullo velamine intueri, Eoque felicissime in aeternum perfrui et gaudere. Hanc autem occasionem libentissimo animo amplectimur, ut denuo testemur et confirmemus praecipuam Nostram in Te charitatem cujus quoque pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam effusa cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi Tuae curae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Decembris anno MDCCCLXIII, Pontificatus Nostri Anno Decimo-octavo.

—

Habita facultate
Auct. Eccl.

—

INDEX

VOLUMINIS II

PRAEFATIO . . . . . *pag.* V

PROLEGOMENA

§ 1. Ecclesia libera societas est in ordine naturali et supernaturali . *pag.* 1
§ 2. De regimine Ecclesiae, de jure ejusque regulis . . . . . *pag.* 5
§ 3. De regulis juris . . . . . „ 8

LIBER PRIMUS

DE JURE PUBLICO ECCLESIASTICO.

CAP. 1. De juribus praecipuis Ecclesiae naturalibus . . . *pag.* 11
„ 2. De relationibus Ecclesiae cum societatibus civilibus etherodoxis „ 12
CAP. 3. De relationibus Ecclesiae cum societatibus civilibus catholicis *pag.* 15

LIBER SECUNDUS

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

CAP. 1. De Pontifice Romano . *pag.* 19
„ 2. De Cardinalibus . . . . „ 22
„ 3. De Congregationibus Cardinalium . . . . . „ 25
„ 4. De Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Presbyteris et aliis Ecclesiae ministris . . . . „ 35
„ 5. De Concilius . . . . . „ 37
„ 6. De Legatis . . . . . „ 40
CAP. 7. De electione Summi Pontificis *pag.* 42
„ 8. De electione Cardinalium . „ 68
„ 9. De electione Episcoporum . „ 73
„ 10. De consecratione episcopali „ 78
„ 11. De translatione . . . . „ 80
„ 12. De auctoritate et usu Pallii . „ 82
„ 13. De renunciatione Episcopatus „ 84
„ 14. De electione in genere . „ 87

LIBER TERTIUS

DE JURE DOGMATICO.

CAP. 1. De Fide . . . . *pag.* 97
„ 2. De professione fidei . . . „ 103
„ 3. De Sacramentis in genere „ 108
„ 4. De Baptismo . . . . . „ 109
„ 5. De sacramento Confirmationis „ 116
„ 6. De Eucharistia . . . . „ 119
CAP. 7. De Missae sacrificio . *pag.* 126
„ 8. De sacramento Poenitentiae „ 137
„ 9. De Extrema Unctione . . . „ 146
„ 10. De Ordine . . . . . „ 148
„ 11. De Matrimonio . . . . „ 160

LIBER QUARTUS

DE JURE CLERICORUM.

Cap. 1. De officiis Cardinalium pag. 179
„ 2. De officiis Episcoporum . „ 184
„ 3. De minoribus beneficiis ab Episcopo conferendis . . „ 197
„ 4. Regulae, ordinationes, et constitutiones Cancellariae Apostolicae „ 202
„ 5. De officio Episcopi in munere praedicationis . . . „ 224
Cap. 6. De officio Episcopi in eligendis judicibus synodalibus . pag. 226
„ 7. De Coadjutoribus et Vicariis generalibus . . . . „ 228
„ 8. De Capitulo Cathedrali . „ 234
„ 9. De Parochis . . . . . „ 253
„ 10. De inferioribus beneficiis . „ 262
„ 11. De vita et honestate clericorum „ 269
„ 12. De regularibus . . . „ 273

LIBER QUINTUS

DE JURE LAICORUM.

Cap. 1. De jure patronatus . pag. 283
Cap. 2. De jure communi fidelium pag. 287

LIBER SEXTUS

DE JURE RERUM.

Cap. 1. De bonis Ecclesiae servandis pag. 292
Cap. 2. De locis sacris . . pag. 299

LIBER SEPTIMUS

DE CRIMINIBUS ET POENIS.

Cap. 1. De peccatis excommunicatione reservata dignis . . pag. 303
„ 2. Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae „ 305
„ 3. Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae . . . . . „ 309
„ 4. Excommunicationes latae a Concilio Tridentino . . . „ 310
Cap. 5. Suspensionis latae sententiae Summo Pontifici reservatae pag. 313
„ 6. De suspensionibus vel interdictis a Concilio Tridentino latis „ 314
„ 7. De irregularitate ex delicto „ 317
„ 8. De duellis et pugna cum bestiis „ 318
„ 9. De poena degradationis . „ 321

LIBER OCTAVUS

DE JUDICIIS.

Cap. 1. Regulae generales . pag. 323
„ 2. De generibus judiciorum . „ 326
„ 3. De personis per quas exercetur judicium . . . . . „ 332
„ 4. De pactis et transactionibus „ 335
„ 5. De arbitris . . . . . „ 336
„ 6. De vocando in jus . . . „ 337
„ 7. De contumacia et in possessionem missione . . . . . „ 339
„ 8. De libelli efformatione et expeditione . . . . . „ 341
„ 9. De exceptionibus . . . „ 342
„ 10. De mutuis petitionibus . „ 345
Cap. 11. De restitutione spoliatorum pag. 346
„ 12. De litis contestatione . . „ 349
„ 13. De juramento calumniae „ 350
„ 14. De litis pendentia . . . „ 358
„ 15. De probationibus . . . „ ibi
„ 16. De sententiis et re judicata . „ 358
„ 17. De executione rei judicatae . „ 360
„ 18. De appellationibus . . „ 361
„ 19. De restitutione in integrum . „ 366
„ 20. De accusationibus, denunciationibus et inquisitionibus . „ 367
Appendix. De Comitiis Fidelium . „ 360

UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE TORONTO
LIBRARY
APR 21 2006